BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
Mag. St. Dz. Kat. Ko
221729
III 1 [6] 1779

Opinor hunc tomum esse factum ante editionem quinti in lucem datam, vid. praefatio.

Krasop. 323.

V
B J
C
221729
III

Die Dissertation de Saromadis Graecus Santomatis – ist wie alle die gedruckt sind im Msc. nach dem Drucke verbrannt worden um das Archiv nicht zu belästigen. Der Fürst war Autor derselben.

ACTA
SOCIETATIS IABLONOVIANAE
DE
ORIGINIBVS
AB
AQVILONE VENIENTIVM
SLAVORVM
ANNI MDCCLXXIV.

TOMVS DE REBVS SLAVICIS VLTIMVS.

LIPSIAE,
EX OFFICINA LOEPERIA.

221729
III

L. B.

Quo difficilius intelligentiſſimo cuique antiquitatis aeſtimatori videtur, vaſtiſſimum veteris Scandinauiae ambitum populorumque ab Aquilone irruentium fines deſtinare, aut in originibus Slauicis eruendis diligenter verſari: eo maiore admiratione digni videntur Celſiſſimi Principis Iablonouii ingentes labores, eorumque doctorum indefeſſae lucubrationes, qui magis immortali Eius exemplo, quam munificentiſſimorum praemiorum blando ful-

gore incitati tantis tenebris illuſtrandis operam dare auſi ſunt.

Sed cuius Principis nomen integerrimo amore Electoris noſtri Clementiſſimi, tot rerum praeclare geſtarum memoriis, tantisque virorum doctorum et artificum monumentis poſteritati remotiſſimae commendatum eſt, eius ſanctitati et perpetuitati nihil noſtra quanquam ſincera et a gratiſſimo animo expreſſa praedicatione addi omnino poſſe arbitramur.

Vel nobis ſilentibus, nemo vnquam niſi plane ab omni ſenſu virtutis, in illuſtri loco poſitae, alienus ignorabit, quantum gloriae et ſplendoris Academiae noſtrae, antiquitate et fide praeſtanti, inſigni et plane diuina liberalitate Iablonouii vere noſtri acceſſerit.

Vnum mihi videtur non poſſe taceri, Societatem Iablonouianam Celſiſſimi Auctoris ſui nomine et diuina Electoris Clementiſſimi indulgentia gloriantem, in omnibus negotiis ad inſtaurationem et ſecuritatem ſuam pertinentibus non potuiſſe non amplecti ac mirari inſignem humanitatem et fidem Illuſtris Reipublicae Senatusque Gedanenſis; eamque, Vrbi, ſaluberrimis legibus conſtitutae, ingeniis opibusque florenti, ſecuritatis, libertatis gloriaeque perennitatem apprecari et ominari.

Quod reliquum eſt, rebus Slauicis in V. tomis paene exhauſtis, pro inſigni prudentia Celſiſſimus Princeps decreuit, argumenta futurarum Diſſertationum ex vniuerſo Hiſtoriarum, Mathematum et rerum ruſtica-

rum ambitu, arbitrio Societatis deligenda et vſui publico tradenda eſſe.

Deus O. M. Principem tanta pietate et humanitate Illuſtrem, fortem et hilarem, inſtitutique Sui Patrem, Tutorem Spectatoremque diuturnum eſſe iubeat! Quod Augusti Principis, ſumma ingenii alacritate magnam ſpem Sui facientis, vniuerſae Gentis Iablonouianae, et rei litterariae cauſa publice priuatimque precamur. Lipſ. a. d. VIII. Octobr. cIↄIↄcclxxv.

CHRISTIANVS AVGVSTVS CLODIVS
PHILOS. PROF. ORDIN.
COLLEGII MAI. PRINCIP. SODALIS, SOCIETATIS IABLONOVIANAE SECRETARIVS PERPETVVS.

IOSE-

IOSEPHI ALEXANDRI
IABLONOVII
S. R. IMPERII PRINCIPIS
PALATINI NOVOGRODENSIS
ETC.

DE

SAROMEDIS
GRAECIS SAVROMATIS
DISSERTATIO.

Ne arbitri dicta uostra arbitrari queant.

LIPSIVS.

CONSPECTVS OPERIS.

SECTIO I.

SECTIO I.

§. I.

EPOCHAE ADVENTUS SLAVORUM IN VARIAS REGIONES CHRONOLOGICO ORDINE DEDUCTAE.

Otium, quod eruendis Heneticarum ſeu Venedicarum rerum monumentis et colendae fertiliſſimae illi glebae iam per quinquennium impendimus, id et vlterius Heneto-Slauicae hiſtoriae dedicabimus, ita quidem, vt iam ante omnia veram epocham aduentus Slauorum in diuerſas regiones ex probatiſſimorum ſcriptorum fide conſtituamus, et praeſertim initia eorum in iis regionibus, vbi nunc Seruia et Croatia eſt, nec non capita nonnulla ex hiſtoria celeberrimi iſtius Slauorum regis Samonis illuſtremus. Deinde iam ad nobiliſſimam olim nec nunc contemnendam gentem Sarmato-Coſacorum nos convertemus, de vera eorum origine et ſedibus locuturi. Tandem adhuc de nonnullis antiquae Sarmaticae ſtirpis gentibus, Iazygibus, inquam Peucis, et Patzinacibus quaedam, vt exiſtimo, non plane proletaria in medium proferemus.

Henetos quidem Enetos, Vendos, hoc eſt Venedos, gentem vnam ex Saromedis, a Graecis Sauromatis dictis,

 defluxiſſe,

defluxisse, ante Herodoti tempora, satis superque anterioribus nostris per quinquennium lucubrationibus probauimus.

Nunc operae pretium me facturum esse existimo, si iam primo de Epocha aduentus Slauorum nonnullas hic dederim annotatiunculas, Chronologico, quantum fieri potest, ordine dispositas, quae illustrandis praesertim Venedo-Slauorum in Misnia, Seruia, Croatia, Dalmatiaque, deinde vero in Bohemia coloniis inseruire possint. Res quidem ipsa historiae antiquae mediaeque contemtori non adeo magni videbitur momenti, quo tempore quaeque regio a Venedo-Slauis occupata et habitari coepta sit: sed mihi quidem et vnicuique, vt puto, rerum historicarum curioso indignum videretur, res gestas gentis, quae totam Europam, si non migrationibus, saltim nominis gloria peragrauit, in obscuro manere.

Ad duas vero res nobis animaduertendum esse iam dixi. Primum quidem ad ea, quae Slauorum res spectant, Marchiae Venedicae, Dalmatiae, Croatiaeque incolarum, deinde vero quae Bohemicorum et Misnicorum, Polonorumque Slauorum sunt. Ad primum caput ante omnia obseruandum est, id quod in alia dissertatione satis demonstrasse videmur, Sarmatas, quos in antiquorum scriptis celebres inuenimus, eosdem esse cum Venedis et iis, quos hodienum Slauos appellamus. Itaque quae de Sarmatis inuenimus, antequam Slauorum nomen ipsum in vsu esset, ad Slauicas nihilominus gentes pertinere nullum est dubium.

Nec vero id hic agimus, vt de antiquitate Henetorum seu Venetorum loquamur, qui ex Asia in Europam transierunt, nisi forte incidenter de ea re quaedam adduxerimus. Id enim praecipue nobis cordi est, vt eorum migra-

migrationes tum ad Albim in ſeptentrionales Germaniae regiones, tum in Danubianas prouincias, Seruiam, Croatiam et Dalmatiam factas illuſtremus. Et in his quidem, vt omnia vel brevi examine clara perſpicuaque fiant, Chronologia inprimis obſeruanda eſt. Ea enim non ſine ratione veritatis mater hiſtoriaeque filia appellatur. Attamen inſignem *Melanchthonis* locum de Aſiatica Henetorum origine adducere liceat: *Gens Heneta*, ait, *quae nunc Bohemiam tenet*, *olim vicina fuit Phrygiae, vt ex Homero Iliad. 2. manifeſtum eſt; poſtea infuſa in Illyricum et progreſſa in Sarmatiam ac Germaniam, Europae magnam partem compleuit. Nec vero armis tantum conſtitui imperia poſſunt. Quare conſentaneum eſt, intellectum iuſtitiae et ciuilium officiorum ac diſciplinam honeſtam in ea gente ſemper viguiſſe, cum quidem Ionicae genti in Aſia, quae artium cultura et omnibus ciuilibus ornamentis ſuperauit plurimas gentes, permixta fuerit.* Summa quidem rei in eo eſt, vt inueſtigetur, quo tempore Slaui in Sarmatiam et Pannoniam venerint. *Albertus Crantzius*, *Saxo-Grammaticus* et *Fl. Blondus Foroliuienſis* aliter plane de ea re ſentiunt, quam *Cromerus*, qui ante Procopii et Iornandis tempora eos ibi non occurrere putat. *Ptolemaeus* tamen, qui ſub Antoninis vixit, Venedarum iam facit mentionem. *Sarmatia*, ait, *in Europa eſt, definitur a Septentrione, Oceano Sarmatico iuxta Venedicum ſinum et parte terrae incognitae*, denique, *minores autem gentes tenent Sarmatiam penes Viſtulam quidem fluuium. Sub Venedis Gythones, poſt Phynni, poſt Bulanes.* Eadem fere habet *Martianus Heracleota.* Venedos autem ſcimus potiſſimum appellari Slauinos, ergo et Slaui his comprehenduntur. *Antonini* Itinerarium paulo ante Theodoſii tempora confectum, vrbem Strauianis memorat,

Impreſs. an. 1554. *Vitebergae.*

L. I. c. I. L. III. c. 5. p. 54.

ſine dubio a Slauanis ſiue Slauis, ibi habitantibus appellatam.

Relatum autem legimus iam Ottone Syluio, Romanum imperium tenente, Sarmatas, et quidem, vt *Cromerus* vult, Ruſſos vel Roxolanos Moeſiam inuaſiſſe, indeque cum reliquae barbarae nationes Romanam rem proſternerent, in vicinas prouincias ſeſe extendiſſe, eosque eſſe, qui ex gloria rerum geſtarum nomen Slauorum aſſumſerint. Ita enim *Andreas Cellarius* in deſcriptione Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae: *Martinus Cromerus de origine et rebus geſtis Polonorum ſequentia de Ruſſis tradit: Ruſſorum nomen per Sarmatiam longe lateque ſe extendit. Omnes enim terras complectitur, quae inter ſinum Venedicum, Livoniam, Sueciam, Mare glaciale, Volgam flumen, paludem Moeotidem, pontum Euxinum, Sarmaticos montes, Poloniam, Lithuaniam et Samogitiam intercurrunt. In Ruſſicis Chronicis, quae per ſeptingentorum annorum ſeriem vsque ad annum 1554. Ruſſorum res enarrant, ſequentia extare, ac Ruſſos, poſtquam Chriſtianam religionem amplexi fuerant, litteris paulo ante a Bulgaris inuentis et Graecorum litteras imitantibus, vix vti demum incepiſſe, et iisdem adhuc, vti ait. Vbi Ruſſi hodierni ſedem ſuam habent, olim Roxolani vel Roxoni ſederunt. Hi Romano Imperatore Ottone Sylvio imperante, Moeſiam vicinam inuadere coeperunt. Veriſimile autem eſt, Romanorum potentia per Gothos, Hunnos, Vandalos, Alanos, Longobardos, Parthos, Perſas et Saracenos fracta, ipſos poſtea non ſolum dictam Moeſiam, verum et Daciam, Pannoniam, Dardaniam, Liburniam, Illyricum, Dalmatiam et Iſtriam ſibi ſubjeciſſe. Thraciam autem et Macedoniam vehementer afflixiſſe, ac tandem Graecam linguam penitus corrupiſſe, multisque facinoribus ſtrenuis feliciter editis Slauorum vel Slauinorum nomen, quod honorem*

et

Suetonius in Ottone.

p. 301. 302. et 303. *Lib. I.*

et gloriam sonat, sibi arrogasse. . . . Caeteri, qui in patria sua manserunt, nomen retinuerunt, quod facile postea in Russorum et Russiae appellationem abire potuit.

Sub Domitiano *Iosephus*, dignissimus fide auctor, Sarmatas ad Istrum habitasse et Moesiam inuasisse memorat. *De bello Iudaico Lib. 7. cap. 23. circa finem.*

Ann. Chr. 333. Constantinus Magnus Imperator, Sarmatarum colonias per varia Romano imperio subiecta loca distribuisse fertur ab *Hieronymo Idatio* et *Anonymo Chronici auctore.*

Exinde iam Illyricum, Carnia et omnis circumiiacens regio a Sarmato-Slauis quasi inundata fuit. Quod ad Illyricum attinet, sunt quidem, qui non sine ratione id ab antiquissimis temporibus ab Heneto-Slauicis gentibus habitatum asserant, nec tamen ideo negent, versus sexti saeculi initium nouas eo Slauorum colonias aduenisse. Sic *Lomonossouius*, celebris Russicae historiae scriptor: *Illyriorum antiquitas ad fabulosa vsque tempora recedit, et de potentia illorum ex bellis iudicare licet, quae Graecis Romanisque intulerunt. Quidam scriptores antiquos Illyrios a Slauis Illyrici postea incolis diuersos volunt, nixi testimonio Iornandis et Procopii, qui Danubii Slauos ex Septentrione adducunt. In nouarum vrbium nominibus vestigia deprehendunt linguae Slauicae, nullum vero omnino vident in nominibus antiquarum; id vero argumentum parum firmum est. Verum equidem, quod sexti saeculi initio septentrionales Slavi ad Danubium habitatum venerint, indeque sese in Dalmatiam et Illyricum effuderint. Sed num inde sequitur, vt Slaui antea hanc regionem plane non incoluerint? Nonne fieri potuit, vt Illyrici Slaui, a Romanis patria sua eiecti, vltra Danubium fugerint, indeque cognita iam Romanorum infirmitate sint reuersi? Imo eius rei firmissima habemus in historicis nostris argumenta. Nestor ex S. Paulo refert, Slavos Illyricum inhabitasse, et iugum Romanum euitare conan-* *p. 22. Gallicae versionis.*

tes, Danubio relicto, versus Septentrionem ad Bogum, Danaprum, Vistulam, Dunam et Volchouam fluuios fugisse. Haec testimonia satis superque sufficerent, sed praeterea Plinius affirmat, nomina Illyrica difficilia fuisse pronunciatu, manifestum argumentum, ea nec ex Graecorum nec ex Latino sermone venisse, quas linguas sine dubio optime callebat. Plures adhuc vrbes sunt, quarum nomina Slauonico modo terminantur.

Verum adeo certumque est id, quod *Lomonossouius* dicit: inueniri multo plura in scriptoribus Latinis vestigia eaque maximi momenti, in *Appiano* nimirum, *Ptolemaeo, Polybio, Plinio* aliisque. Ex his Vindemin notam habemus vrbem antiquissimam, quae Vindorum nomen refert, Lacum Bialozero, id est, album lacum, montem Curanca, siue Kurhanka, quae vere sunt Slauica nomina. Prodit se et in aliis vrbium nominibus Slauicus sermo. L. 3. c. 19. 21. et 22. Polae meminit *Plinius*, eamque antea Colchim appellatam fuisse dicit; Glissae Iadrae, Salonae Rizinii, Olchinii etc. quae omnia nomina facillime ex Slauica lingua deriuari possunt. Sed cum omnia dubia soluisse lectoribusque plane persuasisse videamur, patientia eorum amplius abuti nolentes, id tantum addimus, omnes affirmare auctores, quod Illyrii lingua vsi sint neque Graeca, neque Romana, neque Celtica. Quae igitur iis lingua superest nisi Henetica seu Venedica? Id quod post tot argumenta ex Venedicis vrbium, montium, lacus, et fluuiorum nominibus, nemo, vt existimo, negare audebit.

Eodem fere tempore Horbati vel Croati aduenisse ex Babiis montibus a *Porphyrogeneta* memorantur. Istorum montium detectio scriptoribus crucem figit. Sed sciendum est, Garbatorum (a quibus Garby, quod Venedice montes significat) vel Krempakorum (Carpatorum) montium

montium nomen vnum esse, populumque Carporum, seu Carpiorum, ibique olim mansisse, et inueniri inter eos vnum eumque a reliquis separatum satis protensum, eminentemque Biabia gora, id est, Vetulae montem (ex figura sua expressa) appellatum. Hic mons ab vno latere Polonici juris est, ad castellum Landscorona dictum pertinens, ab altero ad Hungariam pertinet, hodienum Babius mons appellatus. Ex hoc patet, Slauos ex Polonia in Croatiam habitatum venisse, alteros vero, qui in Dalmatia consederunt, ab vlteriori Danubii ripa et Lacu Mysiano, hoc est, ex Mysia, emigrasse.

Carniae quidem principem vrbem Aemonum, quae nunc Laubacum est, et superiorem Carniam, nec non inferioris Carniae partem et Cillensem regionem *Paulus Diaconus* putat tardius adhuc a Longobardis possessam. Sed Slauos iam tunc eam inhabitasse regionem, *Baroni Valvassori* sententiam suam non contemnendis argumentis firmanti credere possumus. Ita is: *Paulus Diaconus putat, principem Carniae vrbem, quae nunc Laubacum, et superiorem Carniam, nec non inferioris Carniae partem et Cillensem regionem tunc temporis a Longobardis adhuc, reliquam vero Pannoniam ab Hunnis vel Auaribus, et postea a Slauis fuisse habitatam. Licet durante adhuc Longobardorum in Iapydiam (quae Illyrici pars est) et Carniae partem imperio aduenae Slaui iam meliorem regionem occupauerint. Quod si igitur Paulo Diacono credere licet, Longobardos in Slauorum prouincia Azellia appellata regnasse et tributa inde percepisse (id quod accidit inter annos 520 et 540.)* aliter opinari non potuerimus, nisi Slauos quidem iam diu in Carnia habitasse, sed partim Longobardicis, partim Bauaricis Ducibus vectigales subiectosque fuisse, donec Franci totam

p. 173.

de Gest. Longobard. lib. IV, c. 38. et lib. VI, c. 57.

tam Carniam et Foroiulium occupauerint, et paulo poſt totum Longobardorum deſtruxerint imperium.

Ann. Chr. 400. *Syneſius* in Oratione ad Arcadium Imperatorem meminit circa hunc annum Slauicae gentis, cuius numerus, animusque ob multitudinem illorum in ditionibus Romanorum, terrori eſſe deberet toti imperio. . . His acceſſerunt alii Saeculo V. ſub Honorio et Arcadio, referente *Blondo*: *Initio ſaeculi V. copias Attilae ſecuti Slavi cum Volgaris, Thuriis etc.* illumque in Ducem ſuum elegerunt, teſte *Fredegario*, ſcriptore Saeculi VIII. continuatore Hiſtor. *S. Gregor. Turon.* *L. I. Hiſt. Dec. I.*

450. Circa hunc annum *Cangius* duplicem ſtatuit Slauorum ex omnibus medii aeui ſcriptoribus migrationem.

453. *Attila mortuo*, vt autor notatione ſexta probat: *Sauromatae vero, quos Sarmatas diximus, et Cemandri, et quidam ex Hunnis, in parte Illyrici ad caſtrum Martenam ſedes ſibi datas, coluere.*

455. *Sarmatarum partem, domicilia in Illyrico cepiſſe, Imperatore Martiano regnante.*

Iam ex *Abbate Orbino* ſeriem rerum a Regibus eorum geſtarum hic inſerere a re non alienum putauimus.

495. Circa annum 495. ſcimus Swewlad Regem tres habuiſſe filios, nomine Brus aliis Prus, Totium h. e. Totili, et Oſtroilum id eſt Oſtrouoy, qui in Pannoniam fecerunt inuaſionem. Intrant deinde in Templanam regionem verſus Dalmatiam, vbi obuios habuerunt Duces Dalmatiae Iſtriaeque. Pugna commiſſa victores abeunt, Duxque Iſtriae cadit. Totius inde totam Italiam vaſtando peragrat ad Siciliam vsque, ſed breui moritur.

502. Swewlad peregrinis ſcriptoribus Senutatus I. moritur, ſucceditque ei Bruſius primogenitus, hocque ſine prole mortuo Oſtroilus Pater Senulati II. frater ex altera vxore Lechi et Czechi.

Swew-

Ann. Chr. 525. Swewladi I. filius Ostroilus, Illyricum inuadit, Dalmatiaque ad mare vsque occupata, in Praeualitana consedit.

Inde Swewladum filium suum mittit ad expugnandam septentrionalem Illyrici partem.

533. Imperator vero certior de ea re factus, mittit exercitum contra Ostroilum in Praeualitanam, vbi Ostroilus in certamine caeditur. Post eius mortem fratres Lechus et Czechus honeste cum Swewlado siue Senulato II. viuunt. Videntes autem Selimirum, nepotem ex fratre, adultum esse capacemque regni, et iam successorem a patre declaratum, praeueniendo fata Senulati, nec multum confidentes iuuentuti Selymiri, consentiente Swewlado, ad extremos limites dominii eius recedunt. Lechus autem venit ex vicinia Praeualis et Zantae, vbi fuerat Swewladi et Selymiri amplissima possessio in mediterranea Dalmatia, crescens ex pactis et foederibus, Terbuniis, Zachlumiis, caeterisque gentibus Slauicis, ibidem manentibus iuncta. Ex patria igitur Lechus egressus perrexit directe per varias prouincias ad Chrobatos albos, illorum etiam nonnullos in nouas colonias trahens, vnde omnes aduenae pagani fuerant.

547. Sub hoc anno *Bollandus* ait: Slauos transito Danubio, inter alias prouincias Carinthiam obtinuisse, diuque sine Rege fuisse. Ex *Procopio* haec desumsisse *Bollandum* memorat *Balbinus*. Ita enim *Procopius: Sub idem tempus Sclauenorum copiae traiecto Istro flumine totum Illyricum etc.* Liburniam scilicet et Dalmatiam, quas Illyrico hic comprehendi ex *Ptolemaeo* et *Plinio* Cl. Assemannus vult.

Bollandus Actis SS. ad 6.Febr. Comment. praev. §. 9.

568. Anni 568. Slauos in Carinthia iam tum validos ab Alboino in Italiam ductos testantur varii, iique probatissimi scriptores.

Paul. Diacon. Longin. l. II. c. 26. Crantz. Sa-

Ann. Chr. 620. Vſeuladus ſiue Swewladus patris mortem vlciſci meditans, in Bosniam hoſtili animo intrat, et cum nullas imperiales copias obuias haberet, ad patrium regnum recuperandum ſe conuertit.

xon. lib. I. c. 29. *Megiſer. Chron. Car.* l. 5. c. 14. *Wertenbagen de Ciuitate Hanſeat. Tract.* I. *gen. part.* I. c. 4. *membr.* 4.

660. Swewladus II. filium habuit Selimirum, vel Selomirum: imperium eius a Valdeuino protendebatur ad Poloniam et inde ad mare vsque; Chriſtianae fidei non parum fauit, et cum eius aſſeclis pacta iniit; ann. regnauit 20.

690. Inde Wlad ſeu Wladan in pace regnauit. Sub eo Bulgari iterum aduenerunt, cum quibus, vt Slauica adeoque affini gente, de pace ſeruanda conuenit.

720. Filius eius Radmirus, neglecto aui exemplo, Chriſtianorum peſſimus fuit inimicus.

Inde per ſaeculum et quod excurrit quatuor Reges fuerunt, rerum geſtarum memoria non admodum nobiles, quos

840. Suantimir, id eſt, ſacram precem colens, ſecutus eſt tempore Stephani Papae, qui Conſtantinum Philoſophum, alias et Cyrillum dictum, in iſtas regiones Chriſtianam doctrinam praedicatum miſit; ab hoc etiam

verſus ann. 886. Budimir, Rex Dalmatiae, ſacro lauacro ablutus, nomen Suatopelci, id eſt, ſancti iuuenis, aſſumſit. Factum id eſt tempore Michaelis Imperatoris et Stephani Pontificis Maximi, qui Legatum ad eum miſit Cardinalem Honorium, a quo Suatopelcus Rex conſecratus fuit.

Ab eo regnum in prouincias diuiſum fuit.

En iam quae ex probatiſſimorum Scriptorum auctoritate annotanda eſſe duximus ad hiſtoriam Sarmato-Slavorum, in Moeſia, Illyrico, Croatia, Carnia et Carinthia ſedes habentium. Iam ad eos Slavos progredimur, qui magis verſus ſeptentrionem in Mysnia, Bohemia, Polonia,

lonia, et vicinis prouinciis, imo et in Batauia et adiacenti regione habitarunt.

De epocha vero aduentus Daleminciorum, et Obotritarum, et Vilcorum ſcriptores varias fouent ſententias. Mihi quidem illa maxime arridet, quae grauiſſimis plurium ſcriptorum teſtimoniis firmata, Venedos ſeu Slauos Viſtulae fluuii in Sarmatia ſeu Polonia accolas demum circa praelii Catalaunici tempora, id eſt, anno Salutis 451. vel 455. patrias reliquiſſe ſedes, transmiſſaque Viſtula eas Germaniae terras inuaſiſſe, quas olim Vandali poſſederant, et iunctis Vandalorum reliquiis conſediſſe primum in iis locis, vbi nunc ſunt Ducatus Pomeraniae et Megapolitanus: deinde vlterius progreſſos occupaſſe non ſolum eam partem, quae nunc Marchia Brandeburgica et Misnia dicitur, ſed traiectis etiam Albi et Sala fluuiis exegiſſe Hermunduros, et protuliſſe fines ad ſiluam vsque Thuringicam, vbi adhuc duo Thuringiae fluuioli Sorbecz et Lugwicza Slauica obtineant nomina. Confer. *Iornandes*, qui ad ann. 330. hanc migrationem refert, cum Vandali primas iſtas oras relinquerent.

Auentin. Annal. Boior. lib. 2. et 3. *Brotuffius in Chron. Anhalt. Spangenberg. in Chron. Querfurt.* lib. I. cap. 14.

De reb. Gotic. cap. 22.

In iſtorum ergo ſeptentrionalium Misniae praeſertim incolarum hiſtoria annus poſt Chriſtum natum 451. quaſi magnus Platonicus fuit, cum in eo omnes ſcriptores conueniant, magnam iſtorum in eas regiones factam eſſe immigrationem. Nobis hic nonnullorum tantum teſtimonia adduxiſſe ſufficiat, quae maxime ad rem facere videantur. *Zacharias Rivander* in Chronico Thuringico ann. 1571. edito ait: *Anno 451. Slaui et Wendi, qui in Pruſſia ad Viſtulam conſederant, ſedibus ſuis relictis veterum Vandalorum ſedes ad Viadrum et Spream eiectis Sueuis occuparunt, et iis in locis, vbi nunc Pomerania et tractus Megapolitanus eſt, ſedes nouas fixerunt. Inde progreſſi* p. 26.

 ſunt

sunt in Marchiam Brandeburgicam, item in Misniam Thuringiamque. Et tunc etiam multi Venedorum ad Salam venerunt, eiectosque Hermunduros vel Misnios, qui inter Albim Salamque habitabant, ad fines Bohemiae progredi coegerunt. Praecipue ipsis eripuerunt Salinas, et locum, vbi nunc Hala est, Dobrebora (Dobrybor) vel Dobresol, i. e. bonum sal nominarunt. Sic quoque aliis vrbibus villisque ex sua lingua indiderunt nomina, hodienumque adhuc maxima villarum in Thuringia, Misnia, et montibus Herciniis pars Venedicis appellatur nominibus.

David vero *Pfeiferus* in Originibus Lipsiensibus 1698. editis, pluribus de hacce Slauorum immigratione loquitur: *Reuersus deinde,* ait, *e Gallis Attila in Duringiam cum* p. 38. *Sarmatis venit, ibique hibernans et conuentus principum agens haesit diutius. Habeo auctores hoc anno, qui Christi nati 451. fuit, Slauos deinde siue a Sarmatis, siue a Sorbis, quod ad fidem pronius est, Sorabos dictos, pedem in Ost-Duringia posuisse, et ab his postea omnem illam oram, quae a Sala flumine ad Albis fontes porrigitur, occupatam fuisse. Iam ante Hermunduri, qui ripam superiorem Albis circa fontes coluerunt, cum Marcomannis ad Istrum profecti fuerant, Ost-Duringi vero in pugna Catalaunica (qua millia hominum centum et sexaginta cecidisse traditur) tam Hunnis quam Francis militantes aut occubuerant, aut rari admodum in patriam redierant, ita vt Slauos Sorabos cum Attila reuersos et commorationis, in Ost-Duringia diuturnioris occasio, et loci a cultoribus vacui opportunitas, et taedium denique belli ad Istrum perpetui in Ost-Duringia viris exhausta retineret, vbi et coniugiis foeminarum, quarum mariti in praelio Gallico ceciderant retinebantur.* Idem scriptor de Salinis ait: *Salinas Halenses Sorabi occuparunt, et a salis praestantia* p. 53. *Dobribor nomine significarunt; alterum insuper fontem, quod hodierno*

hodierno adhuc die vocabulum Venedum retinet, aperientes, inde a Halae Serbiam a ſuo nomine dixerunt, ſed caſtellum et Mezibozum, Magdeburgum nunc dicitur, aedificaſſe ipſos, Cromerus tradit.

Nec minus inſignia *Pfeiferus* de poſterioribus Slavicarum coloniarum incrementis habet: *Cumque primum,* ait, *ad Albim et Salam Sorabi opibus invaluiſſent, et in tanto, quantum amnes hos et Sudetos montes interjacet campos, aequore laxe adhuc habitarent, improbabile equidem non eſt, aliquot poſt, plures Slauos, ad Sorabos ſibi cognatione conjunctos in Miſniam perueniſſe ex Dalmatia, quam Romani a Sarmatis aliquoties appetitam, ſubinde tum adhuc armis repetentes infeſtam bello faciebant. Idque non abnuere videntur ſcriptores, qui tractum illum ad Albim, in quo Miſnenſe oppidum eſt ſitum, Dalmatiam et eius incolas Dalmatas vocant. Nec me mouet, quod Merſeburgicus Antiſtes Ditmarus Gemblacenſi, Gallo-Vrspergio, Crantzio Cuſpiniano et Phrygione vetuſtior auctor Miſniam Germanico-Dalemintiam appellari ſcribit, qua voce vallium incolae ſignificari videntur.* Et paulo poſt: *Cumque per annos complures res Sorabica viribus creuiſſet, et in terra Slauorum alia natio in Bohemiam et Poloniam transgreſſa eſſet, Sorabi non modo Duringos et Saxones, ſed Bauaros etiam, agro, Auentinus ait et alii, ſi potuiſſent, pellere conati fuerunt, tum Slaui, Bohemi et Moraui recentiores in Germaniam advenae a Sorabia vsque ad Pannoniam ſuperiorem intra Quados et Noricos ſe tenebant, ac Sorabis aliquoties juncti, in Noricum excurrentes, praedas agebant.*

p. 40. p. 53.

Ao. 454. Eodem fere tempore, id eſt anno 454. Batavici Scriptores *Beka, Snojus, Eyndius, Ph. Gruterus* aliique Wiltorum, Wilzorumue in Batauia ſedes habentium, amplam mentionem faciunt, vt ſupra memini. Incidit

autem hic annis in Valentiniani III. Imp. vel Petronii tempora. Nec a vero abſimile videtur, iisdem temporibus regionem ad Amiſum fluuium ſitam, vbi nunc Emdae et Oldenburgenſis tractus ſunt, a Slauis Rhedariis occupatam fuiſſe, quorum monumenta adhuc deprehendimus in nomine fluuii Rhedariae apud *Mercatorem* in Atlante occurrentis, et in vrbe Rheda. Vilzi vero illi Batauici vel Slauica Orthographia Wilki, poſtea ſedes ſuas reliquiſſe videntur, cum iſtorum nomen aeque ac antea Batauicum iis in regionibus deperierit. Veroſimile eſt, eos vel a Francis oppreſſos, vel ab Attila adductos in Thuringia et vltra Albim conſediſſe, ibique ſe Vandalorum reliquiis et a Viſtula aduenientibus Venedorum coloniis junxiſſe.

Iam vlterius pergendo in chronologicas eorum, quae
Ao. Chr. 495. ad Slauos ſeptentrionales pertinent, diſquiſitiones, inuenimus anno 495. regnaſſe in quadem parte ad Albim Regem Atalaricum, qui cum Slauorum Venedorumue vires quotidie increſcere non ſine metu videret, relicta Bohemia, Sileſia et Luſatia gentem ſuam ad Danubium, Rhenum et Necarum duxit, ibique ſedes fixit. *Auentinus* lib. 3. *Balb. Dec.* I. lib. 2. cap. 7. *Weleslauinus in praef. in Silu. Cuth. Pubitsckka.* p. 11.

508. Marcomannos, vel potius reliquias eorum tantummodo, qui hactenus Slauis intermiſti vixerant, cum iam eorum dominationem amplius ferre nollent, Bohemia relicta Alemannis Boiisque ſe iunxiſſe *Schikfuſius*, et ex eo *Manuſcriptum Bibliothecae Vindobonenſis*, et *Chytraeus* referunt. *Annal. Siles.* *Lambec. l.* 2.

520. Quos ſupra iam in Miſniam, Brandeburgiam et Saxoniam immigraſſe Slauos diximus, eos nunc et in meridionali Thuringiae parte habitare iam certo ſcimus. *Chronicon Coldicenſe*, et *Erfurtenſe*, Bohemiae Slauos eo ſe extendiſſe affirmat. *Ekhardus, Venedi,* ait, *Slaui aliter etiam Sorabi dicti, vti olim Attilae adhaerentes, ſic et nunc cum Hunnis* *Miſcell. a Ludeuigo vulgat.* c. 8. *apud Menkeen..* Tom. III. *De reb. Francic.* lib. 8. c. 2.

Hunnis in Thuringiam irruerunt, ibique perſtiterunt, nouis ſedibus locatis.

Ann. Chr. 530. Tatonem, quem Craconem potius crediderim, in Slauos, Morauiae hodiernae incolas, imperium habuiſſe, *Lazius* refert, eumque eſſe, qui Longobardos in Morauiam allexerit. Ex *Paulo Diacono* id ille coniicit, qui eos ex Rugiland in patentes campos, Germanice Feld, conſediſſe ſcribit. Vnde Auſtriae trans-Danubianae tractui nomen Markfeld adhaeſiſſe, *Iordanus* putat. *Lib. 12. de migrat. gentium.* *Origg. Slau.*

569. Poſt Clotharii Regis Francorum mortem, quae anno 561. accidit, incitati a Saxonibus et Thuringis Slaui, *Paulo Diacono* teſte, Francos aggreſſi a Sigeberto in Thuringia prope Albim ſuperati ſunt. Altera pugna victores ita cum Sigeberto compoſuerunt, vt in pace vtraque pars diſcederet. Ex computo *Cl. P. Pray* anno 567. hoc factum eſſe debet. *Ekhardus* addit, Venedos, Slauos, ſeu Sorabos Bohemis vicinos, qui Auarum ſocii erant, bona Francorum venia, terras inter Salam Albimque obtinuiſſe. *Lib. II. c. 10.* *Lib. II.*

Licet vero ex ſupra dictis pateat, Slauos ſeptentrionalis Germaniae incolas ex Batauia, et a Viſtula ad Albim confluxiſſe circa ſaeculi quinti medium, tamen ideo a vero abſimile non videtur, et ex Illyrico coloniam Heneto-Slauorum, qui iam quarto ſaeculo, vt probauimus, inferiorem Pannoniam, Illyricum, Albaniam, imo Macedoniam ipſam tenebant; et prope Albim communes cum ciuibus ſuis ex Sarmatia aduenis fixiſſe ſedes. Occurrunt enim in Slauica hiſtoria et tribuum et Principum nomina, quae in Illyrico in vſu erant, ad Albim quoque vſurpata. Imo vero iure dici poteſt ex plurium fide digniſſimorum ſcriptorum auctoritate, regionem inde ab Adria ad trans-Viſtulanas vsque plagas totam fuiſſe Venedorum.

Maxi-

Maximum vero huius ſententiae, quod nempe ex Illyrico venerint Serbi Sorabiue et Dalmatae aut Dalminci ad ſuos, teſte Longino, id eſt ad Vandalos et Venedos Albis accolas, argumentum in eo eſt poſitum, quod in Bohemia Poloniaque, nec non ad Albim et in Pomerania, quae antiqua fuit Vandalia, et cuius gentis olim ſedes fuit Stolpen, non vrbium ſolum, pagorum, fluuiorum et montium nomina conueniant cum Dalmaticis et Croaticis, ſed etiam familiarum. Sic Boskovicz, Houora aliique ex Carinthia oriundi ab immemoriali tempore in Bohemia ſederunt, *teſte Balbino.* Pari modo in Polonia habemus familias Dalmaticas et Croaticas Tycibor, Scibor, Tabacz, Sorad, Horay vel Horwar, a quibus illuſtriſſimae noſtrae familiae ſunt exortae.

Et haec ſunt, quae ad illuſtrandam chronologicam rerum ad Slauos Germaniae tam meridionalis quam ſeptentrionalis incolas pertinentium ſeriem annotanda duximus; Iam eos in vtraque plaga bene firmatos relinquentes, ad res Croaticas Serbicasque altius indagandas nos accingemus.

§. II.

DE INITIIS EORUNDEM IN SERVIA ET CROATIA, QUIBUS SUNT OBSERVATIONES ADDITAE.

Chrobati, quos hodie appellamus Croatas, [1]) Slavica

1) Hiſtoriae Byzantinae id eſt proprium, vt omnia nomina, omnia loca externarum Gentium, ſemper mutilentur. Haec Croatorum nomen male a Graecis et Latinis, inprimis a *Porphyrogeneta* et aliis, Chrobati

vica gens, [2]) tunc vltra montes Carpaticos [3]) habitabant, qui Hungariam a Polonia ſeparant. [4]) Diuiſi erant in plures principatus minores, quos Lupanias nominabant, voce ea Slauonica, regionem ſignificante. [5]) Quinque iſtarum

Chrobati enunciatum eſt. Nec hoc mirum videri debet ei, qui conſiderauerit dicta Cl. *Sablierii.* Is, *Climata*, ait, *vel montibus vel paludibus obſita, vel ardentia, nouum efficiunt organorum linguae diſcrimen, vnde id oritur, quod hodienum adhuc accidere videmus. Quod in ore Galli B eſt, fiet P in ſermone peregrini, cuius iam craſſior eſt lingua; apud Germanos in V mutabitur, quod fere vt F pronunciant; idemque accidet in D et T.* Tomo I. p. 30.

Homines ſeparatim viuentes mox in populos coaluerunt ſecundum pronunciationis conuenientiam; vbi iam ſedes fixerant, rempublicam legibus datis conſtituerunt, inde nouis in lingua vocibus opus erat, quas quisque populus ſibi effinxit.

In propria Croatorum lingua quaerendum eſt verum ipſorum nomen, in qua quidem appellabant ſe ipſos Horuatos aut Haruatos. C equidem ante h hodienum vsque plerumque adiicitur, ſed ex mutatione litterae v in b pronunciationem Graecam cognoſcere licet. Horuati Slauice eſt montani, aut homines, qui montes aſyli loco habent, quales ſunt Horuaty et Houaty, nempe Horby vel Harby Bohemis, Morauis etc. montes vnde venerunt, et de quibus apparebit, cum Chrobati in Slauico idiomate omnino nihil ſignificat.

2) Slauica quidem gens, ſed quae nullam habuit coniunctionem cum antiqua familia Dalmatica. *Conſulatur Cangius.* Adeoque diverſae tribus fuerunt.

3) Nomen montium Crapacum etiam per ſcriptores fuit mutilatum, hodienum autem adhuc incolae eos appellant Krecpaki, quos Kracpaki ſcribunt, id eſt, tortos, vel gibboſos eos quis diceret, nam ad transeundos eos opus eſt ſequi tortuoſos anflexus variorum torrentium, qui ſoli viam in montibus aperiunt. Inde vero nobis mox de falſitate reliquarum opinionum de nomine iſtorum montium liquebit.

4) Hoc recentiore modo dicitur, nam tunc neque Polonia neque Hungaria his nominibus erant notatae, ſed montes ſeparabant Pannoniam a Sarmatis, qui et a laeua Pannoniae, verſus Morauiam et Bohemiam a Germanis, vt *Tacitus* ait, montibus et mutuo metu ſeparantur.

5) Lupaniarum nomen nemo mirari debet. Satis metaphorice ſumtum, maleque explicatum fuit, nam ſicuti Ban latine Banus ob mutatum P in B peſſime ſcriptum eſt, ita Pan Slauice eſt Dominus, et Lupania paruulus aliquis Principatus, vel qui a ſummo Dominio dependet. Sic etiam appellabantur

rum Lupaniarum ſub quinque fratrum imperio vnitae a reliqua gente ſeſe ſeparant, et Danubio transiecto in Dalmatiam pergunt: [6]) vnde poſt plurium annorum bellum, Auaribus

tur In-Pan, quod idem fere eſt, et Latine ſonat Iam-Dominus, vel Vice-Dominus: verbo Geſpan v. g. magnus Geſpan Varadinenſis, vt alii ſcribunt, eſt male pronunciatum, nam G pro I accepta, ideo Ieſpan olim dicebatur Iego mitoſc Pan, h. e. Noſter amor, Dominus, et quod a Graecis ſumtum.

6) Hi quinque fratres et duae ſorores erant Clucas, Labellus, Caſentius, Muchlo et Chrouatus; Tuga, Puga: ſed omnia ea nomina ſunt mutilata, et potius Latina, vtpote Labellus et Coſentius, neque Chrobaty, rectius Horvaty, eſt nomen tam hominis, quam montanae regionis, nam in nullo auctore eorum Genealogiam inuenimus, cum tamen apud *Porphyrogenetam* Principum Regumque Croatiae occurrat Genealogia, et in *Diocleate* Principum Seruiae et Dalmatiae. Ex Diocleate vero ita hanc Genealogiam, quam ex fundationibus, erectionibus eccleſiarum aliisque monumentis compilauit, extrahere quisque poterit. Sfioslaus I. (*Slauice eſt Sveuladus*) *licet vnum tantum reliquiſſet Principatus ſucceſſorem Bruſium, natu maximum, attamen tres habuiſſe filios certum eſt, ſcilicet Bruſium, Totium et Oſtroilum. Sfioladus ſub Imperatore Anaſtaſio* (*circa annum* 491.) *principatum geſſit, eumque pleno iure Bruſio reliquit. Totius autem ſiue Totila iunctis armis cum Oſtroilo verſus Pannoniam proficiſcentes dexteritate ſua prouinciam Templanam,* (*vbi nunc Hungariae pars,*) *deinde Dalmatiae magnam portionem occuparunt. Totila quidem acquiſita fratri reliquit, ipſe vero excitatus fama ſuorum Gothorum, cum parte exercitus in Italiam perrexit, et rebus glorioſe geſtis eo peruenit, vt poſt Vitigem a Beliſario captum ipſe a reliquis Gothis Rex fuerit electus. Oſtroilus autem reliqua Dalmatia, Illyrico ac Myſia inferiori potitus, tandem Bruſio ſteriliter decedente, ſiue* (*vt alii volunt*) *occiſo, in Praeualitana regione* (*quae eſt pars Macedoniae*) *ſedem poſuit Iuſtiniano Imperatore. Volens autem verſus Septemtrionem ampliare Principatum, Swewladum filium ad vicinas gentes miſit, quo ibi commorante, Graeci potentiam Oſtrouoy, ſeu Oſtroili metuentes, in illum ferme inermem irruerunt eumque oppreſſerunt. Quod reſciens Swewladus, ab expeditione rediit, paucos Graecorum inueniens, eo quod ſe Slauis reſiſtere deſperaſſent, quos inuenit, interemit, regnumque poſſedit, ſedem regni transferendo in Waldevino.* (Slauice Wendigrad, quae tunc Germanis Wendiſch Mark dicitur, teſte *Cluuerio*:) Id contigiſſe primo anno Belli Gothici, id eſt, circa annum 530. colligit ex *Procopio Daniel Farlatus* in Illyrico ſacro. Introduct. Geogr. l. 3. c. 12. §. 2. Tom. II, p. 178.

Auctor Catalogi Romani, qui ponit Reges Dalmatiae Orientalis,

Oſtroi-

ribus eiectis, regione potiti Chrobati, per littus Adriae, inde a montibus Istriae vsque vltra Dyrrachium sese extenderunt.

C 2

Ostroilum, Seuioladum, Selimirum, Vladanum; in Dalmatia mediterranea, seu Serbia, Selimirum et Budimirum; in Dalmatia occidentali seu Croatia, Corbatum et Porynum. Iidem enim sunt, qui prius enumerati fuerunt. Et Selimiri non duo computandi veniunt, sed vnus Dalmatiae et Serbiae Princeps. Corbatus siue Horbatus, quasi dicas gibbosus, si idem est cum Horywoy, aut ipse Selimirus erit, cognomine hoc adiecto, aut filius eius Croatiae, siue Horbatiae Princeps. Namque sortiri potuit a gibbositate, quae forte non tam personam, quam regionem possessam respiciebat. Horb enim et Hora Slauis sunt Synonima, montem significantia. Illi autem, qui ab auctore Catalogi Romani superadduntur, scilicet Corbatus, Radymirus et Budimirus, filii Selimiri esse creduntur, inter quos ipsemet Selimirus terras armis vindicatas diuisit. Quia vero Corbato successisse dicitur Porynus (rectius Horynus seu Gorynus, auito nomine) de facto plures huius nominis fuisse permittendum. Iste autem Porynus primus dicendus est. — *Luccarius* et *Cangius* vxorem Selimiri, filiam Istoki esse dicunt. Videtur tamen Selymirus satius Iustiniani filiam duxisse, Istoki autem sororem Ostryllo nupsisse. Istokus namque conuixit Iustino I. cuius sororem sibi copulauit (vt suppono) ante assumtionem ad Imperium, et parum vel nihil superuixisse, creditur Iustino, qui decessit anno Christi 527. Selymirus autem tunc vix natus fuerat, vtpote qui Patri Senulato II. successit anno 547. vel 566. adeoque senem iam et prouectam duxisset vxorem. Conuenit autem melius in vigore ac aetate cum viro suo Bigleniza I. siue filia Iustiniani, qui decessit anno Christi 565. adeoque Iustinianus potuit Selimiro beneficia maiora praestitisse, non solum quod illius gener, sed et consanguineus fuerit. Res vero notatu quam maxime digna est, et nomen Vistulae, et familiae in Zachlumia et Narentana regnantis,(a fluuio nominato Ienisc.) et genealogiam non ignorasse Constantinum Porphyrogenetam, vt quidem ex loco patet, qui in opere de administrando imperio occurrit, et quem in Lecho meo amplius pertracto. Nominum autem terminationes in istis Genealogiis plane diuersae sunt. Priores erant Tiestymir, Tirpimir, Mutimir etc. Alteri erant Boleslaus, Vladislaw, Rodoslaw, Tomislaw: quod istae duae familiae, quae regiae aut Principum erant, in auxilium contra Auares appellauerint quinque Lupanos seu Vice-Dominos. Quod vero primi ii non fuerint, qui ex ista regione aduenerant, apparet ex vestigiis nominum sepulchrorum, et priorum Prin-

C. XXXIII. p. 103.

tenderunt. Cum minus, quam Auares, imperio timendi essent, Heraclius istam regionem defendere ipse non valens, non solum non impediuit eos, quo minus ibi sedes figerent, sed potius ipse eos iuuit, cum quasi propugnaculum essent ad repellendos Auarum impetus. Maritima quaedam loca solummodo retinuit, principalesque sinus Adriatici insulas, et subiectos habuit summo ipsius imperio Chrobatos. Aduenientes idola coluerunt, sed cum imperio coniunctio ipsorum vtilior multo extitit eis, quam occupationes ab ipsis factae. Heraclarnas, Heraclii in imperio successor, vel aliis autoribus Constantinus Pogonatus, Maximo Pontifici persuasit, vt Episcopum et Sacerdotes mitteret, qui eos Christiana doctrina imbutos, sacro lauacro abluerent. Primi ii ex Slauis, qui Christianam fidem amplexi sunt, ritum equidem Latinum sequentes. Iohannes Pontificis legatus fuit primus, Spalatrensis Episcopus, et hodienum adhuc istius vrbis Episcopus Dalmatiae et Croatiae est Primas. Papa ipsis imposuisse fertur, vt sacro lauacro abluendi, iam iureiurando promitterent, se nunquam inuasuros esse aliorum prouincias, sed in pace cum vicinis victuros, et ipse iis fidem dedisse dicitur, si iniustas aliorum aggressiones paterentur, fore, vt Deus et S. Petrus Apostolus, ab ipsorum partibus stantes, victoriam ipsis darent. Iusiurandum istud sancte obseruantes, ab omni erga alios iniuria abstinuerunt, licet subsequentibus temporibus adeo potentes facti essent, vt centum millia peditum et sexaginta millia equitum, nauesque in mari haberent centum et quinquaginta. Verum equidem est, minora tantum fuisse ea nauigia, quorum maxima

Principum, quae *Presbyter Diocleas*, saeculi undecimi initio florens, collegit, et quibus nititur *Cangius*. Res ipsa sine aliis, quae mox sequentur, argumentis, manifesta et clarissima apparet.

maxima vltra quadraginta homines capere non poterant. [7]) Haec noua Croatia ab antiqua illa cognomine baptizatae fuit distincta, altera appellabatur Belochrobatia, id est, magna Croatia, vel alba Croatia, cum Slauica vox vtramque sustineat explicationem. [8]) Prosperi hi Chrobatorum successus nouam barbarorum coloniam adduxerunt. Serbli, quos nos Seruos appellamus, pronunciationis Slauicae mitigandae causa, [9]) eadem pro se a Heraclio petebant, quae

7) In omnibus his, quae ad Remp. eorum, ad receptionem verae fidei, et ad tranquillam vitam pertinent, nihil iam addi potest. Sed hic ad fidem auctorum prouoco, (qui expresse id affirmant,) an vnius solummodo regni spatio quinque Lupaniae potuerunt accrescere ad centum sexaginta millia copiarum terrestrium, et ad tantas praeterea vires, vt exstruerent classem, quae ad ipsius Cl auctoris *Dn. Le Beau* rationes, septem millia trecentos et octoginta homines requirebat. Lupaniae tunc species quaedam erant cohortium, quae raro mille hominibus maiores numero erant, et diuerso, vna ab altera loco, castra habere adsuetae eaedem erant, quod Saxonici auctores appellant Pagos, Slauici autem Okolica. Alia adhuc addere possem huius rei argumenta, sed subsequens articulus sufficienter probabit, iam alios fuisse Croatiae Principes.

8) Quid vero ipse Porphyrogeneta sibi vult cum distinctione illa nouae et antiquae Croatiae? Nonne simul aduenerunt quinque illae Lupaniae, seu Iupaniae? et quidnam hic rei est antiqua Croatia? Res ipsa clara est. Regio recens aduenientium appellata fuit Croatia noua, cum antiqua possideretur a Principibus multo antiquioribus. Sic ipsa Belochrobatiae vox, quam auctor modo citatus male intellexit, duas species nouae et antiquae Croatiae distinguit. Nam noua aut baptizata Croatia appellabatur Belochrobatia, id est, Croatia, per baptismum alba facta, vel candida; altera vero Velochrobatia, quod Slauice significat magnam aut antiquam Croatiam, quae et nigra aut pagana dicebatur. Erronee adeo quis crediderit, Belochrobatiam vtroque modo posse explicari, Belo album et Velo magnum solummodo significat. Sed Graeci semper pro V, B substituunt.

9) Quod ad Serbos attinet, cum dignus ille scriptor initium faciat a diuersis pronunciationibus nominum ipsorum, mihi ante omnia dicendum est, quod inter se appellati fuerint Serhi, et quod ex h clauso orta sit vox Serbi. Prima vox Slauice animosum aut audacem designat, Serbi autem vel Serui Slaui-

quae Croatis concesserat.[10]) Hic populus etiam ex Slavorum gente erat, ex Sarmatia Asiatica progressus, nec vero absimile videtur, esse eos Ptolemaei Serbos, quos circa Volgam constituit, vnaque cum Bulgaris, vicinis suis, in Europam transiisse.[11]) Ab occidente Danubii sedes suas

Slauicum non est, sed et hoc extra dubium positum est, quod inde non venerit, quia bello capti in seruitutem redacti fuerint. Sic etiam sola vocum Serhi vel Serui similitudo idem effecit, quod inter Slauoniam et Esclauoniam, quae tamen res iam auctoritatem perdidit. Nam haec nomina ex odio inimicorum fabricata sunt, nec *Porphyrogeneta* vnquam eos aliter, quam Slauos appellat.

10) Quod Serhi vel Serbi isti etiam a Heraclio sedes petierint, historiae credere oportet, quae expresse id dicit, sed nomina Principum Borges, Borga, nobis ostendunt, diuersam eam fuisse lineam a Svevlado, Ostrovoy, Selomir, testibus *Germano* Capuano et *Sabino*, Carusiensi Episcopo. *Diocleas, Michael Salonitanus* multum laudatus a P. *Bandurio*, Abbas *Orbinus*, ambo *Luccarii* et *Porphyrogeneta* ipse in eo conueniunt, vt apparebit consulto eius de Dalmatia themate, alias enim sibi ipsi contradiceret.

11) Si vel iidem Serbi essent, quos Ptolemaeus constituisse videtur supra fluuium Vdonem, qui et ipse, sed longe, vltra Volgam influit mare Caspium: saltim hi vltimi Serbi, qui cum Bulgaris venire debebant, neque illi erant, qui iam in Illyricum venerant, neque alteri, qui ad Albim, imo vltra hunc fluuium sese extenderant, semper Sarmatae. *Michael Salonitanus* in suo de Dalmatia tractatu, scripto anno 1010. et *Diocleas* mortuus anno 1061. dicunt: sub quinto Rege Radmir venisse Bulgaros, istumque Regem ob linguae conuenientiam pacem cum illis fecisse. Primus horum scriptorum non parum aestimatur a P. *Bandurio* in notis ad *Porphyrogenetam*, alter vero a *Cangio*. Nam Serbi aut Sorabi in duas partes sese diuiserunt: altera pars eorum, quos *Laonicus Chalcondylas* in antiqua Triballia et superiore Mysia constituit, quo ex Septentrione aduenerunt, antiquaque Soraborum sedes supra Maeotidem teste *Plinio* fuit. In *Abr. Ortelio* legitur, Serbinum vltra Tibiscum in Pannonia inferiori, et longe vltra Danubium; quod pro his scriptoribus militat, qui in Illyrico, Macedonia, Albania, linguam Serbicam aiunt fuisse olim vsitatam.

Caeterum confiteri oportet, quod tribus quaedam Slauorum, fortasse ipsorum Serborum cum Bulgaris fuerit. In noua Tabula *Abrahami Ortelii* inuenio populum, qui montes Serrorum inhabitabat, teste *Ammiano Marcellino*, inaccessibiles

suas fixerant, in ea regione, quae hodie appellatur Hungaria inferior. Cum nimis angustis finibus circumscripti in illa prouincia essent, quippe cuius partem Abares occupauerant, diuiserunt sese, et dimidia gentis pars ab Imperatore terras, vbi habitarent, petiit, [12]) qui ipsis dedit regionem Thessalonicae vicinam. Quia vero et hic nimis anguste habitare sibi viderentur, relictis his sedibus Sauum Drauumque rursus transgressi sunt ad ciues suos reuersuri. [13]) Mox autem poenitentia leuitatis capti iterum

biles nisi perquam peritis. Erantque inter Alutam et fontes Auchae satis distantes a Danubio, in fronte tamen superioris Mysiae et Pontis Traiani, vrbibus vero Euthesio seu Nouae, Nicopolique inferius ad Istrum oppositis. *Carolus Vagries* Hirros dicit Scyrros, Serros, Serbos, et Syrbos esse vnum eundemque populum. (Lib. I.)

12) Obseruamus occasione huius situs Pannoniae inferioris, quod Tibiscus a superiori illam separauerit, et quod tempore Constantini Magni, id est, versus annum 300. Sarmatae Slaui Pannoniam inferiorem iam inhabitauerint, et vlterius progredi tentantes eos, teste *Auentino*, ipse Imperator ad pacem exhortatus in fidem rursus receperit. (Lib. II.)

Postea, vt *Aimonius* refert, magnam Dalmatiae partem occuparunt. (Lib. IV. c. I.) Altera vero pars per vastos Sarmatiae campos, vbi nunc Polonia est, progressa, in eam Germaniae partem (in hodiernae Poloniae finibus) quae Lusatia dicitur, penetrauit, vnde sese in regionem intra Albim et Salam extendit.

Cum ambae hae epochae antecedant Heraclii tempora, Slauos istos non fuisse nouos aduenas, inde probari potest, et si forte ab Heraclio concessionem petierint, id ideo factum esse, quia aucta Principum familia vno in loco non poterat manere, ex eadem narratione apparet. Cum narratum legatur, quod in duas partes diuisi fuerint, sequitur, vt dimidium eorum, nec petierit, nec ex regione abierit, quae antea eorum fuerat.

13) Non quidem negamus, ab Heraclio concessas fuisse terras Serbis, vt a Probo concessae sunt Sarmatis aliisque, sed hi Slaui non possunt dici nouus populus, nec post Croatos demum aduenisse, quibus multo anteriores sunt, tam ratione occupatarum quam concessarum iis regionum, quod binis obseruationibus illustrabimus. Prima, quod Thessalonicae illius praetensae regionis vicinia proprio suo nomine distincta non sit, ea nec certo ab vllo definiri possit. Thessalonica, hodie Salonica dicta, principalis, vt omnes sciunt, vrbs est Macedoniae. Regio vero Macedoniae

rum ad Imperatorem ſeſe contulerunt, qui ipſis vaſtam regionem ab oriente Croatorum concedebat. Moeſia ea erat, Dacia et Dardania, quae veteri nomine amiſſo, illud nouorum incolarum acceperunt, hodiernam Seruiam Bosniamque efficientes. Serui in omnibus exemplum Croatorum ſecuti, baptizati ſunt, et imperio fideles extiterunt ſub poteſtate propriorum ſuorum Principum. [14])

SECTIO

niae vicina eſt Dalmatia et Moeſia ſuperior. Tum eadem cauſa toties repetita, quod nimis anguſtis circumſcriberentur finibus, ſuſpecta eſt, nam inde concludi poteſt, numeroſos fuiſſe eos; Imperatores autem tunc adeo debiles, prouincias, quas retinere non poterant, derelinquebant. Secunda obſeruatio eſt, quod aliud argumentum adulationis, qua Scriptores Graeci perſequebantur Imperatores ſuos, hoc fuerit, quod Geographicam regionis delineationem non conſulerent; ex Macedonia enim in inferiorem Hungariam reuertentibus nec Sauus nec Drauus transgrediendus eſt. Si vero ad ſuos reuertentes per ea flumina tranſierunt, id in Croatiam eſſe oportet, quae ſuperioris Hungariae eſt, non inferioris. Tandem quae ego de Graecis Scriptoribus nunc dixi, Clariſſimus *le Beau* in eodem opere ita de *Procopio* praedicat: *Procopius minus vera, quam mira dictu et auditu, perſequitur.* (Tom. VIII. L. XXXVII. p. 244.)

14) Res ſatis inculcatas non repetemus, ſed quod Dalmatiae Reges ſecuti ſint Croatorum exemplum, manifeſto aduerſatur omnium hiſtoricorum auctoritati. Conuerſio Budimiri, a baptiſmo dicti Svantopelci, Regis Dalmatiae filii, Suantimiri nimis claſſica eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica, nam a Conſtantino Philoſopho, alias Cyrillo dicto, ſacro lauacro fuit ablutus. Potentia huius Regis nota eſt: Pontifex Max. Stephanus miſit ad eum Cardinalem Honorium et Vicarium ſuum, qui cum duobus aliis Cardinalibus Concilium ſeu Synodum tenuit ad erigendos Archiepiſcopatus et Epiſcopatus, quam ob rem Rex Suantopelk regionum ipſi ſubiectarum iniit rationem, easque in Prouincias et Dioeceſes diuiſit. Argumento huius rei ſunt quae ſequuntur Celeber. Auctoris verba, licet in compendium redacta: (Orbini. ActaSanctor. Aſſemannus.) *Loca ea, quae per fluuios ex montibus ortos et verſus meridiem fluendo in mare ſeſe exonerantes ſeparata erant, appellauit maritimam prouinciam; alteram regionem, diuiſam per aquas verſus Septentrionem fluentes et in Danubium cadentes, Surbiam; fuit maritima prouincia in duas alias diuiſa: a Dalma, ſede tunc Regis, usque Valdevinum ſeu Vinodum, Croatia alba dicta, etiam Dalmatia inferior, cuius Metropolis Salona. Ab eadem vrbe Dalma vsque ad Babalona*

SECTIO II.

HISTORIA SAMONVM, QVI SEPTIMO SAECVLO INTER SLAVOS REGNARVNT, ILLVSTRATA.

Vox Samo dupliciter considerandа est, vel vt appellatiuum, quod Grammatici vocant, nomen, vel vt nomen singulari alicui personae proprium. Slauicae esse eam

lona, hodie Durazzo, Croatia rubra fuit, vel Dalmatia superior, cuius Metropolis Dioclea, et suffraganeae Antiuari Sorbio etc. Surbia vero versus Septentrionem vergens, etiam in duas prouincias diuisa. Vna a fluuio Drino versus occidentem ad Pinium montem Bosnia dicta; altera ab eodem fluuio versus Orientem ad Lusatiam vsque et paludem Labeatem Rascia dicta. Epocha huius rei gestae fuit annus 886.

Fidemne iam habere possumus Graecis Scriptoribus, quod Dalmatiae Seruiaeque Reges imitati sint Croatas, vel potius e contrario per ea, quae inde sequuntur? Praeterea enim multae illustrationes exinde extrahi possunt. Primo magnitudo regionis, quam Constantinopolitani Scriptores Dominis suis in eorum honorem vindicare conabantur, num credere nobis permittit, Imperatores tam notabilem imperii sui partem sponte et simpliciter concessisse? Deinde cum hic de duplici Croatia sermo sit, euidens ergo est, Croatas imitatos esse Dominum suum Svantopelkonem, non vero hunc Principem eos fuisse imitatum. Croatia alba extendebatur a Dalma, sede tunc Regis, vsque Valdeuinum seu Vindovum, vulgo Vinodum: Croatiae rubrae fines. Id quod in antiquis tabulis Geographicis Croatiae videri potest, etiam in illa *Bandurii* in Constantino Porphyrogeneta.

Diocleas Marulus. Thom. Salonitano. Dandulus, Blondus, Sabellicus, Cangius.

Alterum regni ipsius dimidium, vel potius alterum Svantopelci Regnum id erat, quod Seruiam appellamus, quae sub eius posteris diuisa fuit in Regna Rasciae et Bosniae. Sed manifesto Dalmatica Seruicaque potentiora erant, quam Croatica: iique Principes, qui ab Heraclio terrarum concessionem flagitabant, minores natu in familia erant, adeoque nihil regionis possidebant. Praeterea Sarmatae, Antae, et Venedi satis antiqui erant huius regionis incolae. *Porphyrogeneta* eorum in diuersis locis mentionem facit sub tempore Diocletiani, et licet hic quidam dubia moueant, nullam tamen auctoritatem opponere possunt. Quod ad Regnum Constantini Magni, scriptores illud vltra Dalmatiam, id est, in Macedonia et Albania constituunt. Tertia migratio sub Athanasio ponitur, de qua scripsit *Thomas Salonitanus* in Tractatu de Dalmatia, composito anno 1010. et *Diocleas*, qui mortuus est anno 1061.

D

eam originis, idque ſignificare, quod Latine dicitur *ſolus*, Graece μόνος, omnibus iis puto notum eſſe, qui Slauicam aliquam dialectum vel a limine tantum ſalutauerint. Quod vero ad priorem huius vocis ſenſum attinet, quando, vt ita dicam, appellatiue intelligitur, ſiue ſimpliciter adhibita, ſiue cum aliis compoſita, muneris et dignitatis denominationem efficit. Ita quidem Samo inter Slauos, aeque ac Banus vel Panus, proprie Pan (Dominus), dignitatis principalis nomen eſt. Samo-wlad vero eſt Monarcha, vel Samo-derzec, titulus ille perpetuo in Ruſſica regnantium familia adhibitus, ſolum Regnantem, vel imperii gubernaculum tenentem ſignificat. Porro et haec vox in compoſitione plura effecit nomina, inter Slauos regnantium perſonis propria, et in hiſtoria rerum ab iſta gente geſtarum, celebritate ſua reſidua. In antiqua Lechia, quae poſtea Polechia, et temporis tractu Polonia fuit appellata, plures habemus Duces, in quorum nominibus Samo auditur. Samovid, ſolus proſpiciens. 892. Huius nominis in Maſouica linea vel ſex fuerunt Duces. Samomys circa 964. vult dicere: ſolus cogitans i. e. de Republica. In Sarmato-Slauica gente, quae ex Pannonia progreſſa in Morauiam exinde regnauit, plures Principes fuere nominis Samomir, quod ſolum amantem, et Samo-slaw, quod ſolum glorioſum ſignificat; nam Slawa gloria eſt.

Iam ad alterum vocis Samo progredior vſum, cum ſola nomen efficiat perſonae alicui proprium. Et hic plures inueniemus in Slauicis familiis principes, iſto nomine inſignitos. Antiquiſſimus, quem nobis hiſtoria praeſtat, eſt filius Woydewodi, a quo prouincia, quam ex patria hereditate inter fratres diuiſa acceperat, Sambia fuit vel Samobia appellata, alteri regioni, quae Slauania, *Ptolemaeo* Stauania vocatur, vicina. Ad Woydewodi nomen adhuc notandum eſt,

Stryikowski.

est, male illud ita scribi: Woydewodz enim esse debet, quod Ducem significat, inde Woyewoda, seu belli Dux.

Samogitia istis, modo memoratis regionibus adiacens, Samonem aliquem nominis sui auctorem habere debuit, nisi forte ab eo ipso Woydewodzi filio ita appellata.

Porro eodem tempore viuentes duo inuenimus septimo saeculo Samones, vnum, quem *Pessina* inprimis memorat Morauiae regem, alterum, de quo nunc nobis maxime res agetur, Carentanorum Slauorum, et, vt a vero non absimile est, septentrionalium simul Winidorum vel Ducem, vel Regem. Post hunc tandem et alius memoratur in historia, et quidem in iisdem prouinciis, Samo, qui vna cum Dragone sub Waltano quarto a Samone modo memorato Duce Carentanorum, religionis causa turbas mouit. Sed de Samone isto priori, Carentanorum principe, non parum dissentiunt scriptores. Nulla equidem inter eos dubitatio, quod tempore Heraclii Slaui in Norico, id est, in Carniolia, Carinthia et Stiria habitantes, ducem eius nominis habuerint. Cum enim Slaui isti Bauaris antea subiecti essent, sub initium saeculi septimi ab iis defecerunt, et collectis copiis pro libertate pugnantes ad Aguntum vrbem insignem retulerunt de Garibaldo, Bauariae Duce, victoriam. Quia vero nihilominus a Theodone IV. Garibaldi successore, et, eo mortuo, a Tassilone II. Theodonis filio, non parum vrgebantur, de Duce solliciti, Samoitem, vel potius Samonem, virum nobilitate conspicuum et militaris scientiae apprime gnarum, elegerunt. Conscripsit is quinquaginta millia hominum et, signis cum Tassilone collatis, vicit eum, istaque victoria Slauos suos in libertatem vindicauit. Ex qua vero gente is Samo oriundus fuerit, id quidem post Aimonium inter scriptores varie disceptatum fuit. *Aimonius* Francum fuisse asserit,

Paul. Diac. hist. Longob. lib. 4. cap. 41.

Megiser. l. 5. c. 31. *Lazius* de migr. gent. L. 6. *Ammon. Salassius. Vra-*

 et

lius de Reitenstein p. 153. L. IV. C. IX.

et ab Auarum iugo liberasse eum Slauos. *Anno*, enim, ait, *quadragesimo principatus Clotharii I.* (qui fuit annus 623.) *homo quidam nomine Samo, natione Francus, de pago Senonico multos negotiatorum mercandi causa in Sclauorum patriam, (qui etiam Vinidi dicuntur) secum deduxit. Slaui iam dudum Hunnis (qui et Auares dicuntur) subiecti, dominationis eorum iugum detrectare tentabant. Siquidem cum primum vectigalia eis, vti Dominis, dependerent, praeliantium castra tutarentur, fugientibus auxilia ad resistendum subministrarent, tantas ab ipsis sibi allatas tolerabant contumelias, vt non homines hominibus, sed feras crederes quibuslibet vilibus imperitare iumentis. Nam inter caetera, quae crudeliter (dictu quoque horrendum) in eos exercebant, vnum illud nefandum, cunctisque antea saeculis inauditum erat scelus, quod quasi hiematuri eorum adeuntes domicilia, vxores ipsorum suis assumebant socias stratis. Verum illi, qui de coniugibus Slauorum et Hunnis erant geniti, hoc malum, quod vitrici eorum diu fuerant perpessi, nolentes perpeti, immane contra dominos et patres suos excitauere bellum. Ad quod Samo cum sociis, adiumento Winidis futurus forte profectus est. Factaque congressione Winidi Hunnos superant. In hoc certamine Samo cum suis praeclarum militiae documentum dedit. Praerupto namque sese periculo dans, plurimos hostium destruxit. Hoc successu Samo a Sclauis ad regnandum expetitus, eo, quod egregia eius delectarentur fortitudine, de negotiatore rex constitutus, per 36 annos strenue regnum gubernauit, aduersum innumeros bellorum tumultus, quae cum Auaris gessit: in quibus semper prudenti astutia vsus victor extitit.* Aimonium *Fredegarius, Ammonius Salassius Claudiforensis*, qui scripsit farraginem Slauicorum in Carinthia, in monasterio Monialium Viruni (Friesch) repertam, et ex recentioribus praeter alios *Micraelius* secutus est.

Fredeg c. 48.

L. 2. Chron Pomer.

est. Qua ratione id faciant, infra videbimus, simulac ex ipso *Aimonio*, aliisque probatis scriptoribus enarrauerimus, quae causa belli fuerit Samoni cum Francis, et quis exitus Miserat Dagobertus, Francorum Rex circa annum 632. vel 634. legatos ad Heraclium, Orientis Imperatorem firmandae amicitiae causa. Horum comitatui plures mercatores ideo sese iunxerant, vt eo tutius merces suas per Slauorum regiones in Graeciam perferrent. Dum vero per Samonis regnum iter faciunt, omnibus mercibus spoliati ipsi resistere conati, partim interficiuntur, partim in seruitutem abducuntur. His auditis, Dagobertus Rex legatum in Carinthiam statim misit, Sicarium, rectius Richarium nomine, Gallis Richar, qui conquestus de iniuria, captiuos, eorumque res repeteret. Cum Samo adspectum legati fugere videretur, Richarius sumto vestitu, quo Slaui vtebantur, Regi se obtrusit, et ea exposuit, quae in mandatis habebat. Samo placide primum respondit, iure se vltum iniurias sibi subditisque toties iam a Francis illatas, in posterum vero paratum se esse, foedus amicitiamque cum Dagoberto inire. Richarius his insolenter respondet: *Non posse Seruos Christi foedera inire cum canibus*, Slauis exprobrans his contumeliis idololatriam. Samo tum, *Quandoquidem*, ait, *vos Seruos profitemini Dei, et nos canes, ideo, quae vos nequiter contra eius voluntatem geritis, vt inutiles famuli, nobis frequenter conceditur, morsibus vlcisci.* Hisque dictis Richarium incolumem remisit Samo, statimque se bello parauit, quod sibi a Francis imminere videbat. Dagobertus duplici exercitu conscripto, vno ex Alemannis et Longobardis, altero ex Francis et Mosellae incolis, contra Samonem profectus est. Prior quidem exercitus pugna commissa insignem victoriam ex Slauis retulisse fertur, eoque in praelio ipsum Samonem occidisse testatur

Sigebert. Gemblac. Chron. ad. 634. *Regino* Chron. L. I. *Auentin.* Lib. 3. *Lazius* de migr. Gentium Libr. 6. *Paul. Aemil.* hist. Franc. Libr. I. *Megiser.* l. 5. c. 34.

Aimon. L. IV. cap. 23.

Pfeiferi Origg. Lipsiens.

Tom. 8. Annal. Eccl. ao. 640. n. 12. tur *Baronius*, id quod tamen non conuenit cum *Aimonii* aliorumque scriptorum testimoniis, qui Samonem regnasse per triginta sex annos asserunt. Alter Dagoberti exercitus in fines Soraborum, id est, Venedorum, seu Slavorum Septentrionalium, per Thuringiam ingressus, cum castrum Vogastro, in quod Sorabi se coniecerant, obsidione cinxisset, eam vero non satis caute prosequeretur, ab erumpentibus victus hostibus, castra et obsidionem deseruit. Quo felici successu Winidi elati in Thuringiam et Francorum prouincias excurrunt, et Derbanum, vel Torbanum (melius Zorba) Slauorum Regulum, qui adhuc Francis paruerat, in suas partes traxerunt. Ex his quidem patet, regnum Samonis non solis Carentaniae finibus circumscriptum fuisse, sed et in septentrionales Germaniae Slauos, seu Vinidos regnasse eum. Tale enim castrum Vogastro, quod Franci obsidione clausisse dicuntur, nemini puto in Carentanicis regionibus cognitum; Wolgastum vero, quod hodie in Pomerania est, fere nemini ignotum. Lib. IV. Cap. 23. *Aimonius* ait, Vinidos victoria animosiores redditos in Thuringiam et circumiacentes Francorum terras sese effudisse, ita vt Terbanus Dux, qui vrbibus praeerat Slauorum, quae vsque ad id tempus Francis paruerant, desperatis rebus se ad caeteros conferret Slavos. At cum hic de Thuringia videmus agi, Vogastrum debet necessario Wolgastum, Slauice Wolagastum esse. Nam ab Albi, limite Thuringorum, recta et breui via eo peruenitur, Carinthia vero tribus vicibus vel plus remotior est a Thuringia versus dextram, nec ex Austrasia in Carinthiam itur per Thuringiam. Hisce similibusque argumentis probare tentauit *Adamus Kereselich de Corbauia*, de Regnis Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae p. 42. Samonem omnino non Carentanorum Slauorum, sed septentrionalium tantum Vinidorum imperium habuisse, nec plane

plane ea essent contemnenda, nisi plurima obstarent fide dignissimorum scriptorum testimonia eaque clarissima, et nisi verosimilius esset, eum simul in meridie et septentrione Germaniae regnasse in Slauos, quam tot auctorum loca nullam plane fidem mereri. Vide Illustrissimum *Assemannum*, ex quo *Aimonii* textum ex parte habe: *Anno itaque XI. Regni sui (nempe Dagoberti) cum Vinidi iussu Samonis iterum fortiter saeuirent et saepe transcenso proprio limite regnum Francorum vastandum Thuringam et reliquos pagos ingrederentur; Dagobertus Rex Mettis vrbem veniens, cum consilio Pontificum seu Procerum, omnibusque Primatibus regni consentientibus, Sigebertum filium suum in regno Austriae sublimauit sedemque Mettis ciuitatem habere permisit; Chunibertum vero Coloniae Pontificem et Adalgisum Ducem Palatii ad regnum gubernandum instituit.* Hic quidem ei rei insistimus, quod *Aimonius* omnibus antiquior Samonem meridionalium Slauorum Regem, seu Carentanium claris verbis asserit. Si igitur alias fides quodammodo habetur Aimonio, Samonem Gallum esse affirmanti, cur asseclae eius negant, regem fuisse eum Carentaniae? Samonis itaque tanto maior fuit virtus bellica, quae et in ea prouincia inclaruit, quam *Helmoldus* describit, videlicet: *vbi Polonia finem facit, peruenitur ad amplissimam Slavorum prouinciam, eorum, qui antiquitus Wandali, nunc autem Winithi, seu Winuli appellantur. Horum primi sunt Pomerani, quorum sedes protenduntur vsque ad Oderam. Est autem Odera ditissimus amnis Slauicae regionis, et oritur in profundissimo saltu Marahorum (Morauorum), qui sunt ab Oriente Bohemiae, vbi et Albis sortitur principium, nec longius ad inuicem distant spatiis, sed diuerso currunt meatu. Albia enim in occasum ruens, primo impetu Bohemos alluit cum Sorabis, medio cursu Slauos dirimit a Saxonibus, nouissime Ham-*

L. IV. Cap. 26. Fredegar. c. 75.

L. I. C. 2.

Hamburgensem diuidens Parochiam a Bremensi, victor Oceanum ingreditur Britannicum. Alter fluuius, id est, Odora, vergens in Boream, transit per medios Vinulorum populos, dividens Pomeranos a Wilzis. Caeterum in his *Helmoldi* in medium adductis verbis, nec de Samone aliquid, nec de Volgasto legimus.

Redeamus iam ad sententiam *Aimonii*, qui Samonem, quem Francorum hostem vidimus, ipsum gente Francum fuisse asserit. Sed quis quaeso scriptori vnico fidem habebit, qui Chronicon suum tam longe a Slauorum regionibus conscripsit, et sine dubio eorum ignorauit sermonem, argumentis, quae nunc pro Slauica Samonis origine proponam, satis ponderatis?

Primum quidem iam supra satis probasse videor, vocem Samo (non Samois, vt *Fredegarius*, aliqua vocis similitudine deceptus, contra orthographiam et legitimam pronunciationem scripsit) Slauicae plane originis, aeque ac Dragonis nomen, quem vna cum altero Samone sub Waltano turbas mouisse in Carentania, historia docet.

Deinde omnia successorum Samonis nomina Slauica sunt, exempli causa, Boruthi potius Boryssi, filii Samonis, quod luctatorem Venedico sermone significat, et Wonimiri, acerrimi illius Saeculo VIII. Hunnorum hostis.

Quis porro sibi persuadere poterit, peregrinum hominem id potuisse inter Barbaros consequi, vt in eam gentem imperium obtineret, quae cum suis ipsius ciuibus perpetuo dimicabat bello. Nec magis vero simile est, paganos, cultui Deorum suorum maxime deditos, homini sese subiecisse Christianae fidei addicto, de quo quidem mox amplius differam. Praeterea *Aimonius* ipse narrat, duodecim cum habuisse Slauicas vxores; talis vero polygamia

L. IV. c. 9.

gamia inter paganos solum vsitata plane probat, Samonem non potuisse Francum esse adeoque Christianum.

Refutatio istorum, qui eius sunt opinionis, quod Samo Francus fuerit.

Non me fugit, esse plures, qui Samonem Francum credant, magna nimirum *Fredegarii* auctoritate inducti. Sciendum vero,

I. *Fredegarium* sua ex *Aimonio* sumsisse, quae autem huius et quanta sit fides auctoritasque, ex eruditis Gallis quaeras. Ego quidem puto, id maxime impedire, quo minus eorum opinio sit vero similis, quod in tanta barbarie Slauorum dicunt eos extraneum sibi regem elegisse, Christianum praeterea et ex gente, Slauis semper maxime inimica. Nam Clotarius modo II. Dagoberti istius I. pater cum Slauis bello dimicauerat.

II. Quod si vero Samo Gallus fuisset, cur Gallus Gallum fugisset, vt superius dictum est p. 4. atque si Samo ipse et gens Slauica, cui imperabat, Dagoberto subiecta fuisset, certe legato Dagoberti respondere ausus non fuerit, iure se vltum iniurias sibi subditisque a Francis illatas, velle autem se in posterum foedus et amicitiam cum Dagoberto inire.

III. Euidens quidem est, de patria Samonis omnino non constare inter Auctores. *Aimonius* et post illum *Fredegarius* ex Senogago ortum dicunt, *P. Daniel* ex Senonago habet, quod putat esse agrum Sennegau a fluuio, Senne Bruxellam perfluente sic dictum. *Bollandus* pagum putat in Belgica iuxta Bruxellam. *Assemannus* inter superiores Winidos, id est, finibus Albis et Viadri fluuiorum circumscriptos natum putat. *Scriptor Anonymus de*

 Bojoa-

Bojoariorum et Carentanorum conuersione Slauum ex Charentis oriundum praedicat. Conjici quidem posset, nomen Samonis mutilatum esse, nisi ex Slaua illud vindicaretur pronunciatione.

IV. Nomen Legati suspectum etiam iure aliquo esse videtur. Sicarios nempe Dagobertus certe non fouebat, nec quidem vnquam Sicario Legati munus concedetur. Sed omnia haec *Aimonius* in honorem Regis sui et gentis effinxit, *Fredegariusque* ea postea ampliora adhuc fecit.

V. Samonem Carentanorum Regem non fuisse, *Assemannus* et ex eo *Prayus* autumant, sed Slauorum superiorum. Debuissent quidem addere, vtrum Vilzis putent imperasse illum, an Obotritis, an Polabis, an vero vltra Albim Rugianis.

VI. Quodsi vero vel *Hansitius* Samonem narrat victorem euasisse ad castrum Volgastense, Slauis dictum Volagastiense, nonne potuit alterum eiusdem nominis fuisse olim in Carentania? Passim enim apud Slauos in diuersis prouinciis vnius nominis vrbes et fluuii occurrunt. Sic quod in Saxonia Altenburgum est, eius nominis adhuc alias habemus vrbes et oppida sub nomine Stare miasto, i. e. vetus vrbs. Lucauia apud nos altera est eiusdem nominis Lukow. Lipsia ipsa apud nos in nomine Lipsko vrbis est, et Pleisa, Slauice Plisza. In Volhynia enim prope Beresteczko Plisza aliqua exoneratur in Stir fluvium. Sed fortius argumentum est, quod *Schloetzerus* habet, Slauos sedes habuisse ab Adria ad Baltheam maria, vel illud etiam verosimilius videtur, Samonem Carentanorum Regem subleuasse res lapsas Regum Vilzorum, Polaborum, Obotritarum et Rugianorum.

VII. Volgaſtum vero Pomeraniae plane aliud fuiſſe, conſtat ex *Pfeifero* in *Origg.* Lipſienſibus, qui diſerte aſſerit, Soraborum id fuiſſe.

VIII. Num tutius eſt fidem habere multum recentiori ſcriptori eique linguae ignaro, quam communi traditioni et ſeruatae in Carentania a ciuibus memoriae Samonis ſui Principis? Certe melius videtur, Carentanis ipſis credere, eorumque interpretibus, vetuſtiſſimo *Manuſcripto Ammonii Salaſſii,* quod Salisburgi ſeruatur, aeque fide digno *Vralii* Manuſcripto operi, *Megiſero*, *Auentino Lazio*, qui omnes gentis ſuae res geſtas publicas fecerunt. Tum *Peſſina* in Marte Morauico Samonem etiam Moraviae Regem agnoſcit, adeoque non magnum erit locorum ſpatium, nam in medio quaſi eſt Carentaniae et caſtri Volgaſtenſis Morauia.

IX. Conferatur iam de Samone, vel potius republica Slauorum, Schloetzerus, licet hanc ab eo nimis protenſam eſſe nonnulli dubia iniicere conentur. De vno ex pluribus Samonis filio Borutho, Carentanorum Duce ad annum 680. teſtantur *Vralius Laziusque,* isque adeo nulli ſubeſſe poteſt dubio. Nepotem Samonis Charaſtum, aeque Carentanorum Ducem et inter eos primum Chriſtianae fidei aſſeclam ſub anno 699. nobis ſiſtunt *Ammonius Salaſſius, Aventinus* et *Megiſerus* L. V. c. 51. et 54. p. 170. L. VI.

Clariſſimum tandem habemus teſtimonium de Samonis Carentanorum regis Slauica origine in *antiquo* quodam *Scriptore Anonymo de Boioariorum et Carentanorum conuerſione.* ſub ao. 871. *Temporibus,* ait *is, glorioſi Regis Francorum Dagoberti quidam Slauus, Samo nomine, manens in Charentis fuit Dux gentis illius, qui venientes negotiatores Dagoberti interficere iuſſit, et regna exſpoliauit pecunia. Quod dum comperit Dagobertus Rex, miſit exercitum ſuum, et*

 dammum

dammum, quod ei idem Samo fecerat, vindicare iussit, sicque fecerunt, qui ab eo illic missi sunt, et Regis seruitio subdiderunt illos: non multo post tempore Hunni eosdem Carentanos hostili seditione grauiter afflixere, fuitque tunc Dux eorum Boruth, qui Hunnorum exercitum contra eos cernens, Bojoariis nunciari fecit, eosque rogauit, sibi in auxilium venire. Illi quoque festiue venientes expugnauerunt Hunnos et obfirmauerunt Carentanos seruitutique eos Regum subiecerunt. *Et grauis historiae Slauicae auctor Vralius de Reittenstein*, fide dignissimorum scriptorum testimoniis innitens expresse asserit, Samonem et Successores Slauos
p. 153. fuisse. *Illud in hac nostra Slauica historia memoratu dignum est, quod imperante Heraclio Slaui in Norico, id est, in Carinthia, Stiria et Carniolia habitantes, iis tamen exceptis, qui Foruiulii principibus parebant, proprios ex suo gentili sanguine habere coeperunt Principes.*

Hisce quidem argumentis et auctoritatibus abunde me probasse puto, *Aimonii* narrationem de Samone ex Gallia oriundo nullius esse ponderis, sed ex Slauico sanguine ortum fuisse. Iam ad eius posteritatem procedo, et in
L. IV. Cap. 9. *Fredegar.* c. 38. imperio Successores. Mortuus Samo, secundum *Aimonii* computationem, qui annos triginta sex regnasse dicit,
Tom. I. Febr. p. 698 anno 662. *Bollandus* biennio citiorem eius obitum statuit anno 660. nescio quo argumento. *Pessina* biennio
Mart. Morav. L. I. c. 3. f. 33. tardius, sed sine dubio Morauicum Samonem cum Carentanorum Principe confundens. Illum enim, constat, in Morauia regnare coepisse anno 628. et per triginta sex annos etiam, suis praefuisse prouinciis. Filios reliquisse dicitur ab *Aimonio* Samo Carentanus viginti duo, filias vero quindecim ex duodecim Slauicis vxoribus. Historia vix de vno alteroue filiorum mentionem facit, filiarum vero nullum plane occurrit vestigium. Successit ei Boruthus

ruthus filius, de quo haec verba notatu digna habet *Megiſerus* in Chronico Carinthiae: *Boruthus ex ſanguine Slavico ſecundus regnauit quadraginta duo annos.* Nec vero hic ſcriptor, neque etiam *Lazius* aut *Abbas Orbinus* aliquid de Francica eius origine habent, imo clariſſimis verbis ex Slauica fuiſſe Boruthum familia Megiſerus aſſerit. Is vero Boruthus poſt infeliciter geſtum cum Bauaris et Francis bellum pace tandem obtenta, Caraſtum filium, et Chitomarum ex fratre nepotem dedit Taſſiloni Bauariae Duci obſides, qui eos Ratisbonam ſedem ſuam abductos Chriſtiana religione imbuit, et primus eo modo viam veritati ad Slauos ſtrauit. Quoad durationem regni Boruthi, aeque ac *Megiſerus*, qui quadraginta annos regnaſſe dicit, fallitur *auctor vitae S. Virgilii*, qui eum ad tempora Pipini regis Francorum vixiſſe innuit. Inauguratus autem regno Pipinus fuit anno 751. adeoque per 90 annos regnare debuiſſet Boruthus, quod omnem humanam fidem excedit. Praeterea ex aliis ſcriptoribus patet, iam anno 680. eum vita exceſſiſſe, cum diu inimicitias et bella cum Hunnis ſuſtinuiſſet, et reliquiſſe Caraſtum filium in principatu ſucceſſorem. Caraſtus Chriſtianam religionem primus inter Slauos introduxit, et anno 699. mortuus Chitomaro fratri patrueli ſuo, et Boruthi patris ex fratre nepoti regnum Slauorum reliquit. Quo anno 756. fatis functo Valdungus, vel, vt *Lazius* eum appellat, Valdehuno eius filius in Slauos imperium nactus eſt. Is cum aeque ac pater Chriſtianae adhaereret religioni, a nobilibus Slauorum, Deorum cultui adhuc deditis, quorum anteſignani erant Samo et Drago, e Regia Samonis gente ambo nominibus iſtis Slauicis inſigniti, quia Drago eſt Carus ideo et Caraſtus ille certe Slauice Drago fuit, ſeditio orta eſt. Haec nomina pure Slavica non infimum argumentum prae-

L. IV. c. 38.

L. VI. c. 37.

apud *Bolland.* Tom. I. Febr. fol. 698.

Vralius p. 170. *Megiſer.* Chron. Carinth. L. V. c. 38. *Lazius* de migr. gent. Libr. VI.

Megiſer. L. V. c. 51. et 54. ex *Ammonio Salaſſo*, et *Auentino.*

Megiſerus L. VI. c. 1. et 2. ex *Ammonio Salaſſo.* *Auentinus* L. 3. et in *Vita St. Virgilii.*

praebent Slauicae Samonis iſtius prioris origini. Rebelles mox a Valdungo oppreſſi ſunt, eique inde regnum ſemper quietum extitit. Mortuus eſt ao. 772. et quidem vltimus Slauici ſanguinis ex Boruthi familia. Poſt eum Germanici principes Carinthiam ſub auſpiciis Caroli Magni et Succeſſorum adminiſtrarunt. Primus eorum Theoto fuit Taſſilonis filius, quo pulſo Henricus Francus has terras ſub nomine Ducis Foroiulienſis accepit et contra Hunnos tutatus eſt, vſus praecipue opera Wonimiri Slavi. Hic ſumma alacritate in ipſas terras Hunnicas irrumpit, et omnia vaſtans Hunnos ad certamen compellit ſubterfugientes; caeſo Hunnorum rege Iringo eos profligat: Duces eorum, Cozagon et Iugurra, abiecta armorum ſpe, poteſtati ſe eius cum copiis permittunt. Wonomirus ſucceſſum vrgens, ipſa Chaganorum regia cum omnibus Hunnorum et Auarum accumulatis theſauris potitur. Quo facto Tutun, Hunnorum Rex ſuperſtes Carolo ſe ſubiecit et baptizatus eſt, quotiesque exinde Hunni aliquid moliebantur, toties a Vonomiro male ſunt habiti. Henricus inſidiis circumuentus interficitur anno 799. poſt quem Cadolachus, ſeu Cadoldus Marcae Slauicae Foroiulienſis Dux factus, contra Hunnos pugnat, fideli vſus opera Pannoris Slaui. Mortuo 819. Cadolacho Baldericus ſuccedit, poſt quem Domitianus, cuius vxor ex Meranenſi ſtirpe fuit. Domitiano ao. 854. defuncto Carinthia, Carniolia, Liburnia et Auſtria Carolomanno, Ludouici filio conceſſae. Cum is ao. 880. decederet, Arnulphus in poſſeſſionem venit, qui Imperator factus Carinthiam Eberhardo, filio notho vel nepoti dedit. Quo ab Hunnis ao. 917. vna cum filiis occiſo, Arnulphus, malus Imperatoris Arnulphi filius, Bauariae Dux, fratri Bertholdo iſtam prouinciam tradidit. Praeter hos memoratos Samonis

Regino Prum. in Chron. ao. 796. *Annal. Fuldens.* ao. 796. *Annal. Franc. de Vita Carol. M. Abbas Vrſperg. Eginhardtus Bonfinius* Dec. I. L. 9. *Funccius* in Chronolog. ao. 796. *Turpinus Dodechinus. Eginhardus. Regino. Sigebertus. Otto Friſingenſis. Merianus Scotus. Lambertus Schafnaburg. Hermannus Contractus Megiſer.* Chron. Carinth. L. VI. Cap. 63.

in regno Slauorum Carentanorum successores passim etiam apud scriptores alii iisdem in oris occurrunt Slauorum Duces. Sic Corbutus aliquis post annum 640. et occisos Argaidum Fernulphumque Slauorum Zupanos circa Agram et Corbauiam, quae ab ipso nomen sortita, videtur ducatum occupasse, dicit *Vralius.* Idem histori- p. 46. cus Luidemullum memorat, qui Ducatum habuerit in p. 48. Dalmatia, et Bornae avunculus fuerit. Bornae huius mentionem facit *Eginhardus* circa annum 818. Ducatum- *Vralius* p. que eius ponit in oris Adriatici maris mediterraneis, id 48. est, in Dalmatia et Liburnia. Nepos huius Bornae Hato ab aliis appellatur Latasclaus (dici debuerat Ladislaus) narraturque principatu Dalmatiae deiectus fuisse a Littomislo ao. 826. Sic et Eginhardus sub annis 818. et 819. habet Liudeuitum Slauoniae Ducem, quem cum Ludouico Pio bellum gessisse narrat. *Vita Ludouici Pii Annal. Franc.* ao. 821.

Samonis iam Carentani et successorum historia succincte pertractata, ad alterum Samonem coaeuum eius, et Morauiae Regem paululum discedamus. Is *Iohanni Pessinae de Czechorod* dicitur Morauiae, Poloniae, Russiae et Silesiae Rex mortuusque ao. 664. post regnum triginta sex annorum. Mart. Morav. L. I. c. 3. f. 33. Habuit ex filio, cuius nomen interiit, nepotem Marothum, Slauice Marod, qui circa annum 690. Vesprinum regiam sedem habuisse fertur. Filius Marothi Suatosz, seu Suates Rex Morauiae Veligradi vel Vesprini sedens apud *Pessinam* occurrit sub anno 720. L. 2. c. 4. p. 127. et periisse fertur ao. 744. pluribus filiis relictis. Ex his Samomir Rex appellatur, alium Samoslaw, regio titulo ornatum, memorat *Pessina* sub anno 796. De Hormito- p. 128. rio s. Hormistrz loquuntur praeter Dubrauium etiam *Auentinus* et *Goldastus*, et Lechus narratur a Carolo, Ca- Annal. Boi. L. IV. roli Magni Imperatoris filio occisus fuisse, et post mortem L. 2. c. 8. eius

Eginhard. Annal. Franc. *Auentinus* L. IV.

eius Bohemiam, Morauiam et Poloniam fuisse diuisam. Vide *Eginhardum* et *Auentinum*. Hormitorio duo filii tribuuntur ab historicis, Moimarus seu Mogemirus Rex, qui, pace perpetua cum Imperatore Ludouico Pio culta, obiit ao. 834. filiumque reliquit Mogemirum II. qui circa annum 842. memoratur regnasse. Alter Hormitorii filius vocatur Brino, cuius filius Hezilo primus Marchio Stiriae factus est anno 844. mox vero ao. 846. cum patre possessione deiectus a Domitiano, quem supra memorauimus. Radislaus, non Rastix vel Radicius dictus Moimari ex fratre nepos, cum a Ludouico primarius dux constitutus esset ao. 847. regium nomen affectare coepit. Hunc *Cromerus* ex Popieli Polonici familia, *Vralius* vero ex Primislai posteris esse dicit. Zwentebaldo, qui debet appellari Suantopelcus, Radislai ex fratre nepote in carcerem detruso, Slagomir, id est, Slauomir cognatus eius vi ad suscipiendum principatum coactus est, ao. 871. Sed Zwentebaldus s. Svantopelcus mox liberatus, pace cum Arnolpho Imperatore ao. 885. facta, et filia eius Gisela in matrimonium ducta, multis ditionibus a socero auctus fuit, et exinde ad annum vsque 892. regnauit. Mortuo ipso, filii Suantopelcus et Moimarus ab Imperatore hostes iudicati interficiuntur, et prouinciae eorum inter vicinos diuisae sunt.

Auentinus L. IV. *Megiserus* L. VI. c. 34.

Annal. Fuldens. Regino. Auentinus L. IV. *Goldastus* L. 2. c. 8. *Annal. Fuldens. Auentinus* L. IV. *Otto Frising.* L. VI. c. 11. *Regino Prum.* Chron. L. II.

Operam me non perdidisse puto, cum id egerim, vt, quae de Samonibus ab historicis rerum Slauicarum passim memorantur, exponerem, conciliarem, et cum pateat, duo eodem tempore inter Slauos regnasse Samones, quid ad quemque pertineat, et quinam vtriusque posteri et in regno successores fuerint, explicarem. Iam nunc ad alia Slauicae historiae capita, quantum in nobis est, illustranda, pergere placuit.

GENEA-

GENEALOGIA SAMONIS MORAUI.

Samo f. Tatonis, nepos Babonis Rex Slauorum in Morauia circa an. 640. qui cum Samone, Rege Carinthiae (praetenso Gallo) minime confundendus, nam Samo est idem, quod Graece Monos. Sic multos Samo, Samoslaw, Samomir, Samomysl, Samouid, Samomien, alios adhuc in linea Polona, reperimus. *Paul. Diac. Lazius, Assemannus.*

Marod vel Morauodz, Vod seu Voda Slauice Dux, latine Marothus, Rex Pannoniae superioris vocatus. *Iacob. Luccari pag. 95.* in 690. *Pessina lib. I. c. 1.*

720.

Svates, seu Svaty vel Svatosz, idem quod Svanty, latine recte Svantopelcus I. R. Sarmatarum, Venedorum in Pannonia superiori et Morauiae, cuius Regia Veligrad, seu summa vrbs, hodie Vesprin dicta, cir. an. 732. al. 744. victus ab Arpade Duce Hunnorum, non Hungarorum: recessit in Morauiam. *Pessina. Starowol. Turotzius. Bonfin.* sub an. 720. et omnes *auth. Hung. an. 744. Iacobo Petri Luccari, l. III. p. 95.*

Samomir, Rex Morauiae caedit Hunnos, postea victus a Polonis, idem dictus Svantopelcus circa annum 760.

Samoslav, lat. Samoslaus R. Morauiae, vocat Polonos in auxilium, et Russos collimitaneos, id est Rubrosin contra Carolum M. sed antequam aduenissent, subdidit se anno 791. m. 800.

Mnozymir I. m. 832.

Svantopelcus II. Rex Morauiae primus Christianus factus anno 860. - -

Sventiboy R. Morauiae, reuersus ad pristinos errores a Cyrillo anathemate tactus 888. *Pucaua, Stranski.*

Svantopelcus III. R. Morauiae 871. pacem cum Imp. Arnulpho facit. *Auent. lib. IV. Otto Frising.* lib. VI. *Regino Prum.* lib. II. *Annal. Fuld.* vx. Gisela, al. Adelhaida, f. Carlomanni R. neptis Ludouici Imp. ex matre etiam originis Vindo-Croaticae seu Slauicae genita, soror Imp. Arnulphi. *Otto Frising. L. VI. c. II. Cromer. Pessina. Stredowski lib. III. c. 7. p. 304. et Iornand.* ab Imp. Arnulpho in fonte baptismi leuatus m. 892.

Svantopelcus IV. R. Morauiae, vx. Ludomira f. Borzyvoi D. Bohemiae et S. Ludomilae. *Avent. lib. IV. Otto Frising. l. 6.*

Svantopelcus V. vltimus R. Morauiae, regnum Bohemiae occupat 1093. *Bonf. p. 237.* Fortis et terribilis, in tres partes regionem suam inter tres filios diuidit. *Porph. p. 100.* orto dissidio a Turcis (Hunnis) qui eam hodie tenent, Principes vero ad Crobatos, Bulgaros, Turcas et reliquas nationes dissipati confugerunt. *Porph. p. III.* factus Eremita. *Chron. Fran. Fuld. Cosmas.* m. 1098.

Mnozymir, seu Mnogimir. Svantopelcus. Sventiboy II. *Porphyrog. p. 110.*

Omnes tres dispersi.

GENEALOGIA SAMONIS CARANTANI.

Samo seu Samoides Slauus R. Carinthiae, Styriae et Carniolae, *Regino Prum. l. I. Chron. Sigeb.* ad an. 634. *Paulus Aemilius Hist. Fran. lib. I. Auentin. lib. III. Msctum Salassii* in Coenobio *Virunensi, s. Frisach. Megiserus lib. V. c. III. Lazius de migratione lib. VI. ad Aguntum in Tyrol.* Imperante Heraclio. *Aimonio lib. IV.* c. 23. et ex ipso *Fredegario c. 68.* Auaros deuincit an. 617. *Anton. Monach. Fast. Franc.* lib. IV. c. 9. *Maur. Orbin. p. 34.* Thassillonem II. f. Theodori IV. D. Bauariae acerrime profligat. Ad eum Dagobertus f. Clotarii II. an. 637. mittit Richardum Legatum ad recuperandas merces. Vincit Dagobertum an. 640. Penetrat in Italiam 650. *Bardi.* vxores habuit 12. ex quibus dicitur genuisse filios 22. filias 15. *Aimon. lib. IV. c. 9.* regnat an. 36. m. 662. *Schwartzio* 664. aliis 667.

Boruthus et Porutus, Slauice Porod R. Carinthiae et Styriae (ex Slauico sanguine secundus.) N. - -

Meiserus Chron. Carinth. l. V. c. 38. Lazius de migr. l. VI. Msc. Vralii p. 169. et 170. Orbin. p. 37. regnat an 42. m. 680.

Charast, non Charastus nec Carastus Rex Carinthiae et Styriae, Christianam religionem assumit. *Salassius. Megiserus lib. V. c. 31. 54. Lazius. Vita S. Virgil. Auentin.* regnat annos 19. m. 699.

Chvytamir I. R. Carinthiae.

Chetimar, seu Chitomar II. Slauice Chvitamir Rex Carinthiae, e Pipini auctoritate. *Salassius. Auentin. Megiser.* l. V. c. 51. et 54. annorum ratio probat, esse eum Boruthi ex filio nepotem, reg. an. 57. m. 756.

Valthuncus, seu Waltun vel Valdungus Rex Carinthiae vltimus Slauici generis, cui Theodorus f. Massillonis Bauarici generis successit. *Lazius, Megiserus. lib. VI. c. 1. et 2. Auent. l. III. Vita S. Virg.* m. 772.

* * *

Samo II. et Drago disputant successionem Valdunio *Megiser. lib. VI. c. 1. et 2.* Carinthia Marchia dicta a Carolo M. et subiecta Theodoro, Thassilonis f. D. Bauariae. *Aimon. Salass. Auent. lib. 3. Megiserus lib. VI. c. 1. et 2. Vita S. Virgil.* Quae nomina Drago (quod est Carus) et Samo, sunt mere Slauica et non Gallica, neque Senonici agri.

* * *

Wonimir, non Wonomir R. Croatiae ex Slauico sanguine ortus. *Regino. Abb. Prum. ad an. 796. Annal. Franc. Vita Caroli M. Bonfin. Dec. I. Lib. IX. Funccius in Chronolog. an. 796.* Chetimari I. proles.

SECTIO,

SECTIO III.

DE SARMATO - BULGARA ET COSACA GENTE.

§. I.

REFUTATIO EORUM, QUI COSACOS A TARTARIS ORIUNDOS ESSE PUTANT.

Iam in Heneto-Slauicarum rerum monumentis eo pergendum nobis est, vt, quae de Heneto-Cosatica gente bellis semper clara, licet nonnunquam victa, nunquam tamen satis attrita, memorabilia existunt, inquiramus et explicemus. Notum equidem est, militiam illam, nam inter eos quisque est miles, plurima non contemnenda audaciae et bellicae virtutis edidisse specimina. Sic Constantinopolin ipsam, porta fere effracta, aggressi, tantum toti ciuitati incusserunt metum, vt sola pecunia resisti posse istorum furori videretur. Iidem ad Pontum Euxinum Trebisondam Sinopenue diruerunt, et in eiusdem maris littoribus plus quadraginta locis combustis totam istam Asiae Regionem terrore suae gentis impleuerunt. Ita et ab ipso Turcarum Soudano Amurathe I. qui Iagellonis nostri tempore circa annum 1380. vixit, hoc suae virtutis testimonium obtinuerunt, vt diceret, se, cuius somnum nunquam odia principum Christianorum impediuissent, Cosacorum causa, qui nihil sint nisi Polonicae gentis feces, saepe insomnias peragere noctes. Plura de Cosacorum gestis ex Russicorum Manuscriptorum fide *Longinus* et *Stryikouius*, celebres illi Polonici scriptores, habent.

Les Loisirs du Chev. d'*Eon.* p. 218.

De origine Cosaticae gentis varii varia sentiunt et proferunt, eaque fere incerta plane et minus apta, quae quidem iam, vt sub examen vocemus, nobis imposuimus negotium. Diuersae autem istae de *Cosacorum* ortu opiniones praeter alios et doctissimum Leibnitium, cum ignoraret, cui genti applicandi essent, in diuersas induxerunt Etymologias in operibus ipsius obuias, eas vero, pace tanti viri dixerim, nimis a re veritateque alienas. Mihi quidem ad id animaduertendum prius videtur, ad quam gentem pertinuerint, antequam de origine nominis, quid sentiendum sit, certa ratione nobis possit constare. Sunt vero, qui Cosacos eosdem cum Khazaris esse putant, de quibus haec habet in Byzantina historia sua illustris Scriptor *Le Beau*, amicus noster et Collega: *Khazari oriundi a Iapheto per Khazar Turki fratrem, vt dicunt scriptores, consederunt in ripis fluuii Atel, qui Volga est. Persae mare Caspium appellare solent mare Khozaricum. Ex Sarmatia Asiatica venientes vsque ad Chersonesum Tauricam sese extenderunt, quae hodie Crimaea est, vnde nonnunquam Taurоscythae sunt appellati. Tribus etiam erat Cubar, quae nomen dedit regioni, quam Cabartam vocant ad Circassiae orientem. A Septentrione etiam Georgiae Tartarorum tribus est, quae Khozarorum nomen seruat.* Inter scriptores, quos narrationis suae de Khazarorum origine statores allegat, est Abulpheda, qui ad ordinem climatum Geographicam orbis descriptionem composuit circa annum Hegirae 672. qui quadrat in annum Christianae Epochae, 1273. Mortuum hunc scriptorem ferunt demum anno Hegirae 732. seu anno Christi 1333. Alter, quo prae aliis nititur, scriptor est Merchondus, qui Persice historiam conscripsit anno Hegirae 904. seu Christiano 1505. Vide de his plura apud Assemannum

L. 57. p. 273. sub anno 626.

T. I.

T. 1. orig. Eccl. Slauic. Part. II. Cap. II. quod est de origine Slauorum.

Obseruandum quidem ad istam de Khazaris narrationem existimo, non negari posse aliquam nominum Khazar et Kozak similitudinem et affinitatem, quae maior adhuc existit, cum Kozaci aequo modo etiam Kazaci pronuntientur. Nihilominus tamen apparebit, Kozacos Sarmaticam esse progeniem, cum Khazari contra ea vel Chazari sint Tartarica aliqua horda (quae vox Tribum significat) seu septentrionalis Asiae gens.

Quae vero clarissimus *le Beau* habet de Chersoneso Taurica et de Tauro Scytharum nomine, ea ad Cosacos potius, quam ad Khazaros pertinere clarum est. Legimus enim, Khazacos seu Cosacos ex regione Crimaea venisse ad Dnieprum seu Borysthenem habitaturos, vbi conspectis insulis, quas flumen sub Cataractis suis efficit, commorati in istas insulas, tanquam a natura factas munitiones, sese contulerint. Nec mirum videri debet, Kosacos, quos Sarmaticam nationem esse infra nos probaturos spopondimus, hic Tauro-Scythas vocari, cum Sarmatae saepissime a scriptoribus pro Scythis habiti sint ob vtriusque gentis vicinas et fere commixtas sedes, licet origine et lingua toto coelo diuersos esse altius de istis gentibus studium doceat. Sic ergo, cum tot aliae res contrariae existant, quo minus Khazari cum Kozacis iidem videantur, sola aliqua nominum similitudine innisis consentire non debemus, qui Kosacos nullos alios esse existimant, quam Khazaros, adeoque Kosacos non minus ac Khazaros ipsos Tartaricae esse originis autumant.

Si quidem clarissimo scriptori de *Guines* et *Anonymo Anecdoton orientalium auctori* fidem habemus, nullo dubio subiacere videtur, Khazaros esse Tartaros. Nam

hi non minus, ac noster *le Beau*, et hodienum affirmant, esse a Septentrione Georgiae tribum Tartarorum, quae Chazaricum nomen conseruat lingua Tartarica vtens. Sed non minus inde patet, hunc populum, qui adhuc nostris temporibus viget, longe alium esse et nomine, et lingua aeque ac sedibus, quam Kozacorum gens ad Tanaim et Borysthenem sedens. Antiquis etiam temporibus Khazaros, antequam in Borealem Georgiae regionem concederent, vbi nunc latitant, alias, quamKosaci, regiones inhabitasse, probari potest. Legimus enim sub anno 964. in
p. 143. *Lomonossonio*, Russico historiographo: *Suatoslaus etiam adortus est populos ad Okkam, Volgam et Wiatkam habitantes. Maxima eorum pars vectigalis erat Kosarorum, populi Turcici. Ipse Kosaros vectigales reddidit, regione eorum occupata. Incolebant autem ii praesertim Chersonesum, quae hodie Crimaea appellatur. . . . . . Princeps eorum Ragan, exercitu parato, Suatoslao bellum indicat. Multo sanguine ab vtraque parte effuso Ragan tandem in pugna cecidit.* Kozari igitur vel Khazari versus Okkam, Volgam et Wiatkam habitarunt, Kozaci vero in insulis Borysthenicis: Kozaci versus Aquilonem manserunt, Kozari autem versus Orientem abiere. Lingua demum Kozacis vernacula est Slauica Russicaue, sed nullam in ea deprehendes vocem, quae Principis Kosarici nomini Ragan respondeat. Vt vero nullum de veris Chazarorum, vel Kozarorum sedibus supersit dubium, descriptionem earum ex Clarissimi le Beau supra iam laudato opere adducendam hic esse duxi. Is
L. 57. p. 273. sub anno 626. ait: *Extenderunt sese inde a Dagaestana regione quantum excurrit Caucasus, et ab omni septentrionali Circassiae et Ponti Euxini regione vsque ad Chersonesum Tauricam.*

Qui vero Tartaricam Kosacis originem vindicare student, non parum iuuarentur loco, qui occurrit in

Anec-

Anecdotis orientalibus, si modo, qui ea composuit, nonnulla hic niteretur adducta in medium auctoritate, et lingua, qua vtuntur Kosaci, Sarmatica non obstaret. Ita vero is Scriptor: *Interim Turcae a Sinensibus semper praepulsi, et continuis praeliis victi ab Arabibus adeo debilitati sunt, vt parte prouinciarum, quae Magni Chani imperium efficiunt, relicta, versus Septentrionem recederent, vbi sedes firmas posuerunt: alii prope Tanaim et Borysthenem concesserunt, et in plures hordas diuisi sub nomine Chozarorum, Patzinatzarum, Vzorum et Turcarum in specie sic dictorum, noti fuere.* Parte I. p. 200.

Altera de Tartarica Cosacorum origine opinio minus adhuc certa videtur, ideo quod nulla fere nominum similitudo erui potest. Conferantur de hac opinione eadem *Anecdota orientalia*, vbi dicitur: *Nomen Cosacorum est mutilatio nominis Kapt-Chac, nam populus iste venit ex regionibus, vbi olim floruit illud partis Tartarorum imperium: Cosaci quidem sunt reliquiae plurimarum Hordarum Tartaricarum et Turcicarum, quae ad orientem Volgae coluerunt, cum Ghengis Hanienses istas regiones occuparent.* p. 611. Nescio certe, quis furor inuaserit Etymologicus, qui voces ex arbitrio iungit, vel temere litteris transpositis, intrusis vel eiectis plane mutilat. Quis, quaero, vllam inter nomina Kapt-Chac et Kozak conuenientiam serio affirmabit? Quod vero fundamentum subest fictae illi nominis mutationi? Imo contrarii inuictum argumentum est, quod famosum olim Tartarorum Kapt-Chac imperium et nunc vigeat, et nulla ratio fuerit, cur Cosaci, si veri Kapt-Chac fuissent, fugerint Ghengis Hanienses. Verum equidem est, Mogolienses bella gessisse cum Ghengis Hanienfibus, et sibi inuicem iugum imposuisse; sed nullibi in historia deprehendimus notam aliquam Tartarorum in nostris regionibus coloniam, praeter solos Crimaeos, ex quibus sunt Paruino-

gaienses, Budziacenses et Dobrodzanenses, qui hodienum mores et linguam Tartaricam conseruant.

His, quae modo dixi, argumento adhuc est, quod
p. 611. iste *Anecdoton Orientalium* compilator sibi ipsi contradicit. Cum enim in superius adducto loco Cosacos Kapt-Chac appellari debere dixerit: post decem interiectas paginas
p. 620. affirmat, Cosacos ad Tanaim habitantes fugisse Tartaros Kapt-Chac. En propria eius verba: *Cosaci Donski* (*Donscy dicere debuisset*) *aeque ac Cosaci Saporanski* (*Zaporochski*) *cum primo fugissent Tartaros Kapt-Chac, eos deinde oppresserunt, nec vero se in Polonicam, sed in Russicam contulerunt clientelam.* Negari equidem non poterit, plures gentes a Tartaris oppressas, in hordas, id est tribus, fuisse redactas, sed ideo Tartaros eos appellare non licet; nam sermo eos detegit, quem adhuc seruant, et qui Tartarico omnino non est similis. Nec vero omnes ii, quos Cosacos vulgo appellant, ex Cosatica gente sunt. Nam sub nomine Cosaci etiam miles intelligitur similis illi, quem Hussar, Kalpak vel Bandur vocant. In Polonia, eiusque praesertim prouincia Vkraina, rusticus libertate accepta fit miles, quem tunc Kozacum appellant, tormento portatili, hasta et gladio armatum. Eiusmodi turba appellatur cohors Cosacorum. In Russia idem fit, vnde Cosaci Iaicki; sed veri Cosaci nulli sunt praeter solos Zaporouienses et Donenses.

Inter Tartaros vero, omnes, qui eo legati fuerunt, affirmant, Hordas esse Slauonicas, plurimosque ex Tartaris vtramque callere linguam. Argumentum hoc est eorum, quae supra dixi, antiquos illos Tartaros in Hordas redegisse, quos expugnauerant, populos.

Quod vero ad vocem Tatar attinet, quam Tartar falso pronunciari censent, eadem quidem ego sentio,

non

non vero ex autoritate Mircondi, sed ideo, quia adhuc se ipsos ita appellant, deinde quod Poloni, imo omnes Slaui id nomen Tatar enunciant. Erronea igitur illa nominis pronuntiatio ad septentrionales gentes non pertinet.

Tertia iam eorum, qui Cosacos a Tartaris originem traxisse asserunt, opinio minus vero absimilis est, cum non omnis nominum similitudo desit. Igitur eam altius examinabimus. Quem supra iam saepius allegauimus, *Anecdotorum Orientalium Compilator: Scriptorum*, inquit, *relationes et situs vicinia naturali ordine eo nos perducunt, vt de Chanis Tasch Kunt loquamur, qui hodie domini sunt regionum, quas habitant Tartari Karakalpak, homines nigri,* (*vel vt dicere debuisset, nigris pileis tecti*) *et Kasati vel Tartarorum Kasathiae aut Casatchiae incolarum horda* (*non orda*) *quorum primi a Septentrione, alteri vero inter Occidentem et Septentrionem Magnae Buchariae colunt.* His iungamus sequentia: *Kasati vel Tartari Casatchicae horda non parum similes sunt Calmucis. Mediocris quidem staturae, sed valde robusti, praeterea facie larga et depressa, multo sole exusti, oculis nigris et exiguis, sed ardentibus. Nasus ipsis non admodum deformis, barba frequens auresque nostris similes, crines nigri densique, quos quatuor a vertice digitis resecant, capitaque pileis tegunt rotundis, iis et paululum eleuatis, quas ex panno nigro confectas, ab inferiore parte pelliculis circumdant. Hi Tartari regiones inhabitant admodum fertiles, ad fluuium Tembam et in montibus, qui sedes eorum separant a Calmuccorum domiciliis.* Haec quidem omnia non carerent aliqua veritatis specie, nisi haec faciei, indolis et morum descriptio plane contraria esset iis, quae de Cosacis dicuntur. Id quod apparebit, si cum hacce Kasatorum idea comparauerimus eam, quam de Cosa-

p. 572. et 574.

 cis

p. 619. cis idem Scriptor nobis facit. *Cosaci*, inquit, *excelso corpore sunt elegantique, maxima eorum pars nasum habet aquilinum, oculos coeruleos, crines phoeniceo colore, faciemque plane decoram. Robusti sunt, agiles, fatigationem patientes, audaces, fortes et generoso animo. Libertatis suae mirum quantum aemuli extrema saepe passi sunt, cum eam conseruare niterentur. Caeterum inconstantes, duplici lingua, perfidi et ebrietati dediti.* Eadem fere de iis praedicat Tom. III. p. 377. *Morerius*, cum, *Vkrainiae*, ait, *incolae, quos hodienum Cosacos appellare mos est, quique hoc nomine gloriosi sunt, pulchra corporis statura eminent, robusti, agiles, diligentes, liberales, libertatis suae valde amantes, omnisque iugi impatientes sunt. Nullis fatigationibus succumbunt, audaces et ad militiam optimi, sed ebrietati dediti, perfidi ac proditores. Venationi et piscationi operam plurimam dant, omnique arti, ad vitam rusticam aeque ac bellicam necessariae.* Non parum abest, vt isti duo populi inter se comparati eadem gens esse appareant, adeoque nonnunquam nominum similitudo in errorem inducere potest Scriptores. Cum hocce in paragrapho nobis sermo inciderit in mores et indolem Cosacorum, liceat et ex celebri Scriptore adducere de hilari eorum animo testimonium, vbi, *Nihil* Caraccioli de hilari animo Cap. X. *magis*, ait, *mouerit cupidinem exhilarandi sese, et iocandi, quam Cosacorum aspectus. Ea gens, quam barbaram credimus, semper ridere et saltare velle videtur. Omnes, quos vnquam Cosacos noui, in commilitonibus suis hilaritatem excitabant, dominosque suos quam maxime delectabant. Homo certe, qui nullam, ne quidem corporis sui curam habet, nec tristis nec anxius est, et hoc quidem de Cosacis valet, quorum patria orbis est, et qui ex depraedationibus tantum viuunt.* Notum enim est, et ex supra adductis descriptionibus satis patet, Cosacos nihil omnino habere, quod Calmuccis

muccis ipsos reddat similes, Calmuccos vero Tartaris, a quibus originem trahunt, esse simillimos, imo deformitate vel superiores. Quae, quaeso, similitudo Cosacorum et Tartarorum Kasaticorum, siue staturam corporis, siue nasum, siue oculorum magnitudinem coloremue, siue faciem respicias? Quod ad crines attinet, non solum et ii colore differunt, sed etiam cum Kasati vel Horda Tartarorum Kasatschica eos quatuor a capite digitis resecet, e contrario Cosaci totum potius caput abrasum habent, nec vltra paruam crinium partem, quae a cranio supra frontem digiti magnitudine pendet, eorum nihil seruant. Eodem plane modo antiquis temporibus Polonos in picturis gestasse videmus, et istam crinium partem, quae pendet, Russica vel antiqua Sarmatica lingua, qua semper vsi suntCosaci, *Seledec* appellari scimus. Ex his, quae modo dixi, Lector iudicet, cuius gentis Cosaci sint progenies, et in tractu operis maiores et palpabiliores Tartarorum Cosacorumque dissimilitudines sentiet. Sunt equidem nonnulli, qui Kosak Tataricum nomen esse asserunt, indeque concludere volunt, non Slauici generis esse Cosacos, sed Tataros gente. Sermo vero eorum huic opinioni plane repugnat, is enim antiquissimus est Russicus, nec vlla Tatarica vox in eo reperitur. Ego plane credo, Cosacos Asianos ipsos Sarmatas esse, cum in eorum regione ab omni memoria habitarent Sarmatae, vel ipso iam antiquorum Scytharum tempore. Praecipue de Tanaiticis id mihi habeo persuasum, qui parum ab antiqua sede sua Moeotide recesserunt, quam Slauico adhuc hodie idiomate appellant Zhnile More, hoc est, putridum mare; quae quidem nomenclatura certe non est Scythica. Illa vero nomina Casacia, Kazari et Chazari nihil cum Cosacis commune habent praeter sonum quodammodo similem.

§. II.

NEC BVLGARIS ORIGINEM DEBERE COSACOS OSTENDITVR.

L. XI. Noſter Reinoldus Heidenſteinius Libro vndecimo operis ſui, non vero, vt Schurzfleiſchius vult, duodecimo, *Coſacorum*, inquit, *nomen a Perſis oriundum eſt.* Sed is omnino nullam meretur refutationem, quia opinionem ſuam nulla omnino auctoritate, nec vllis argumentis ſuffulcit.

Sed ſunt nonnulli Scriptores maioris ponderis, qui Coſacos a Bulgaris oriundos eſſe aſſerunt, inter quos Lomonoſſouius eſſe videtur, cum, *Bulgari*, ait, *Niſovich* (*qui nobis Niſowi i. e. Niſovienſes, quaſi Bulgaros inferiores dixeris*) *primi erant, qui Legatos ad ipſum miſerunt*, ad Vlodimirum nempe. Coſacos etiam Nizowi appellari ſcimus, fortaſſis ex vrbis nomine, quae olim Nieſſum vocabatur, ſita ſupra Olbiam vel Kiouiam, et alio nomine Boryſthenis nuncupata: ex aliorum autem opinione a voce Niz, quae planam regionem ſignificat. Tandem, et quod primarium eſt, homines vnius linguae eſſe ſcimus, minimo tantum dialecti diſcrimine.

Opinio quidem iſta vero ſimilior eſt iis, quas ex capite huius noſtrae diſſertationis ſub examen vocauimus. Quis enim, quaero, poſt tot probatiſſimorum ſcriptorum teſtimonia cum aliqua ratione dubitauerit, Bulgaros eſſe gentem, aeque ac Ruſſos, Sarmaticam Slauicamue? Nuper quidem incidi in Scriptorem, qui id ſerio agit, vt Bulgaris Tartaricam originem vindicet. Eſt is auctor hiſtoriae recentioris, editae in continuationem antiquae hiſtoriae Rollinianae, qui Tom. XIV. niſus auctoritate Chronici, Ruſſici manuſcripti ex Ruſſia per Cel. de l'Isle allati, et in aera-

aerario rerum maritimarum Regis Galliae locatis, *Bulgari*, p. 196.
ait, *ex Tartaria per alios Tartaros eiecti, aeque ac illi in regiones Slauorum transgressi, agros coluerunt victu in mercedem laborum contenti.* Hic locus non contemnendas difficultates inuoluit. Primo enim regio a Volga ad Tanaim vsque tunc temporis Tartaria non fuit, XIII. demum Saeculo a Tartaris occupata, sed Sarmatarum, Europaeorum, Asiaticorumue ab immemoriali tempore fuerat vel iam ante Herodoti tempora: Reges Sarmatici semper possederunt prouincias ad Tanaim et Moeotida, vsque dum Ramsanus traiecto Borysthene versus Danubium progressus est. Deinde Tartari Tartaros non eiiciebant, sed in societatem excursionum recipiebant. Tertio, Tartaros Slauorum agros coluisse, a vero plane absimile est: Tartari enim nunquam agriculturae operam dederunt, nec hodienum dant. Porro, quomodo colloqui potuissent, cum lingua Tartarorum seu Mongulica a Slauico idiomate plane sit diuersa? Quinto, iam anno 422. bellum Bulgarorum Slauorum in Illyrico cum Longobardis Germanis occurrit, in quo, Agelmundo Longobardorum Rege trucidato, filiam eius rapiunt. Longobardi filium Agelmundi, Lamissonem sibi praeficiunt, qui primo a Slauis victus mox victor extitit, teste Cassiodoro, Cuspiniano, Theophane et Baronio. Sexto, iam sub Imperatoris Lenonis regno, anno 480. Bulgari in Europa celebres extiterunt, vt ex *Pauli Diaconi* L. I. C. 2. et *Prosperi* Chronico patet. Septimo, Busae vel Brizae cum Theodorico Gothorum Rege Italiam petente certamen, de quo vide *Paul. Diac.* L. XVI. in 485. *Comitem Marcellinum* sub 499. *Chytraeum* sub 500. *Sarnicium* sub 505. Si *Cassiodoro*, et qui illum secutus est *Sigonio* fidem habemus, anno 489. id demum factum est. Adeo Anachronismus

igno-

ignoſci nequit, et neceſſario in Chronico Ruſſico verba *ex Tartaria eiecti*, *aeque ac illi* intruſa ſunt. Nam Tartari Europam decimo tertio demum Seculo deuaſtarunt; vt antea Bulgari Imperium Graecum. Sed iam ad Scriptores redeamus, qui Bulgaros Sarmatas eſſe expreſſis verbis affirmant. Sic Cromerus, clariſſimus hiſtoriae Polonicae compilator, Bulgaros Sarmatas eſſe affirmat, *Bulgarorum autem ſedes*, inquiens, *in Aſiatica Sarmatia ad Rha ſeu Volgam fluuium memorantur: quae loca Rusſis vicina ſunt. Inde autem eos Rusſis praeteritis vel certe ſociis in Myſiam commigraſſe veriſimile eſt. Iornandes quidem, eos cum Slauinis et Antis Romanum Imperium in Europa ſuo tempore vexaſſe ſcribit: et ſupra mare Ponticum ſedes eis attribuit. Blondus Danubii accolas eos eſſe refert, is autem in mare Ponticum influit.* Et alio loco expreſſe Slauos appellat *Primi Slauorum* dicendo *Bulgari*, *Nicolao eius nominis primo Pontifice Maximo poſt annum Chriſti octingenteſimum ſexageſimum.* *Procopius* Bulgaros Antas appellat, hos vero pro certo ſcimus Slauos fuiſſe, ergo et illos Slauicam gentem credere nefas non eſſet. Sic etiam *Andreas Cellarius*, non contemnendae fidei ſcriptor, ſatis explicite Bulgaros eſſe Sarmatas Slauosue contendit. *Illis ipſis temporibus*, ait, *ex illis circa paludem Moeotidem et Tanaim fluuium tractibus, egreſſa eſt gens alia Slauicum idioma vſurpans, Roxolanis ſeu Rusſis conſtans, qui Volgaris ſeu Volhyniis ſeſe aſſociantes primo in Tauricam Cherſoneſum peruenerunt, ac inde potiſſimam Europae partem peruadentes, diſſociati poſtea et nominibus variis inſigniti varias regiones in poteſtatem ſuam redegere. Rusſi in Septentrionem ſeſe effuderunt, Volgari Myſiam ſubegerunt, Moraui a Morauo fluuio in Morauia nomen inuenerunt, Volhyniorum in Polonia nomen reliquum manſit, Boiohami ſuum nomen et ſuam* regio-

Var. L. VIII. epiſt. 10. L. 15. de Imperio Occidentali.

p. 31. ſub anno 860.

L. IV. C. 4. de bello Goth.

p. 13.

regionem consecuti sunt. Chronici libri dicunt, Rossorum nomen anterius esse Russorum nomine, et originem habere a fluuio Ros, qui, antequam Volga diceretur, sub nomine Ross cognitus fuit. Iidem Bulgari ab initio nomen suum Slauicum ab ipso eodem flumine Volga quasi magno dicto, Volgari vel Bulgari dicti, vt antea ab eiusdem fluvii antiquiori nomine Ros, Rossi vel Russi appellabantur, qui versus Septentrionem progressi successores sedium habuere Bulgaros. *Theophanes* Thraces in Scythia parua, p. 232. Edit. Parisia. vel Bulgaria inferiori habitantes, qui adhuc ab aliquibus Ischitaki seu Skitaki, quod arcubus iaculantes significat, appellantur, expressis verbis Bulgaros seu Slauos vocat. Sic eodem scriptore teste Peregastus quidam, Dux Bulgarorum, sub Mauritio occiditur anno 589. Hoc nomen nouo est argumento, Bulgaros Slauicae potius, quam Hunnicae fuisse originis, cum nomina Regum Bulgaricorum ex Slauico idiomate desumta sint. Clarum igitur plane est, Bulgaros esse certam Sarmatarum posteritatem, eandemque cum Slauis et Antis moribus et lingua, reliquisque populorum notis, gentem. Praeterea scimus, vltimam Sarmatarum mentionem factam a Iornande sub ao. 473. cum ait: *Theodimirus* (*Ostrogothorum Rex*) *cum suis Saum* C. 56. *amnem transierat, et Sarmatis militibusque eorum, si quis ei obstaret, interminatus fuerat. Vorburgicus* hoc affirmat, eo Vol. 5. p. anno 473. expressis verbis, expirasse, dicens, Sarmatarum 314. nomen, et iis singularia successisse nomina Vinitarum, Bulgarorum et Slauorum.

Licet vero pateat, Bulgaros aeque ac Cosacos Slauos esse, tamen et eam opinionem, quae Cosacos Bulgarorum progeniem autumat, infra altius examinabimus, cum, qui Graecis Bulgari sunt, Slauis vero Volhary, a Volga flumine aduenerint, quod Volgae nomen in Slauico idio-

mate Magnum significat, quasi magnum dixeris fluuium: Russi vero et illi, de quibus nobis agitur, Borysthenitae Cosaciue Slaui fuerunt, qui ex Istranis vltra Borysthenem regionibus progressi Bulgaris adeo sunt anteriores. Huius quidem rei non minimum argumentum est insignis ille, quem in Schloetzeri historia vniuersali legimus, locus: *Slaui*, inquit, *Russici originarias sedes ad Danubium habuerunt, ex his saeculo quinto per Wlachas, Bulgaricam nationem, pulsi regiones ad Dneprum et Wolchow occuparunt et ad prius flumen Kiouiam, ad Wolchouiam vero Nouogrod aedificarunt.* Expresse quidem non negat, Bulgaros esse tribum Slauicam, nimis tamen clare asserit, gentem se vnam eos cum Russis et Borysthenitis non putare. Praeterea annotandum esse hic puto, quod a nobis alibi amplius probatur, Vlachas esse Volcharos ex diuersa Graecorum enunciatione. Quis enim non videt, Vlachas, quos nos hucusque Volohos appellamus, a Volha flumine vocatos? Non desunt quidem, qui, inuentis in Charta Geographica *Mercatoris* secundum Ptolemaeum exarata, nationibus Sarmaticis, Serbis ad flumen Rha versus orientem, et eorum vicinis Valis ab his Valachiae nomen datum esse autumant. Cum vero omnia gentium nomina ad pronuntiationem linguae genti propriae redigi debeant, verosimilius adhuc videretur, cum Vloch Polonice et Voloch Russice duplicata syllaba Italum significet, Valachiae hodiernos incolas esse coloniam Italorum commixtam cum Russo-Slauis, et inde nomen iis inhaerere. Graeci vero suo more V in B mutando et ex illis Hungarici Scriptores Blachas nominant, aeque ac Bulgaros ex Volgaris effecerunt. Inde iam, cum a flumine Volga Bulgaros seu Volgaros, quorum sedes aut regia Volgari hodie adhuc ad ripam Volga ostenditur, nomen habere pateat; palam

est,

est, quae somnia sint nonnullorum de Scandinauia Bulgarorum patria opiniones, inter quos insignis est Franciscus Irenicus.

§. III.
COSACOS ESSE SARMATAS PROBATVR.

Vt vero iam cuius modo meminimus Sarmaticam Cosacorum originem magis illustremus, firmiusque probemus, opus est, vt ea, quae de antiquis populorum istius regionis rebus scimus, cum iis, quae iam nunc ad eos pertinent, inter se comparemus. Hic iam *Herodotus* non parum lucis nobis affert, cum de Sarmatis ait: *Nec domus illis aut tectum aut sedes est, armenta et pecora semper pascentibus et per multas solitudines errare solitis, vxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis imbrium hyemisque causa tectis, pro domibus vtuntur.* L. IV. p. 46.

Haec quidem descriptio simul ad Polonorum maiores pertinet; haec vero gens nostris temporibus antiquam barbariem plane exuit, et praesertim architecturae studium in regno Poloniae non parum profecit. Sed quod ad Cosacos attinet, ii quidem hanc ipsorum imaginem abnegare nequeunt. Nam versus Zaporochy i. e. vltra Cataractas et hodienum habent tuguria ex arundine confecta, quae absque dubio sine tectis sunt, nam fumus per verticem exit. Sarmatico sermone ea appellant Salasz. Cum itaque sedem fixam hi Cosaci non habeant, quos Schitz vel Sigitz vulgo appellant, intra quinquaginta annorum spatium vel decies mutauere sedes, mox habitatum transgressi fluuium Kamionka, cuius nomen significat torrentem lapidosum, et qui in Borysthenem influit, mox vero vltra eum, mox ad eius fontes, mox vero ad ostium eius domicilia statuentes sine vlla vrbe aut capitali sede. Magnam semper pecorum vim habent, quae ipsi suo

 ordine

ordine custodiunt in vastis ipsorum solitudinibus, Slauice Step dictis, plaustrorumque tegumentis vtuntur arborum corticibus, quibus se contra imbres et niuem defendunt. En verbotenus descriptionem Herodoti, quae et hodienum Cosacorum vera pictura est.

L. 31. Omnia haec post plura exinde Saecula per *Comitem Marcellinum* confirmata fuere, qui ait: *Sarmatae in plaustro equoque viuunt, aedificiis nullis vnquam tecti, sed haec velvt a communi discreta sepulchra declinant, nec enim apud eos vel arundine fastigatum tugurium reperiri potest.* Quod ne quidem tecta ex arundine structa habuerint, superius iam rationem reddidi. Sed vt tanto clarius de iis constet, de moribus et vestimentis eorum pergere liceat, quorum memoriam in *Prospero Aquitano* deprehendimus,
p. 600. cum ait:

Ostro contemto et vellere senem,
Eximius decor est tergis horrere ferarum.

L. IV. p. 284. et 285. In Herodoto inuenio Sigynas, Sicynos vel Sihynos, qui vltra Danubium et versus Borysthenem habitabant, equis celebres fuisse. *Solos habitare homines nomine Sigynas veste Medica vtentes, eorumque equos toto corpore hirsutos esse ad quinque digitos altitudine pilorum, eosdemque pusillos ac simos, inualidosque ad viros gestandos, sed currui iunctos*
L. XI p. 790. *esse pernicissimos.* *Strabo* de Sicynnis tradit: *Eos vti vxoribus pro aurigis. Nam equos eorum esse valde paruos et hirsutos, nec ferre posse equites, sed plaustris et vehiculis iunctos celerrime currere, itaque mulieres sic institui, vt aurigare*
L. IV. 20. *possint.* *Zosimus* ex iis fecit Hunnos, quod improbat *Wesselingius.* Herodotus eos extendit ad Enetos vsque ad Adriam, sicut et *Bochardus.* Haec narratio non solum conuenit cum situ hodierno regionis Sycz vel Sihitz, cuius modo mentionem feci, sed et hodienum in vastis illis

illis planisque desertis, quae Cosaci Step appellant, genus inuenitur paruorum equorum siluestrium hirsutorumque ad quinque digitorum longitudinem pilos habentium ob summa istius regionis frigora. Sic et Herodotus eorum vestimenta Medica esse dicit, id est, longa, quibus et hodie adhuc Cosacorum Duces et Tribuni vtuntur.

Nec minus Cosacis conueniunt, quae Ammianus L. 16. c. 10. Marcellinus de Sarmatis praedicat, quos *latrocinandi peritissimum genus* vocat et *ad latrocinia magis quam aperto habiles Marti.* Imo, quae idem Scriptor de virorum in- L. 17. c. 12. ter Sarmatas venationis nec non rei bellicae studio tradit, et de foeminis etiam Sarmaticis *Pomponius Mela* testatur, cum ait: *Arcus tendere, equitari, venari, puellaria pensa sunt*, a Cosacorum indole plane non sunt. L. 3. c. 4.

Sed argumenti instar, quod *Herodotus* de eadem gente loquatur, alium locum adducemus, quo res clarior euadat. *Tertium flumen*, ait idem Scriptor, *est Hypanis* (*qui Sarmato-Slauis Boch nominatur*) *ex Scythia veniens, et ex magna palude profluens, circum quam pascuntur equi siluestres.* p. 236. Hocce in loco argumentum inuenio clarissimum, quod Herodotus de eodem populo loquatur, de quo pag. 284. et 285. Quis vero nescit, Cosacos exinde totum illud spatium occupare ab Hypani vsque ad Borysthenem? Ad Hypanim enim et confluentem fluuii Sina-Voda omni tempore habuerunt propugnaculum, Sarmatice Gard dictum a Garda, hoc est, fluuii faucibus. De eodem Hypani Herodotus pagina modo citata addit: *angustus est*, videturque adeo is fluuius, qui nostris Boch dicitur, a Graecis Hypanis dictus, quia istorum equorum vadum erat.

§. IV.

SEDES COSACORUM IN INSULIS BORYSTHENIS: PORPHYROGENETA ILLUSTRATUR.

Sic quidem in Herodoto et Marcellino, qui circa annum Chriſti 390. floruit, illius regionis ſub Hypani et Borysthene, vbi nunc Coſaci adhuc manent, Sarmatas ſeu Henetos quaſi indigenas deprehendimus. Nunc iam Imperatorem Conſtantinum Porphyrogenetam allegabimus, qui in libro ad filium de recta gubernandi ratione conſcripto, et quidem in Ruſſorum deſcriptione, loci illius, vbi extant in Borysthene Cataractae illae Coſacorum Zaporouienſium ſedes, amplam reliquit memoriam. Mortuus is Imperator eſt anno 959. adeoque coaeuus fuit Suentoslai, cuius nomen more Graecis conſueto ita corrupit, vt in Sphendos Thlabo vix cognoſci poſſit. Sic et caſtra ſeu propugnacula limitem ſiue Polowcorum vel Palavcorum, vt Ruſſi pronunciant, ſiue Imperii orientis propria enumerans adeo mirifico mutauit modo, vt vix credi poſſit. Primum caſtrum eſt Miliniſca, quod appellare debuit Mlynizcza, id eſt, caſtrum molendinis munitum. Alterum nominat Telintza. Licet vero hoc nomen absque dubio Slauicum ſit, tamen quid ſibi velit, me non intelligere, ingenue confiteor, niſi forte, correcta ad Slauicum idioma terminatione in Vlcza, hocce Caſtellum ad fontem maioris Tetiguli ſitum credere libuerit, vt adeo Teligulcza legeretur. Tertium, quod Imperator vocat Tzernigoga, facilius mihi erit reſtituere, nam Czamo-gora eſt mons niger. Quartum eſt Buſegrade, quod iis, qui obſeruarunt, ſaepius a Graecis loco litterae V litteram B ſubſtitui, Vuszegrade vel Vizegrad appellandum

videbitur,

videbitur, quae vox castrum superius significat, nam Grad est propugnaculum vel munitio. Inde ad Danaprum descendendo castrum Ciuaba memorat, quod debebat dicere Koczioba vel Koczarga, id est, sepulturas prope vrbem. Sic et in mappis Geographicis locus nomenque Kociobey seruatum existit.

Nunc *Porphyrogenetes* de populis, qui Russis subiecti finitimiue erant, loquitur, id est, de Slauis et de Patzinatzis seu Palaucis, vbi inter caeteros Slauos, quos liberos iudicat, et Cribeteaenos memorat, et Leuzanenos Russorum fuisse vectigales; quod ita concedi potest, vt Slaui hi fuerint gentis vnius diuersae tribus. Quod Cribeteaenorum nomen qualisque gens sit, plane esset incognitum, nisi, vt vbique, ita et hic Graecorum B in V restituendo Kriue manifesto Slauicum agnosceretur, adeoque Kryodziciele vel Kriwdzielce Slauo-Russice, essent populi noxii seu ex praeda viuentes, quales nunc sunt Cosaci. Alteros Lenzanenos *Porphyrogenetae* recognoscimus ex nomine Lenznie, hoc est, custodes nocturni, quod adhuc in Castellis nostris in Vkraina vsitatum est, et certum militiae pedestris genus significat. Deinde vero venit ad Castrum Biteczebe, quod more Graecorum ex Vicieczke mutilatione effecit, hoc enim nomen hic optime conuenit, cum apud nos Vicieczka id vocetur, quod Hirtio apud Caesarem est nauigiorum excursio.

Iam nunc ad Borysthenis Cataractas peruenimus, quarum prima *Esupe cognominatur, quod Russorum Slauorumque lingua valet: non dormire.* Ex hac ergo interpretatione facilis erit correctio falsae pronunciationis *Esupe* in *Nesupe*, sed rectius in *Nespite*, quod est, *non dormite* ob periculum, quia praeruptum illud admodum est angustum. Patet vero ex ista *Porphyrogenetae* interpretatione,

tione, Ruſſorum Slauorumque vnam eſſe eandemque linguam. Hoc loco refutationis cauſa in medium proferenda ſunt verba Clariſſimi Schloetzeri, Viri alioquin non parum eruditi, qui, *Singulare eſt*, inquit, *quod nomina Cataractarum Ruſſica plane nullam ſignificationem Slauonicam habeant, et quod nemo ea poſſit explicare; neceſſe eſt igitur, Conſtantinum non Slauos cogitauiſſe, quando de Ruſſis loquitur, quales nunc ſunt, ſed de gente ignota, ex qua re multa alia argumenta poſſunt deduci, quae tantummodo tetigi* p. 87. *in Annalibus Ruſſicis.*

Facile equidem credo, ita videri Schloetzero, cum mihi gente Polono exoticae linguae voces primo intuitu viſae ſint. Sed ſtatim ad locorum ſignificationem applicaui animum, et parti bene pronunciatae innixus facilius reliquum detexi, adeoque litteras mutatas ſuperfluasue, quas pronunciatio peregrina induxerat, cognoui. Sed ad Porphyrogenetam redeamus, quo melius Lectores conuincamus, vno tamen addito antea, quod, licet absque vllo dubio Ruſſicum Slauicumque idioma vna tantum ſit eademque lingua, cum Coſaci nil niſi Ruſſice loquantur, tamen quaelibet tribus Cataractas illas diuerſo appellauerit modo, nihilominus in vna tantum lingua.

Venit ergo Scriptor noſter ad Cataractam, quae, vt ait, Ruſſico idiomate appellatur Vlborſi. Hic ſtatim annotandum eſt, quod haec vox nec Ruſſica ſit nec Slauica, ſed tamen ex ea, quam nobis facit deſcriptione, *Significatque*, aiens, *inſulam loci praerupti*, facile corrigi poteſt in Vchorey, id eſt, cataractum ſuperius. Huius ipſius nominis plurimi apud nos pagi ſunt Vchorce vel Podorce, loca vel ſub vel ſupra collem, eaque inſtar inſularum ſeparatim iacentia. Patebit autem, Slauicam iſtius loci denominationem conuenire cum eadem Ruſſica ſignificatione.

ne. Eundem locum Slauice appellat Ostrobuniprach, quod vocabulum ex tribus verbis facile recognoscimus. Ostro quidem recte dictum est, sed B in Buni semper in V mutandum, dicendumque erit Vspy, quod, vt ipse *Porphyrogeneta* asserit, Slauice insulam significat. Tertia vox Prach et ipsa Russica aeque ac Slauica est, quae limen seu Cataracten significat (vnde et nunc vocantur Cosaci Zaporochy, id est, Cosaci, qui extra Cataractas manent) ita Ostrouspyprach erit limen insulae acutae. Inde pergit: *Parique modo tertium praeruptum transmittunt nuncupatum Gelandri, quem Slauice sonum loci praerupti nuncuparunt.* Haecce vox iam difficilior restauratu est, quia nimis deprauata, et ea, quam dedit *Porphyrogeneta* significatio, Russico, vt existimandum est, aeque ac Slauico idiomate constans, locum habere omnino non videtur. Quomodo enim Gelandri Slauis sonum significare potest? neutiquam, nam Slauo-Russis sonus est Golosni; cum ergo explicet auctor nomen Cataractae per sonum loci praerupti, Grochoti fortasse dicendum, quod strepitus seu murmura aquarum significat.

Quartum praeruptum est Aiphar, verius Aispar. Ai est exclamatio; spar, spor est obstaculum, seu limen siue praeruptum, tam Russico quam Slauico idiomate. Neaset illud Slauis ab alia re appellatur, vt ipsius Scriptoris explicatio fert, *quoniam in saxis munitionis Pelicani nidificant.* Nescio equidem, quod auium genus Pelicanos fecerit, annon Butionum seu Butoriorum? Vix hoc mihi persuaserim: nam non solum istud volatile genus rarum omnino non est, deinde vero nidum suum plerumque extruit in paludibus et aquosis locis potius, quam in saxis. Quaerere igitur oportet auem in saxis vel rupibus nidificantem. Cuilibet autem notum est, Hierofalcum auem esse

ad venationem nobiliſſimam, et quod hic neceſſarium eſt, in ſaxis nidum ponere. Inde illud Slauicum Neaſet clariſſimum exiſtet; nam Naszec vel Noszec eſt volucris, genus accipitrum, quod manu ad venationem portatur, et ipſum nomen Naszec auem ſignificat portatilem. Sic ex Coſacis meis habeo, capi in rupibus iſtis accipitres, quos Polonis Principibus ad venationem vendunt. Quod ad Butionem attinet, is *Plinio* Aſterias appellatur; Butio vero, quia in aquis bubit. *Auct. Philom. Robert. Conſt.* vulgo Butorius, nobis Bak, Illyriis Bukacz quaſi Bakacz, quae vox idem cum Graeca ſignificat, quam in Gloſſis Graeco-Latinis inuenimus. Onocrotatus *Martiali* ab aſini ſtrepitu, quem edit, *Siponti* et *Iunio* Onocrotalus *et Hieron. Iſidoroque.* Duplex eſt, aquaticus et ſilueſtris. Pelecan vel Pelecanus *Aldrouando* et *Dalecampio.*

Scriptor noſter ad quintum pergit Prach, id eſt, praeruptum Ruſſis, vt ait, dictum Baruchorum. Haec vox non ſolum adeo defigurata eſt, vt terminatione ſua nullo modo Slauica eſſe poſſe videatur, ſed quaſi Latina facta eſt inſtar genitiui caſus. Qui vero callet Slauo-Ruſſicum ſermonem, facile videbit, dicendum eſſe Bahnuprach, ex argumento, quod *Porphyrogeneta* ipſe praebet, *quod paludem magnam efficiat, nominant.* Ita Bahnuprach paludis nomen portat, et Prach eſt limen ſeu praeruptum. Slauis ergo Bachneprach idem erit, iis enim Bahno, Bagno et Bagnisko.

Ad ſextam pergimus Cataractam, quae Ruſſis Leanti, Slauis Berutze, *quaſi diceres aquae ſcaturigo*, debuit dicere Lecaty, quod eſt fundere aquam ſeu funduntur aquae *Lambinio.* Slauis non Berutze, ſed Verzut eſt vel Verzuca, quod nihil aliud Latine, quam ſcaturigo ſcatens. Ita etiam explicat auctor.

Septi-

Septimum limen non Strubum sed Strumim dicendum est, quod illic vertitur flumen per suam angustiam vix non in riuulum. Addit auctor: *Slauis Napresi, id est, exiguus locus praeruptus.* Napres, Napor, cuius Synonymum est Prach, et nobis hodie locus arctus angustusue dicitur, non vero exiguus, vt illum superius appellauit.

En iam, vbi ab immemoriali tempore supra Porochy (Cataractas) habitarunt Heneto Slaui, qui vltra Borysthenem extenderunt sese ad Danubium, a nostro vero Borysthenis latere limites habuerunt Sicz, Niz, Gard, magnum Step, id est, desertum, cuius hodienum partem seruant. Operae non solum pretium fuit corrigere nomina septem illarum Cataractarum, vt pateat, quam parum fidei habendum sit Scriptoribus Graecis quoad nomina: sed et annotandum adhuc puto, regionem ipsam Porphyrogenetae non bene notam fuisse; nam scimus, tredecim esse Cataractas, de quibus plura dicere superfluum duco. Id egi, vt ostenderem, 1. certum esse, quod ante Herodotum insulae istae a Sarmato-Henetis habitatae fuerint; 2. deinde vero ab eorum posteris, Slauis, et quod Cataractae semper ab his fuerint possessae; 3. quod sedes et mores horum populorum nullis aliis magis conueniant quam Cosacis; 4. quod Russi et Slaui vnam semper eandemque habuerint linguam, nam Cosacorum lingua hodienum adhuc est Russica, eadem, inquam, eos vti dialecto Slauicae matris; 5. tandem quod Cosaci sint Slaui, nec Tartarici aliquid habeant, vel in origine, vel in moribus, vel in sermone.

Quae vero *Porphyrogeneta* habet, quod hi Slaui tributarii Russorum fuerint et inter eos etiam Seruios enumerat, probe quidem expendenda sunt. Cum enim Russos Slauis Cataractarum incolis pecuniam soluisse sciamus, apparet socios potius eos fuisse, imo eiusdem gen-

tis homines. Cum porro ipse *Porphyrogeneta* dicat, quod iis vendiderint monoxilia, lintres et scapulas, et alio loco, Slauos Zaporouienses materiam tantum apportare extruendorum nauigiorum, Russos vero emtam ex aqua extrahere et construere, an hoc dici posset, si vectigales fuissent? Sic et libertas Seruiorum, aut, vt melius probandum, Serborum certissima patebit consulto *Diocleate, Marulo* aliisque plurimis Scriptoribus, qui Reges Seruiorum nulli alieno imperio subiectos memorant.

Finita de Cataractis disquisitione locum adducere liceat, quem non sine admiratione mea in continuato *Morerii* opere deprehendi: *Obseruandum hic est, quod Cosaci Russi sint, de quibus Constantinus Porphyrogeneta in suo de gubernando Imperio tractatu loquitur. Tunc temporis, id est, decimo Saeculo quotannis venerunt in Pontum Euxinum, imo Constantinopolin vsque. Sed Patzinatzae saepe eorum excursiones retinuerunt, quin videtur, mercaturae causa eos tunc potius venisse quam latrociniorum.* Modus eorum in Borysthene nauigandi singularis est, sed nimis longa eius descriptio, quam vt hic locum possit inuenire.

Tom. III. p. 377.

Non minus Lexicon vniuersale *Hoffmanni*, in quo celebris auctor omnium fere Historicarum rerum succum collegit, fulcrum nostrae opinioni praebet: *Cosaci populi Poloniae, qui primum exiisse dicuntur ex insula Borysthenis, in cuius etiamnum ostiis viuunt, Turcis terribiles sub nomine Russorum. Ducem habent proprium sub dominio Regis Poloniae. Classe ad Pontum Euxinum excurrentes Constantinopolin obsident anno Christi 860. sub Michaele Imperatore; sed re infecta inde discedentes ex captiuis Religionem Christianam didicerunt.* Statorem huius narrationis sistit Cromerum: nomen vero Cosacorum, auctore P. de Valle, deriuat a Ruthenica voce Cosac, id est, miles vagus. Idem igitur

p. 491.

Hist. Pol. L. IV.

Itin. T. II. et III.

tur auctor nidum Cosacorum in istis Borysthenis insulis, de quibus saepe a nobis iam mentio facta est, agnoscit.

§. V.
EPOCHA ET ETYMOLOGIA NOMINIS COSACORVM.

Hactenus demonstrauimus, Cosacos seu Borysthenitas nec Tartaricae originis, nec eosdem cum Bulgaris esse, sed Sarmaticam vel Slauicam progeniem, et ex eadem cum Russis stirpe. A nobis vero vocatur gens ista Cosatica Zaporowscy vel Zadnieprzscy, quia, quoties Regibus Poloniae fidem iuramento promiserunt, semper ab ista incipiebant formula: *Nos homines inter Cataractas viuentes*; id quod idem est, ac Borysthenitae.

Praeter ea vero, quae superius adduxi, argumenta, quod Cosaci Borysthenis accolae Russi sint, et alia, quae desideranti non deessent, hic per lancem saturam locum ex Longino adducam. Ait is: *Anno 966. Dux Russiae Suatislaus in Cosacos, qui et ipsi Ruthenorum sunt populi, expeditionem egit, et obtinuit eos bello et cepit castrum eorum Bialouica, et facti sunt ei tributarii.* T. I. L. I.

Quo, quaeso, modo luculentius probari poterit, Cosacos Russicum esse populum, porro Slauos esse eos, quorum vrbs Bialouica pure Slauicum nomen est? Sed iam ad Cosacorum nomen pergamus.

Non facile definiri poterit, a quo tempore Slaui hi nomine Cosacorum appellari inceperint. Vt quidem ego sentio, inter se et a Russis, simul ac in tribum coaluerunt, ita nominati sunt, cum, vt statim patebit, ex vestimento ipsis proprio appellati sint. *Longinus* noster ex Manuscriptis Theodosii Abbatis in Russia aliisque eorum iam sub anno 966. mentionem facit.

Porphyrogenetes, qui fere poſt Saeculum exinde vixit, Slauos eos appellat. Non auſim vero dicere, cum omnia fere nomina ab hoc Scriptore mutilate proferantur, annon ex Coſacenis fecerit Creueczenos, cum Slaui Creueczeni in tota Slauica hiſtoria alias nullibi occurrant.

Iam vero facilius Scriptores de etymone nominis eorum, quod a Koſa Coſaci appellentur, conueniunt. *Longinus* nimirum, *Cromerus*, *Piaſecius*, *Paſtorius*, *Tuldenus*, *Becmannus*, *Schurtzfleiſchius*, *Marinius de Supo* Polon. *Iohann. Popping*, anonymus auctor rerum belli ſtatusque Polonici, *Morerius*, *Hoſmannus* etc. His Ruſſis ſeu Slauis Koza dicitur capra ſiue domeſtica, ſiue ſilueſtris vel Dama, Coſacis vero pluribus modis inde nomen poterit venire. Primo quidem, quod totam vitam bello, depraedationibus et venationi dantes, carne Damarum, quibus redundat ipſorum regio, veſcantur et ex pellibus veſtitum habeant, quos adhuc ita vidimus; deinde, quod Damarum celeritatem equitando fere attingant; porro, quod in depraedationibus et latrociniis ſuis caprarum reliquorumque animalium domeſticorum furta committant, vnde poſtea venit verbum Kozac vel Kozaczyc, quod eſt depraedare.

Leibnitzius vero in vna litterarum ſuarum ait, nomen Coſacorum venire a Koſſa, quod Ruſſice crines ſignificat, quia eos per totum caput abradunt, ſeruata tantum minima aliqua eorum parte. *Frencelius* e contrario autumat deriuationem nominis Coſacorum a Slauonica voce Koſſa, id eſt, falx, vnde Koſſack falcifer; ſed hoc eſſe non poterit, cum nomen Kozack per z, Koſſa vero, falx, per duplex ſſ ſcribatur. Praeterea falces illis armorum loco non ſunt, ſed lanceae; et ſi forte pedeſtrem pugnam ineunt, quod ab illis niſi coactis raro fit, bombardis ſe de-

defendunt, sed equitatu illi more antiquo Sarmatarum multum valent.

Est vero vltra Borysthenem, vt in antiquis chartis Geographicis videre licet, fluuius nomine Koza, qui in Danaprum influit. Dubium fere est, an fluuius genti, an vero gens fluuio dederit nomen?

Postea temporis dum Cosaci finitimis et inimicis suis graues existerent, et Poloni magnas a Tartaris, Turcis, Valachis, Moldauis et Transiluanis iniurias perpessi eorum auxiliis vterentur, militare hoc Cosacorum nomen factum est. Audiamus Cnapium in Dictionario: *Kozacy*, p. 311. *id est, Cosaci, (Kozactiuo) leuis armaturae equites, velites equestres Polonorum Cosacos vocat Cromerus, sed origo vocis Slauonica est, a caprarum credo pastoribus.* Inde iam apparet, quod Kozactiuo est militia, et quidem leuioris armaturae equitatus, porro, Slauicae originis nomen Cosacorum esse, expresse asserit. Inde vero quidam concludere coeperunt, Cosacorum nomen omnino non gentis, sed militiae tantum esse, inter quos videtur numerari posse auctor noui versus Septentrionem itineris: qui *milites illorum*, ait, *ipsorum lingua Cosaci appellantur*, id p. 165. quod nonnullis ansam praebuit credendi, quod Cosaci sint gens quaedam diuersa.

Haec vero militaris gens ab istis Borysthenis Cataractis per totam Vkrainam, id est, Marchiam Polonorum a Russis appellatam sese extendit. Lexicon *Hoffmanni* adhuc mire nostrae opinioni conuenit. Ait ille sub littera B: *Vkraina, Gallice l' Vkraine, Prouincia Poloniae, quae sic dicitur, quasi posita in limite Moscoviae et Tartariae minoris. Vocatur alias Volhynia inferior, seu Palatinatus Kiouiensis, ab eius vrbe primaria Kiouia et Braclauiensis: in duas partes scinditur a Borysthene fluuio. Habitant in eo*

tractu

tractu Cosaci populi. Cosaci autem non sunt gens aliqua propriis terrarum terminis vel Reipublicae statu proprio consistens, sed tantum species vna ex genere militiae Polonicae, tanquam militia celerum seu velitum seu leuis armaturae: a Kosa Lat-capra, cuius agilitatem et inaccessa adeundi curiositatem imitantur, dicti. Oriundi sunt ex omnibus Provinciis Polonicis, iique, qui societatem Cosaceam Zaporochianam efficiunt, maxime ex prouinciis Russicis, Chersoneso Tauricae vicinioribus, prodeunt, Zaporouiani appellati, quod in insulis Borysthenis Zaporohi militiae vacent, ibique transitus Tauricanorum Tartarorum obsideant.

Ita ergo haec militia in Palatinatibus Kiouiae, Volhyniae, Podoliae, imo et Russiae sese effudit et domicilia constituit. Nec minus *Hoffmannus* a Kosa, Latine Capra, Kosacos deriuat, quod sine dubio ex *Becmanno*, au-
p. 401. ctore historiae orbis terrarum, sumsit. Qui, *Quod satis exprimit etymon nominis Kasaky, dictum a Kosa, quod Latine Capram significat, quippe qui agilitate et curiositate inaccessa adeundi capris similes sunt. Suntque omnes ex Provinciis Polonicis oriundi, et illi, qui societatem Cosacam Zaporochianam repraesentant, maxime ex prouinciis Poloniae Russicis, vicinioribus Chersoneso Tauricae, prodeunt, Zaporochiani dicti, quod in insulis Borysthenis Zaporochy (Porochy) militiae vacent, atque ibi transitus Tauricanorum Tartarorum obsideant. Ipsum Pontum Euxinum infestum reddere inuasionibus suis atque Turcis etiam formidabiles esse prolixe*
p. 46. *exponit Piasecius. Nec Turca sine grauibus querelis tulit restitutum ab illis anno 1625. Chanum Tartarorum in Chersoneso Taurica, eundemque postea interfectum.*

Ex his non minus liquet opinio illa communis de origine nominis Cosacorum, sed et ex nostro *Piasecio* gentis valorem et robur mirari licet.

Popu-

Populus ille, vulgo dictus Cosaci, certe antiquissimus est, neque dubitandum, quin Regibus Poloniae ex Ducum Lithuaniae prosapia olim iam a Saeculo decimo tertio paruerit, cum balnea D. Vitholdi in Tabula Geographica de Beauplan, vltra fluuium Borysthenem inueniantur. Locus hic, qui medius est inter Cosacos, Tanaitas et Borysthenidas seu Insulares cataduporum, situ vero, vti superius annotaui, paululum inferior. Tempore vero Sigismundi primi, nepotis tam Flagellonis ex filio, quam Vitholdi ex fratre, regnum Poloniae maiorem fructum maioresque vtilitates percipiebat; etenim *Starowolscii* scripta legentibus occurrit (id quod etiam in *Niesiecki* libris inuenias) Regem eis dedisse Preclaum, Comitem a Breze Lanskoronski, pro Duce; qui cum exercitu, cui imperabat, triginta non solum millia Tartarorum ad Oczacouiam fudit, sed et ad Moeotidem eos vsque prosecutus est. Eadem manu instructus alio tempore Turcas ad Bialogrodum (Moneastrum) vicit fugauitque.

p. 150. Tom. III. p. 25.

Sic Samuel ille Comes de Zborow, filius Castelani Cracouiensis, qui supremus erat (quem dicimus) Dux Cosacorum, regnante Stephano, Poloniarum Rege, optime eorum auxilio fortitudineque contra Tartaros, aeque ac contra Russos ad Veliki Lugi vsus est; quibus ex nominibus venerandis facillime iudicare possis, quanto in pretio tunc temporis Cosaci fuerint: vt idem Auctor habet. T. IV. p. 717.

Saepe vero haec natio fallax violauit iusiurandum, quod praestiterat Regibus Poloniae; causa fuerat, quod illis prohibitum esset, ex insulis suis in Ponto piraticam contra Turcas exercere. Ideo contra Poloniam exarserunt, iunctique Russis maxima Reipublicae intulerunt damna. Sic anno 1587. a Iohanne Podkowa incitati rebella-

runt, ſed mox a Magno exercituum Reip. Duce Zamoyſcio victi ſunt, et rebellionis auctor capitali ſupplicio criminis poenam luit. Nalewaiko, caſu eius non perterritus, nouas anno 1597. turbas ciet, ſed a Zamoyſcii ſucceſſore, qui Zotkieuius erat, praelio ſuperatus eodem ſupplicio affectus eſt. Inde pacem ſeruarunt Coſaci ad 1637. vsque, vbi Paulua inſurrexit rebellis Coſacus, a Potockio autem, ſupremo exercitus Polonici Duce, victus et capite mulctatus fuit. Poſt mortem vero Vladislai, qui Bohdanum Chmielnicium, vt ſibi contra Turcas vtilis eſſet, Coſacis Ducem praefecerat, iſte Chmielnicius beneficiorum oblitus, perduellis extitit, et ruſticorum bellum anno 1648. excitauit, a Turcis, Tartaris et ipſis Ruſſis adiutus. Is quidem vix non fatalis fuit Poloniae hoſtis, nec vna clade deterreri potuit, ſed ſequenti anno 1649. quo Caſimirus Poloniae Rex conſecratus eſt, cum Criuono rurſus inſurrexit, et quamquam ad vrbem Zborow inferior diſcederet, tamen anno 1651. nouas turbas excitauit, rurſusque ad Bereſteczko victus per duo adhuc ſequentes annos hoſtem ſeſe Polonis timendum praeſtitit. Magnus quidem ille Dux Stanislaus, Comes Koniecpotski, Boplanio (Beauplan) mandauerat, metari fortalitium in loco quodam dicto Kudak, Boryſtheni vicino, priori ex tredecim Cataractis, opponendum ad coercendos Coſacos, quod tamen minime valuit. Nam et in hoc noſtro Saeculo, anno nimirum 1710. noua erupit Coſacorum rebellio ſub Samo aliquo, quae vix potuit componi.

Clariſſimus ille *Büſchingius*, omni elogio ob immenſum laborem ſuum dignus, ait, Coſacos veniſſe a Circaſſiis; ſed ego quidem fateor, me illi deuinctum et obſtrictum eſſe ob mentionem honorabilem, quam de me in operibus ſuis fecit, monitum tamen velim Lectorem, vt

rem

rem probe expendat. Nam quidem Leunclauio, Cotzinoque consultis, inuenimus, Cosacos vt et Circassios esse Sarmatas, praedictique Auctores Circassios peculiari nomine Quinquemontanos, h. e. Petechoros esse affirmant, quod nomen omnino est Slauicum, nempe *Pet* est quinque, et *hory* est montes. Addi Harduinus in notis ad Plinium potest, qui, *Sunt hi*, ait, *Sauromatae, qui nunc Tartari Petichori, id est, Quinquemontani vocantur.* Hoc ita intelligendum est, quasi a Tartaris subiecti; etenim Christiani sunt, Graecumque ritum seruant, adeoque fortasse Circassii appellati a Cerkiew, quod Ecclesiam significat, vel etiam a Cerga, quod est tentorium, vt Cerghica tentoriolum. p. 841. L. VI. p. 660. *Bilibaldus. Pirkhaymerus.*

Tandem *Andreas Cellarius* de ista militia, *Istorum*, inquit, *aut prima mentio incidit in tempora Regis Sigismundi I. quo regnante Cosacorum Dux militaris fuit Ostaphaeus Eustahius Daszkieuicius, ex oppidulo Ovrucko oriundus. In dictis igitur insulis, quas Borysthenes alueo suo lato includit, populus hic bellicosus commoratur, ex iis Tartaros et Turcas vicinos incursionibus et depopulationibus suis infestans. In Palatinatibus vero Kiouiensi et Braclauiensi casas suas, domos et agros habent. Tartaros ex Polonia aut Moscouia reuertentes ex insidiis obruere, et praeda acquisita iterum spoliare solent. Insulae enim Borysthenis dictae quatuor tantum dierum itinere ab angustiis Peninsulae Tauricae absunt.*

§. VI.
CONCLUSIO.

Iam ex his omnibus, quae protuli et argumentis suis firmaui, patet, Cosacos iam olim fuisse gentem, vel potius tribum. Nam versus annum 1400. Vitholdus seu Alexander, patruelis Iagellonis, regnauit in regione circum-

iacenti insulas istas. Videre id licet in antiquis mappis Geographicis supra ripam Koczoboy, vbi notata sunt balnea Vitholdi, qui Sigismundus ex patre pronepos fuit huius Principis, iam versus annum 1500. et paulo post Sigismundus I. illos mercenarios suos fecit, vt supra iam memoraui. Anno 1562. per constitutionem a Reipublicae ordinibus factam remunerationem acceperunt expeditionum suarum in Poloniae vtilitatem susceptarum. Ad portas enim Constantinopoleos vsque penetrauerant, et Trebisondam Sinopinque igne ferroque vastauerant. Sed anno 1583. Bathoreus Rex, cum id ageret, vt Cosacos disciplinae subiiceret, quem populum videbat magnae vtilitati posse esse Reipublicae: tunc, inquam, demum ex omni parte aduenit turba hominum cupiens commodis frui, quae Rex Poloniae iis proposuerat. Maiori adhuc studio versus annum 1637. et 1639. rustici vndecunque accurrunt ad Chmielnickium, et tunc cum Insularum incolis seu antiquis Cosacis commisceri coeperunt.

Nam Cosaci isti origine sua latronum turba erant, quae in insulis degebat, quas Borysthenis hodie Dnieper, Iornandi Danaper efficit. Semper bellis occupati ex praeda et rapinis tantum viuebant. Vestes illorum hiberno tempore ouium pelles crudae, per aestatem vero damarum ceruarumue. Assueti sustinendis temporum iniuriis et maximis fatigationibus, optimi milites fuissent, si qua militari disciplina potuissent regi. Praeter vehiculorum suorum congeriem, quam Tabor appellant, nulla castra habuerunt. Ex iis sese quasi ex propugnaculis defendebant. In hoc populo, vt supra memoraui, Rex Bathoreus disciplinam instituere tentauit, et licet ex his Barbaris bene ordinatas copias efficere non poterat, aliquem

tamen

tamen in eorum militia ordinem fecit. Vt ad Poloniae defensionem eos induceret, vrbem et territorium Techtimiros in Borysthenis ripa ipsis anno 1576. concessit. Ista via Tartari regnum inuadere assueti erant. Cosaci igitur instar propugnaculi sunt, quod Bathori Tartaris opposuit, Turcisque, quos etiam saepissime represserunt.

SECTIO IV.

DE SARMATO - IAZYGIBUS.

§. I.

ORIGO IAZYGUM.

Neminem quidem fore existimo, qui opera aliqua historiae studio impensa, dubitare possit, quin Iazyges gens fuerit numero, antiquitate et virtute praestantissima. Nobis iam id sumsimus, vt quaedam ex iis, quae passim in Scriptoribus occurrunt, ad gentis cognitionem facientia colligamus, lectoribusque rerum Sarmaticarum curiosis ob oculos ponamus. Id certe nobis omni dubio carere videtur, Sarmaticae originis fuisse Iazygicam gentem, cum antiquissimi Scriptores *Ptolemaeus* et *Cornelius Tacitus* clarissimis verbis id asserant. Ptolemaeus enim Iazygas, in maximos, minores et medios diuidendos, omnes eos in Sarmatia ponit, et inter medios Sarmatas expresse vocat illos, qui Euxinum versus porrigebantur. Alio in loco Sarmatiam finibus circumscribens, omnem eam terram Sarmaticam esse dicit, quae Balthico mari, et Vistula fluuio, et finibus Iazygum Metanastarum Dacorumque, et Ponto Euxino paludeque Moeotide, et Tanai amne circumdatur. Haec quidem sunt, quae nostrum *Stanislaum Sarnicium*

 in-

p 930. induxerunt, vt de Iazygibus seu Iazwingis dicat: *Quin et ipsi et Getae et Daces Sarmaticae gentes erant. De Iazygibus nullum est dubium. Nam et iidem cum Iazygibus Sarmatis ii erant, nisi quod montes Sarmaticos transcenderant et Danubii ripam citeriorem Tibiscum fluuium versus possederant. Ideo Metanastae a Ptolemaeo vocantur. Cornelius Tacitus* Iazygas etiam Sarmatas esse memorat, his verbis: *Principes Sarmatarum Iazygum, penes quos ciuitatis regimen, in commilitium asciti plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, offerebant.* Nec minoris ponderis est testimonium *Plinii*, qui, *Inter Danubium*, ait, *et Hercynium saltum vsque ad Pannonica hiberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium, campos et plana Iazyges Sarmatae: montes vero et saltus pulsi ab his Daci ad Bathyssum amnem, a Maro: siue is Duria est, a Sueuis regnoque Vanniano dirimens eos, aduersa Bastarnae tenent, aliique inde Germani.* Imo si Clarissimo *Thunmanno*, acri rerum historicarum indagatori, fidem habemus: *Iazyges et Roxolani praecipue ab omnibus, qui eorum meminerunt, Sarmatae vocati sunt, et ab iis Sarmaticum nomen, Scythico deleto, regionibusque Scytharum omnibus, quae iuxta Euxinum Pontum et Paludem Moeotim iacent, occupatis, in Europam fuit inductum.*

Hist. l. III. c. 5.

Histor. Nat. l. IV. c. 25.

Diss. de Slavanis p. 79.

Ad originem vero gentis eruendam maximi momenti est sermo, et quae eius in nominibus vrbium, fluuiorum, montium, Regumue et Ducum supersunt monumenta. Neque ad probandam Sarmaticam Iazygum originem desunt argumenta ex sermone eorum hausta. Praeterea enim, quod *Conradus Gesnerus* in obseruationibus de differentiis linguarum anno 1555. impressis, asserit, Iapides et Iazyges, Illyrice, id est, Slauice vel Sarmatice locutos: inuenimus in omnibus, quae nobis historia seruauit, Iazygicarum vrbium nominibus, Sarmatici sermonis

p. 52. a)

monis indolem. Talia ſunt Zurobaua, Horydaua, Diema, Liziſis (melius Liſice), Gormanum vel Hormanum, et plurima alia in *baua*, vel *daua*, vel *aua* deſinentia. Sic et *Comes Opalinius, Mareſchalcus Poloniae, in Polonia defenſa contra Ioannem Barclaium, edita typis Förſteri in 4to maiori Gedani 1648. Illyrios autem,* ait, *Thraces, Baſtarnas Getas et Sarmatas, ſeparatos licet populos, vnius tamen et eiusdem eſſe originis et cognationis, vt ipſa eorum lingua communis arguit.* Veroſimillimum eſt, illuſtrem Scriptorem ſub Sarmatarum nomine Iazygum gentem intelligere, cum reliquas eius regionis nationes diuerſis nominibus enumeret. Conferendus equidem hoc loco erit *Andreas Cellarius.* p. 6. Tandem quae in Hungaria hodienum adhuc degunt Iazygum reliquiae, Slauicum idioma vſurpantes, viuum quaſi teſtimonium ſunt Sarmaticae totius gentis originis.

Hic paululum ad Baſtarnas digredi liceat, quos eandem cum Iazygibus gentem eiusdemque originis, adeoque tribum tantum diuerſam eſſe, veroſimillimum extat. Praeter viciniam enim ſedium ſcimus, a ſcriptoribus fere ſemper vtramque gentem iungi, vt in *Ouidio*:

Proxima Baſtarnae, Sauromataeque tenent.

Strabo autem Baſtarnas Thracibus miſcet.

Cum vero ſupra probauerimus, Iazyges Sarmato-Venedico ſermone vſos eſſe, perperam ex illis *Cluuerius* Germanos facit, ſoli *Taciti* dubitationi, cui eos genti annumeret, innifus, cum contra ea Cl. *Thunmannus* *) eos ex *Liuii* **) auctoritate Celtas eſſe aſſerat. *Strabo* quidem Peucinos eosdem cum Baſtarnis ad Iſtrum memorat, vbi in Pontum effunditur: *Ad oſtia,* inquit, *Iſtri magna eſt inſula Peuce, quam tenentes Baſtarnae Peucini ſunt cognominati.* Baſtarnas inſequentibus temporibus inuenimus in Sarmatia iuxta montes Carpaticos. Quae igitur gens *Strabonis*

*) *Diſſert. de Slauis* p. 85.

**) L. VII. p. 353.

*) Conf. *Cellar.* Geogr. Ant. ad p. 546. Tom. I. Lib. III.

**) *Trist. El.* 10. v. 3.

***) p. 20. *Diss.* p. 12. b)

p. 900.

Hist. L. I.

bonis tempore ad ostia Istri fuit, exinde se in Sarmatiam extendit. *)

Bessi, de quibus *Ouidius* canit: **)

Sauromatae cingunt, fera gens Bessique Getaeque.

doctissimo *Culmanno* ***) non sine veri|specie videntur iidem cum Bastarnis. Illyrice eos locutos esse vel Slauice, affirmat *Conradus Gesnerus* supra citatus. Nec mihi displicet *Sarnicii*, ciuis nostri, coniectura, qui, *Bessi*, ait, *populi antiquissimi, ad eundem Strymona ab eodem Poeta Lucano toties celebrati, Polonicam quoque appellationem prorsus olent; Et nescio (vt superius iam diximus) an montes Bieszczady nuncupati, qui in confinio Transiluaniae sunt, aliqua cognatione cum illis non participent. Adde istis montes Krepak, qui ab ipso Ptolemaeo Carpatus vocantur.* Bastarnas quidem *Zosimus* gentem appellat Scythicam, Probumque eam sibi subiecisse narrat, qui eos in Thracia sedibus concessis reliquerit, indeque Bastarnas eos Romanorum moribus et legibus constanter vsos esse. Hic vero admodum notandum est, a Scriptoribus Latinis saepe Scythas vocari, quos aliunde nouimus esse Sarmatas.

Sed iam ad Iazyges redeamus.

§. II.
ETYMOLOGIA NOMINIS IAZYGUM.

p. 1883.

Plures extant in Scriptoribus nominis Iazygici derivationes, quas altius considerare liceat. *Sarnicius*, *Nomen*, ait, *Iazygum significat iugum vel par boum, ab ως Ευγου, id est, tantum par boum. Videmus autem hactenus, Podlasios, vbi eorum praecipuae sedes erant, tam facilem agriculturam habere, vt colonus vnico iugo boum contentus sit ad exercendum commode agellum suum.* Sed neminem

puto

puto fore, qui hoc etymon genti conuenire credat. Nam huius Sarmatarum tribus indoles fuit bellicoſiſſima, vt inferius patebit; quomodo igitur eos pacificos aratores exiſtimare poſſumus? Equitatu famoſi fuerunt Sarmatae Iazyges, non boum vſu. Praeterea quomodo, quaeſo, quis in Graeca lingua quaerere poterit Etymologiam nominis, quo gens Sarmaticae originis et Sarmatico ſermone vtens appellatur? Id quidem mihi ſancte obſeruandum eſſe videtur, vt ne vnquam niſi ex vernacula gentis lingua nomen gentile deducere tentemus.

Mirum videri equidem debet incolae alicuius regionis, cum ſaepe legat Etymologias aut explicationes locorum ex patria ipſius lingua deſumtorum, easque a peregrino aliquo ſcriptore factas, qui propriae linguae ſenſum adaptare ſtuduit. Idem error eſt, quem committere conſueuit Auctor Prolegomenon. Sic exempli cauſa, in loco, vbi milites clamant Βεζεῖτε Καίσαρ, id eruditiſſimus quidam vir et amiciſſimus mihi putat vocem Germanicam eſſe *Bey ſeite*, retro eundum, Caeſar! Vide apud *Cedrenum*: p. 712. edit. Pariſienſ. *Iohannis exploratores territi in ſua caſtra redierunt, nihil aliud vociferantes, quam,* Βεζεῖτε ὦ Καίσαρ, *id eſt, Bezeite o Caeſar &c. Iohannes vero hic, qui et Bladiſthlabus, filius Adranis, occiſo Gabriele, Samuelis filio, Regem Bulgarorum ſe fecit, bellumque cum Imperatore Conſtantinopolitano geſſit.*

Prima res, ad quam reſpiciendum, eſt, inter quas gentes res acta ſit. Apparet autem, Bulgaros Slauos eſſe cum Romanis dimicantes: quis vero hic Germanico ſermoni locus? Itaque Bezeite eſt vox mere Slauica, quae ſignificat *currite aut fugite*. En alterum, quod euidenter conuinciat, res cum Slauis, non Germanis actas. Tertium eſt, quod Graeci verba corrumpere ſolebant, vt hic Bladiſthlabus, quod *Cedrenus* debebat exprimere Vladislaus.

Non vero ſolum, quod apparet, mutauit litteras, ſed tres conſonantes temere addidit, attamen nomen Vladislai nobis adeo familiare ſtatim recognoſcimus et corrigimus.

Alter, qui originem nominis Iazygum deducere tentat, eſt *Ranzanus*, qui iam minus inepte agit. Neque enim in Graeco Germanoue idiomate nominis etymon quaerit, ſed in proprio gentis ſermone, et eo, quo ſe ipſi appellare ſolebant, modo. Ipſi igitur a Iazyg, lingua, Iazyges vocantur. Praeterea vero, quod *Ranzanus* cauſam in medium non profert, quare a lingua nomen eorum venit, non debuiſſet ex terminatione Graeca vel Latina quaerere in Slauonico ſermone ſymaſiam, ſed ita vocem ſumere debuiſſet, quomodo eam Slaui, Poloni Ruſſiue enunciant, et hac gentis Iazygum in Hungaria reliquias appellant.

Nobis vero Iazyges appellari conſueuerunt *Iazwiez, Iazwiec*, in plurali numero *Iazwingi* vel Iazwingowie, ex quo Graeci, mutilare voces peregrinas ſoliti, Iazygas effecerunt. *Iazwiec* autem eſt lyncum, beſtiarum ſub terra degentium genus; ideo ab hoc animali Iazwingi vel Iazyges dicti videntur, quod veſtibus vterentur ex pellibus beſtiolarum illarum confectis, vel quod inſtar earum gens haec in tuguriis ſub terra factis habitaret. Sic hodienum Podolia dicta quaſi podolach ſub terra, quia incolae, quos Graece Higienos ſeu Higenos dixeris, eodem modo in ſubterraneis domiciliis ob ſiluarum defectum vitam agunt.

§. III.

SEDES GENTIS IAZYGICAE.

Primae quidem, de quibus nobis certo conſtat, Iazygum ſedes ſunt ad oſtia Danubii ſeu Iſtri in Baſtarnarum

Peu-

Peucinorumque vicinia, et inde a limitibus Thraciae. *Ouidius* eius rei teftis eft, dum canit: l. v. 191.

Iazyges et Colchi Neureaque turba Getae,
Danubii mediis vix prohibentur aquis.

Ab oftiis vero Iftri extenfi videntur Iazyges ad Tyram et ad Amadocam vsque in Borysthenem, vel a Borysthene ad fauces Danubii. Inde iam *Ptolemaeus* triplices, vt fupra monui, ftatuit Iazyges: maximos, minores, et medios; inter medios autem Sarmatas vocat Iazygas illos, qui Euxinum verfus porrigebantur. Confer *Stanislaum* p. 1883. *Sarnicium*. Alios Metanaftas vocat, qui vna cum familiis, montibus Carpaciis fuperatis, ad Tibifcum (quem Cifza vocarunt, quafi fluuium mitem) in Pannoniam Romanae ditionis (quae nunc Hungaria eft) commigrarunt, ibique fedes fixerunt. Iazyges igitur, Danubii oftiis relictis, alii verfus laeuam migrarunt in Pannoniam vltra Tibifcum, alii ad dextram vltra Tyram, alii tandem inter Borysthenem et Tanaim, fupra paludem Moeotida conftiterunt in vicinia Roxolanorum et Amadocarum, imo in medio eorum metropolin habentes Carcinam, melius Corezyn, quod eft medius, pronunciandam. De Metanaftis Iazygibus *Plinius* in fupra adducto loco loqui videtur, vbi Iazygum Sarmatarum fedes conftituit inter Danubium et Hercyniam faltum vsque ad Pannonica hiberna, Carnunti Germanorumque ibi confinium. Verus adeo horum Iazygum fitus a *Samfone filio* ex *Ptolemaeo* ita pingitur, vt a montibus Carpaticis inchoando, quidquid inter Tibifcum et Danubium vsque ad oftium Tibifci fit, omne Iazygum effet. *Martinus Cromerus* Dacis etiam et Pannoniis finitimos memorat Metanaftas: *Mafcouius* Quadorum vicinos fuiffe

Hift. nat. Lib. IV. c. 25.

p. 145.

Hift. Germ. *Lib. VII.* §. 13. p. 280.

fuisse dicit. A Roxolanis Azyges, qui sine dubio Iazyges
c. I. p. 194. edit. *Murator. ex Cod Ambros.* sunt, Alutam separare dicit *Iornandes*. Iam ad eorum
Iazygum vel Iazwingorum sedes considerandas progredimur, qui tardius in historia Regni Polonici occurrunt, et quos aeque ac Slonenses Prussici tractus populos fuisse
*) p. 51. **) Lib. VI. p 1054. *Longinus* *) asserit. Sarnicius **) haec de iis habet: *Fuerunt autem Iazyges populi sparsi hinc inde per Sarmatias, et a Moeotide incipiendo extendebantur Prussiam versus, medii inter Poloniam et Lithuaniam, ad quorum differentiam illi, qui ea loca incolebant, vbi nunc est Transiluania et Tibiscus flumen, Metanastae vocabantur.* A *Cromero* inter Poloniam, Russiam atque Prussiam medii in extrema ora Lithuaniae habitasse ad Au-
p. 145. strum memorantur, regionemque eorum Polesie siue Podlesie, subsiluanam quasi et siluestrem, vocari. Altera Podlachia est Iazygum prouincia, a Russis dicta quasi sub Lachis, id est, Polonis, cuius sedes principalis est Drohicinum
p. 51. oppidum. Quod gens bellicosissima fuerit, idem *Cromerus* affirmat, sed de sermone eorum loquens sibi ipsi non constat. Mox enim ait, reliquias eorum diuersa prorsus
p. 145. a Slauis et Lithuanis lingua vti, mox eiusdem cum Lithua-
Tom. I. p. 394. nis linguae esse, eorundemque morum et religionis. *Longinus* quidem seu Duglossus gentem Iacwingorum, natione, lingua, ritu, religione et moribus magnam habere dicit cum Lithuanis, Pruthenis et Samogitis conformitatem, cultuique idolorum et ipsam deditam fuisse. De eo vero, vtrum hi Iacwingi iidem sint cum Iazygibus Metanastis, Hungariae incolis, eorumue potius colonia, an vero
p. 51. plane alia gens, *Cromerus* dubitat. Sed de Cromerianis dubitationibus iam satis: nunc res gentis inde ab antiquitate gestas, factaque considerabimus.

§. IV.

§. IV.
ANTIQUITAS GENTIS: RES A IAZYGIBUS GESTAE: FATA EORUM.

Quos *Diodorus Siculus* Sarmatas Medorum progeniem esse testatur, et a Scythis, Asiae dominis, ad Moeotin paludem deductos, post multos exinde annos, cum numero et viribus creuissent, Scythiam deuastasse, et omnibus, quos vicissent, deletis, maximam regionis partem desertam reddidisse: eos *Cl. Thunmannus* Iazyges et Roxolanos fuisse ex eo autumat, quod hi populi sint, qui istas Scytharum terras postea occupauerint. *Bibl.* lib. II. p. 127. *edit. Rhodom.* — *p.* 81. *Diss. de Slauis.*

An. ante Christ. nat. 56. Hocce argumentum non minimi est momenti, adeoque patet, iam ante Christianae aerae initium, et quidem 56. annis, in Europa Iazyges innotescere coepisse.

post Christ. natum 30. Exinde tempore Tiberii Sarmatae Iazyges iam celeberrimi equitatu in primis extitere, et qui Iazyges Metanastae sunt, tum saepissime per Getas transeuntes excursiones fecerunt in Romanas prouincias. *Tacit.* Hist. lib. 3. c. 5.

69. Cum *Vitellius* et *Vespasianus* armis de imperio contenderent, vterque amicitiam Iazygum ambiit, vt auxiliis eorum equestribus, quibus maxime pollebant Iazyges, alter alterum tanto facilius deuinceret. *Tacit.* Hist. lib. 19.

79. Lygii, quos Silesios aliqui volunt, a *Vannio*, Sueuorum Rege, bello vexati, legatos miserant, qui a Domitiano auxilia expeterent, eaque obtinuerant, licet exiguo tantum numero. Nam centum solum equites iis dati sunt. Sueui vero Romanis ideo infensi, Iazygibus sibi iunctis, ipsas Romanorum prouincias, Istro traiecto, inuadere conati sunt. *Dio Cassius. Tacitus* hist. lib. 12.

162. Cum M. Antoninus, quem vulgo Philosophum vocant, Romanorum Imperator, graue contra Marcomannos et alias Germanicas gentes sustineret bellum, iis et

Roxolani Iazygesque et caeteri Sarmatiae populi se iunxisse dicuntur a *Mascouio* ex auctoritate *Iulii Capitolini.* Hist. Germ. lib. 5. §. 12. et 13. p. 146. *Iul. Capit.* in vita M. Antonini.

An. Christi 332. Regnante Constantino Magno *Eusebius* refert, Sarmatas liberos (Arcaragantes alias dictos), cum contra vim hostium seruos suos armassent, ab his deinde fuisse sedibus suis pulsos, Constantinumque, ad quem refugerant, receptis in fidem in Romana ditione dedisse agros colendos. Et hoc ad Iazygas pertinere autumat noster *Thunmannus.* De Vit. Constant. lib. IV. c. 6. *Thunmann.* p. 158. Differt. de Slav.

454. Post Attilae mortem Hunni ingenti praelio a Gepidis victi totaque Dacia expulsi sunt. Pars eorum cum Sarmatis-Iazygibus Danubium transgressi a Romanis in Illyrico sedes obtinuerunt, indeque ad Saui ripas et ad castrum Martenam coluerunt, Singiduno potiti. *Iornandes* haec habet: *Sauromatae vero, quos Sarmatas diximus, et Cemandiri, et quidam ex Hunnis in parte Illyrici ad castrum Martenam sedes sibi datas coluere. Castrum hoc Martenam esse hodienum Marchburgum in Vatena, hoc est, Stiria, non desunt Scriptores, qui id asserant.* Altera vero pars Hunnorum, Hernaco, Attilae filio, duce, in Scythiam minorem Moesiae partem commigrarunt. c. 50. *Marcellin.*

Iam nos ad eorum Iazygum vel Iazwingorum historiam conuertimus, qui tardioribus temporibus cum Polonis et Russis rem habuerunt.

Cum sub Casimiri primi regno Maslaus Masouiam sibi iniuste vindicasset, ideoque bellum contra regem suscepisset, acri praelio victus fugam dare cogitur, copiis ipsius Masouiensibus ad victorem se conferentibus. Ad Prussos igitur se contulit, ab iisque aeque ac a vicinis Slonensibus et Iazygibus valida contra Regem obtinuit auxilia, cum ipsorum rem agi ipsis persuaderet. *Cromer.* p. 51. *Thunmann.* p. 89.

Iaros-

An. Christ. 1112. Iaroslaus Vladimiriensis Dux, filius Svatopelconis Ducis Kiouiae, cum gens Iacwingorum per frequentes inuasiones Ruthenis esset molestissima, exercitum contra eos duxit. Regione illorum vastata, copias etiam praelio inito deuicit. *Longin.* T. I. p. 394.

1264. Conathus Dux Iazygum interficitur. *Martin. Cromer.* p. 160.

1282. Lescus Niger, Poloniae Dux, cum audisset, Lithuanos et Iazygas subito impetu Lublinensem regionem triplici agmine depraedari, armis correptis, magnis itineribus contra eos profectus est. Licet vero iam hostes praeda onusti recesserant, insecutus tamen eos ad Naruam et Nemen fluuios deprehendit, adortusque gloriosa potitur victoria. *Sarnicius* lib. VI. p. 1054.

Exinde Iazyges illi adeo ad incitas redacti sunt, vt nomen quoque Iazygum fere interiret. Boleslaus, eorum regione potitus, reliquias ad Christianum perduxit cultum, coloniasque in eam regionem misit. *Martin Cromerus* p. 160.

Iazygum vero Metanastarum reliquias et hodienum in Hungariae campestribus ad Tibiscum fluuium superesse, nec antiquam gentis fortitudinem plane exuisse, auctores affirmant. Imo gentis originem sermone Slauico vel Sarmatico, et nomen Iazwingorum seruare dicuntur. *Cromer.* p. 145. *Sarnicius* p. 1883.

Iam cum sint auctores, qui ex Iazygibus venisse Peucas contendant, in sequenti Sectione de Peucis amplius agetur.

SECTIO V.

DE SARMATO - PEUCIS, SEU PEUCINIS, HOC EST PECZENINGIS.

Cum plures gentes vicinae fuerint Russis et Cosacis, de quibus tractaui, et non pauci auctorum dubitent, vtrum

vtrum Sarmatae, an Venedi illae fuerint: a Peucinis quidem initium faciemus, quo Lector beneuolus iudicare possit, an argumenta, quae adducemus, digna sint sua curiositate, et vtrum satisfaciant ipsius studio.

§. I.
ETYMON NOMINIS.

Statim se offert nomen ipsorum Peucae,' quod et Peucini *Vapouio*, et quos *Zonaras* et alii Graeci auctores Pacinacas vocarunt. Hoc loco, antequam de aliis nationibus loquar, Lectorem monere visum, quod sint auctores, qui Peucas, seu Peucinos, confundunt cum Pacinacibus, vt hic *Zonaras* aut *Cromerus* noster, quorum primi sunt Peceningi, alteri Polowcii, gente et situ inter se differentes. Peucorum itaque nomen est Slauicum, nempe Pelkowie, vel Petkowie, hoc est, Pelczyni et Pelczynigi pro varietate dialectorum nominantur. Nec nomen hoc sua caret significatione, seu symasia, quia Peczeningi lingua latina incendiarii, quod non solum ferro, sed et igne homines et ciuitates perimebant.

Veritatis huius, quod fuerint Sarmatae, constat monumentum insula illa notissima Mysiae inferioris, ad ostia Istri fluuii, antiquitus Peuce dicta, de qua *Lucanus* sic canit: (Lib. IV.)

. . . . . . et barbara Cone
Sarmaticas vbi perdit aquas sparsamque profundo,
Multifidi Peucen vnam caput abluit Istri.

Sarmatas esse Peucos, dixit etiam *Valerius-Flaccus*: (Lib. VIII.)

Insula Sarmaticae Peuce stat nomine nymphae.

In hac, inquam, Insula Peuce, *Miedza* etiam vrbs, quae est Strymon dicta (et a Paeonibus quondam inhabitata), (*Sarnicius.*)

nonne

nonne aperte Heneto-Polonicam dialectum sapit? *Miedza* illa vrbs, Strymon *Ouidio* dicta, significat nostris metam, qua fundorum dominia disterminantur; ita regio Strymonis cum suis illis altissimis montibus, *Haemo*, inquam, et *Rhodope*, Slauonicas gentes a Graecia dirimebat: vt, quidquid Istrum versus vergeret, Slauorum esset, et quae Aegeum mare et Propontidem spectarent, ad Graecos pertinerent.

In Polonia adhuc complura reperias nomina nobiliorum locorum et cognomina familiarum, quae Pelcorum vel Paulicorum nomine vocantur. Vnde et peruetusta illa vocabula deducere licet, id est, Peuca, Svatopelka, Iaropelka, Przedpelka etc. quibus prae aliis Russorum, Pomeranorum Duces non ita pridem appellari desierunt, et illa prouincia propinqua Pomeranis Paluki inde nomen traxisse videtur.

Quod Peucinorum seu Peczyningorum linguam attinet, Slauicam eam fuisse, probari praeter Sarmaticam supra demonstratam originem potest ex nomine Ducis in historia occurrente. Tatus is appellatur, quae vox certissime Slauica est, patrem significans. Vnde et Clarissimus *Thunmannus* asserit, Petschenegis vnam eandemque linguam esse cum Cumanis. Cumanos autem Slauice locutos, iam in Dissertatione mea de ista gente probaui. Differt. de Slav. p. 184.

§. II.

EX GEOGRAPHIA.

His praemissis diuertamus ad Geographiam Peucinorum. Ab ostio vero Danubiano consederunt, et vltra Tyram vsque ad Axiacem, secundum *Ptolemaeum*, se protenderunt; quia teste *Porphyrogeneta*, *In partibus Danapri, et Danastri, reliquorumque illic fluuiorum Patzinacitae* (*hoc est Polowcy*) *quoque sedes habent.* c. VIII. p 58.

M Ad

Ad Geographiam Peucinorum etiam pertinent, quae
p. 69. habet Clariſſimus *Thunmannus* in ſua de Slauis Diſſertatione: *Multa quoque alia nomina, quibus gentes Sarmatiam incolentes a Ptolemaeo inſigniuntur, Germanica terminatio a caeteris diſtinguit. Sulanes cogito; vt Taciti teſtimonio conſtat, mediterraneas ſolum, et quae inter Finnos Peucinosque iacuere regiones tenebant*, id eſt, ad oſtium Axiacis, hodie Buk.

Sex itaque vel octo inde ab Axiace milliaribus ſedes ſuas habuere ad certos montes, qui extenduntur circa Leopolim, vnde illi montes adhuc vocantur *Hory Pelczynskie*, ſeu montes Peucini, quod etiam in Sarmatia *Ptolemaei* cernitur, imo ſtagnum certum profundiſſimum inter hos montes hodieque vocatur *Staw Pelczynski:* et in maius rei
c. 46. argumentum totum illum ex *Tacito de moribus Germanorum* adducamus textum, quamuis is vult Henetos cum Germanis confundere: *Peucinorum Venedorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adſcribam dubito, Procerum connubiis mixtis, non nihil in Sarmatarum habitum foedantur. Venedi multum ex moribus traxerunt: nam quidquid inter Peucinos Fennosque ſiluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant.* Ideo quod de montibus Peucinis paulo ſupra adnotauimus, *Tacitus* ipſe confirmat. Baſtarnas vero ſemper Peucinos appellare ſolet in confiniis Moldauiae, Poloniae et Tranſiluaniae colentes. Eum ſecuti alii ſcriptores, Baſtarnas inter Danubii oſtia et ciuitatem Tomitanam Sauromatas vltra coluiſſe, dicunt, eosque Baſtarnas, qui ſub Peucinorum nomine veniunt, quintum Danubii oſtium Peucinum a ſuo nomine appellaſſe, ex ea parte nimirum, vbi hodie Siliſtria eſt. Inde quidem colligendum eſſet, tempore illo inter Haemum montem, ſiue in poſteriore Moeſia inferiori et prope Iſtrum habitaſſe Getas et Sau-

romatas

romatas Baſtarnis vicinos, vnde a Getis Odryſios pulſos fuiſſe affirmat *Ouidius.* Sic et *Plinius* Peucinos et Baſtarnas iungit, cum, *Quinta pars,* ait, *Peucini Baſtarnae ſupra dictis contermini Dacis. Amnes clari in Oceanum defluunt, Guttalus, Viſtillus ſiue Viſtula, Albis.* Lib.IV.c.28.

Quos pro vicinis habuerint, apud *Porphyrogenetam* inuenimus, ſiquidem etiam notum nobis ſitum illorum reddiderunt *Samſonus* et *Hoffmannus* in ſuo Lexico Vniverſali, aiens: *Peucini populi fuere inter Baſtarnas ad Ortum, Venetos ad Boream, Lygios ad Occidentem, et Daciam ad Meridiem, vbi et Bulanes, Auarini, Bieſſi, Piengitae et Peucini, proprii in eo tractu. Quod nunc Ruſſia nigra,* quam Axiaces ſeu Bucus perfluit. p. 139.

Ex mentione Baſtarnarum modo facta confirmat haec omnia Eruditiſſimus *Lucas Comes a Bnin Opalinius* Mareſc. Poloniae, in *Polonia defenſa contra Ioannem Barclaium, typ. Förſteri edit. in 4. maiori, Gedani 1648.* Baſtarnas, Peucinos et Venedos, ait ille, eandem gentem eſſe: *Tacitus* dubitabat ſolum. *Cluuerius,* nullo ſuffultus argumento, tamen Germanos illos declarare non haeſit, et Carrodunum (Leopolim, vt ſupra dixi) vrbem illis aſſignat, vbi nemo vnquam Germanos quaeſiuit. Comitem vero Opalinium puto, cum Peucinos ex Beſſarabia hodierna ab oſtiis Danubianis, vltra Tyram, hoc eſt, ex Podolia etc. oriundos, gentem Baſtarnarum dicit, ex Strabone deſumſiſſe.

Nomen vero Peucinum etiam in Septentrionali Sarmatiae parte occurrit, ſi fides *Linderbergii* Chronico habenda eſt. Ita enim illud: *Roſtochium ad Varnam fluuium, qui ipſe in pago Cardiorea quatuor millia paſſuum circiter ab Aliſto diſtante ebulliens, primum Cribitii et Montis Stellarum agros pertranſit, deinde Peucinum ſeu Bucephaleam et Si-* L. V. c. 1. p. 139.

 vam

vam seu Cycneam, cursu admodum arcuato salutat, postea huc defluens circiter triginta hydromylas longo ordine aggeri a moenibus, versus ortum brumalem, deducto impositas circumagit, inde in duo brachia diuisus et vrbem perfluit et veterem ciuitatem circumfundit. Varnae porro etymon varie detorquetur. Quidam ab arce Megapolis vetustissima Werlow nomen deducunt.

§. III.

BELLA.

972. an. demum multa bella cum Russis gesserunt,
p. 101. quibus formidabiles facti, vt *Longinus* habet: *Svatoslaus ipse pugnam restituere, et suorum turpem fugam sistere satagens in hostium manus viuus venit. Cuius caput Dux Pieczyningorum, Bura vocatus, praecidens, testam capitis auro ornatam scyphum fecit, ex quo in signum deuicti hostis bibere solitus triumphum suum quotidie innouabat.* Nonne *Bura* est pure Venedicum nomen, quod significat *tempestatem*?

997. 1005. et 1032. an. bella perpetua cum Peu-
p. 123. seqq. cinis et Russis sunt acta. Idem auctor *Longinus* haec habet: *Iaroslao autem praedicto Russiae Duce apud Nouogrod commorante Pieczyningorum gens in grandi multitudine veniens, Kiow violauit. Qua nouitate Iaroslaus per significationem Nuncii accepta, contractis vbique copiis, in Kiow aduenit, et cum Pieczyningis obuiam sibi euntibus congressus fortiter depugnat, vtrisque autem pro victoria adnitentibus, caeduntur Pieczyngi, et multi, dum fugere contendunt, suffocantur in aquis, caeteri aut capiuntur, aut fugantur.* Inde coactos iam forsitan legimus Peucinos pacate, vt diximus, ad Axiacem mansisse. Cl. vero
Differt. de *Thunmannus*, ab Vzis Petschinegos fuisse expulsos; mul-
Slav. p. 147 tos vero Petschinigos iis in regionibus mansisse, ibi

qui-

que ſimul cum Vzis habitaſſe, veſtium forma ab illis diſcretos.

§. IV.

CONCLUSIO.

Iam concludendum nobis erit. Poſt tot citatos auctores, qui Peucas Sarmatas poſitiue eſſe aiunt, poſtquam probauimus, nomina Ducum illorum eſſe Venedica, tot, inquam, voces eſſe Slauicas, fidem originis facientes, neſcio cui in mentem adhuc poſſit venire illa falſiſſima opinio, Germanos illos pronunciare: quae ſimilitudo? quod argumentum? nullum certe habent iſtius ſententiae auctores. Nos optime ſcimus, quod ſi ipſi illi Venedica terminatione ſe vocitabant Venedos, mosque vnus habitandi fuit, neceſſe fore, vt Venedi ſint; nam Germani oppida incolebant, Sarmato-Peucae nonniſi plauſtra, cuius momenti habemus teſtimonium apud *Cromerum*: *Nam pagis, vicis, et oppidis*, ait ille, *fere nulla arte munitis Ruſſi, itidem atque Poloni, et omnes fere Septentrionales gentes, antiquitus habitant. Iamque ad Lucenſem ſeu Volhynienſem oram Rex cum infeſto exercitu peruenerat. Ibi occurrit ei ad Bugum fluuium Iaroslaus cum expeditis ſuorum copiis, et magnis Varaiorum atque Peciningorum auxiliis, quarum gentium memoria quoque iam extincta eſt.* Inde clariſſime patet, Ruſſos iſto tempore Polonis reſiſtere non valentes, alias Sarmaticas gentes ipſis vicinia iunctas in bellum ſociale traxiſſe.

Hiſt. Mor. p. 195.

p. 39.

SECTIO VI.

DE PACINACIBUS, HOC EST, PALOVCYIS VEL POLOVCYIS.

§. I.

CAUSA SCRIBENDI ET NOMINIS ETYMON.

Valde quidem cauendum eſt, ne, vt quidam Scriptores faciunt, Peucinos cum Pacinacibus confundamus. Gens enim Pacinacum, ſeu Pacinacitarum, vt Graecorum medii ſaeculi Scriptores volunt, eſt gens Sarmato-Venedica, dicta proprie Polovcy vel Palowcy a Ruſſis, id eſt, ex venatione viuentes, quos antiquitas, id eſt, *Herodotus* Thyſſagetas Θυσσαγητας, alii Theriophagas Θηριωφαγους, vel Therobios Θηροβιους, ideo quia venatu vel carne veſcebantur; Thyſſagetas neminem dubitare oportet, eſſe Sarmatas, ſi apud *Ptolemaeum* expreſſe Sauromatas illos inueniet. De eiusmodi gentium nominibus inſignis eſt locus ex *Ptolemaeo*. Perfamiliare nobis eſt, quod deſcribendo remotiores regiones, nomina earum propria omittit, ſed loco eorum aut praenomina aut cognomina eis imponit, quae ipſemet confinxit, vt Ichthyophagi, id eſt, piſcium deuoratores: Galactophagi, quia lacte veſcebantur (Hippophagi, qui carne equino ſe nutriebant: Anthropophagi). Sic ait noſter etiam *Sarnicki*: *Agathyrſi, Anartophracti, Iazyges, Tyſſigetae, etiam Tyrangitae et conſimiles.* Neque enim credibile eſt, eo pacto aliquas gentes vſu recepto antea vſpiam vocatas fuiſſe; ſed quia aut cibo tali, aut exercitio conſimili occupabantur, vel ad flumina

Lib. IV. p. 226.

Lib. III. c. 10.

Lib. II. p. 894.

ſic vocata habitabant, ideo ab illis locis ſic dictis et vſu rerum eis recepto nomenclaturas *Ptolemaeus* eis imponit. Inde factum eſt, cur in eo auctore pauca nomina Polonica et Germanica inuenire liceat, quae poſterius ſaeculum a maioribus tradita; conſtanter retinuit. Sic Sigismundus L. B. *Herberſtinus* Polowcios a Poloczko, vbi ſedes habuerunt, vocatos eſſe putat; ſed Poloczko non eſt Polowcko.

§. II.

SITUS PACINACUM.

Nunc nobis incumbit, in veras illorum habitationes inquirere, quas apud *Porphyrogenetam* inuenio, vbi ait: c. V. p. 57. *Pacinacitae* (*puta Polovcii*) *Bulgaris etiam finitimi ſunt. . . Bulgari magnam pacis ac concordiae cum Patzinacitis ſeruandae curam, ſollicitudinemque gerunt*: quod clarius adhuc infra confirmat: *Patzinatzitarum gens altera Cherſoneſi parti contermina eſt, quae etiam cum Cherſonitis negotiationem exercet. . . . Chazaria, Lichia atque in omnibus iſtic poſitis regionibus. . . Liberi enim et quaſi ſui iuris cum ſint Patzinatzitae.* Inde P. *Bandurius* in charta Geographica editioni Porphyrogenetae praemiſſa Pacinaces a Danapro ad Danaſtrum vsque extendit. Idem auctor Vziam, quam vltra Mediam Herodoti inter Tanaim et Volgam ponit ad Atel et Geech fluuios, olim a Pacinacitis habitatam fuiſſe aſſerit. Ita et *Haito* limites eorum a fluuio Ethel ſeu Volga ad Choraſmios pertinuiſſe teſtis eſt; vnde patet, eos totam Tartariam deſertam tenuiſſe.

(Marginal notes: c. V. p. 57. — c. VI. p. 57. — Cap. I.)

Ex modo citatis vero Porphyrogenetae verbis apparet, eſſe gentem ſatis amplam, ſiquidem a Myſia interiori,

riori, vbi Bulgari degebant, ad Cherſoneſum ſeſe extendit; alterum, quod probari ex his locis poteſt, eſt eſſe eos Venedam gentem, quia liberi, quia ſui iuris, quia ſine Rege tantum ſub Ductoribus Pacinacitae viuebant.

§. III.

BELLA.

Horum Ducum, ſeu potius Ductorum nomina vt in examen vocemus, nobis ſupereſt, vtrum Venetica ſint, an alia: prius vero annotandum eſt, Polovcyios fuiſſe Ruſſis vel maxime infeſtos, et per centum et quinquaginta annos Ruſſiam et Kiouiam oppugnaſſe, donec demum Tartari Mogulenſes vtriusque gentis prouincias inuaſerint, easque ad infimum redegerint. Sic Ruſſiam ingreſſi ſunt Polowcyi an. 1054. et Bluſchio, vel, vt melius legendum eſt, Blaſchio Duce Kiouiam vsque venerunt, mox vero facta pace diſceſſerunt. Quos hic et vbique memorant Ruſſici Polonicique ſcriptores Polowcyos, eos alii Vzos appellant; vnde apparet, Vzos et Polowcyos vel Pacinaces eſſe eandem gentem, eosque errare, qui Vzos vel Cimbrorum atque Gothorum ſobolem, vel vnam eandemque cum Lithuanis gentem, neſcio quam ob cauſam, arbitrati ſunt. Inde *Longinus* an. 1058. ait: *Gentiles et Barbari vocati Polowcy veniunt hoſtiliter in Vſevoldum Ducem Ruſſiae de Pereaslaw, et inito certamine vincunt Vſeuoldum et exercitum eius 2. die Februarii, obtenta victoria cum Duce ſuo dicto Siekal crudeliſſima vaſtatione in Ducatum ſuum graſſarunt. Haec autem clades primarium fuit malorum, quae tunc primum, et ex poſt paſſa eſt terra Ruſſiae a Polowcis.*

Neſtor. an. 6562. (1054.)

Thunmannus Diſſ. de Slavis p. 148.

p. 247.

§. IV.

§. IV.

ORIGO SARMATICA.

Hic locus nobis non ſolum Epocham atque originem malorum a Polowcyis Ruſſiae illatorum, ſed et nomen offert Ductoris, dicti *Siekal*, ex ſermone Slauico deriuandum, quod ſignificat, ſecurem vel ſecuri gerentem, ita vt *ſiekac* eſt *ſecare*. Sic et illud Ducis Polowciorum nomen *Kitan*, Slauicum eſt *Kitaty*, eſt iaculari, et alia, quae in *Longino* occurrunt Polowcica nomina, plane Slauicam redolent dialectum. Exempli cauſa Rubiesza, Koczka, Hartonop, Kikalop, Chaſup, Kurtak, Czerniekrep, Zarboz. Huc etiam alius *Longini* locus facit, vbi de Polowcyis: *Et inuadentes*, ait, *tabernacula, quae ipſi magis proprio et vſitato vocabulo Turres, Wieze appellant.* *Wieze* vero Slauicum eſt et Polonicum, Ruſſis dictum *Weze*. *Cromeri* vero expreſſum habemus teſtimonium, vbi de lingua Polonica loquitur, diſerte aſſerentis, Polowcios Ruſſorum lingua locutos fuiſſe, a Polonorum ſermone non multum diuerſa.

p. 316. 51. p. 599.

Pacinaces vero fuiſſe Slauos, extra omne dubium eſt poſitum, cum id etiam nomen *Siekal*, vocabulum Slauicum, demonſtret, nam eandem quam Ruſſi habuerunt linguam, dialecto ſolummodo diuerſam. *Cromerus* teſtis nobis erit, diſſerens: *Anno 1212. Tartari . . . peruagati, et Rha ſiue Volga flumine transmiſſo, ad Occidentem progreſſi, vicinis Ruſſorum Polowcis, campeſtria ad Tanaim et Moeotim paludem loca habitantibus, finitimorum Ruſſorum lingua non valde diuerſum a Polonis nomen ſortitis, bellum intulerunt. Quamuis autem perpetui Ruſſorum hoſtes eſſent* p. 128.

Polowcii, necessitate tamen adacti opem eorum implorarunt. Nec defuere Russi rogantibus in communi periculo. Commisso praelio victores Tartari magna strage Polowcyos et Russos fudere et fugauere. Fugientes autem Russos ipsi etiam Polowci excepere, et spoliatos trucidauere. Munitiones deinde Polowciorum expugnatae, ipsi deleti, et omnis illa circa Tanaim et Moeotim ora cum Taurica Chersoneso a Tartaris habitari coepta. Deinde Russi debellati et subacti sunt, ita, vt non modo tributa ipsis penderent et iussa facerent.

Omnia haec allegata adeo sunt clara, vt nobis originem Slauicam Pacinacum, odium illorum aduersus Russos, ac vniuersam illius gentis historiam ad eius vsque vltima fata, ante oculos ponant, ita vt nil notatu dignum adiici possit.

§. V.

REFUTATIO AUCTORUM.

Quaedam solummodo nonnullorum Auctorum supersunt opiniones de origine Polowcorum adducenda, vt ne
p. 195. quid omittamus. *Miechouita* primus nobis in mentem venit, qui, nulla auctoritate adducta, Gothos illos credidit, sed quod Gothi decimo tertio saeculo adhuc exiterint in his oris, absurdum est. Sic et me legere memini apud nonnullos, esse eos Hunnos. Hi quidem sunt, qui dicunt, Hunnos esse Sinenses, quia nomina Chuni, Chini, seu Chinenses convenire videntur; hi autem Scriptores, cuiuscunque gentis originem ignorant, statim illam Hunnicae propaginis esse, augurantur. Sed post Attilae irruptionem reuersos ad propria Hunnos, illorum docet Historia, et reuenisse

se demum sub nomine vnico Hungarorum, quod circa annum 740. accidit. Tunc vero gens Polowcorum plane ignota erat, siquidem prima 968. Polowcorum fit in historia mentio. Caeterum cum linguae Polowciorum re et nomine Slauorum notitiam ex *Cromero* et *Sarnicki* habeamus, et nemo non noverit, Hunnorum linguam esse Scythico - Tartaricam, plane absurda apparet haec opinio.

Meliora certe Pannonicus Auctor *Kerius* in sua epitome habet, aiens sub anno 1033. *Per eosdem hos annos male Thracia a Pacinacibus gente Dacia habita est; pluribus in eam incursionibus saeuitum. Quin Ductores etiam quidam ab iis intercepti.* Dacicam gentem vocauit *Keri*, non adeo, quod sint originis Slauicae, quod mox apparebit; sed ideo, quod ex Dacia antiqua, vel potius per Daciam transeundo a Borysthene, Thraciam inuaserunt. Horum omnium, quae adduxi, maius et clarius existit ex sequenti eiusdem Auctoris pagina documentum, vbi ille ipse Scriptor de origine Polowcorum dubitare videtur, cum ait: *Itaque anno 1050. vix Asiana ista calamitas desierat, alia in Europa, eaque molestissima erupit, vastitatem Thraciae ac Graeciae maximam apportatura. Pacinacae, gens ad Istrum late diffusa, siue ea fuerit, quae Valachorum hodie venit nomine, siue Scytharum alia; nam horum pro more vaga vita, sub tentoriis habitasse fertur, seditione inter se confusi erant, Kegenis (Knesenis Slauice, id est, Principis) cuiusdam ambitu, viri strenui, et aduersus Tyrachium Principem ignauum insurgentis. Multitudine aduersariorum oppressus Kegenus fugit trans Istrum, ac in fidem ab Imperatore acceptus, Christianoque pro more institutus. Tyrachio molestiam exhibere pergebat. Hic apud Imperatorem per legatos*

p. 331.

p. 341.

gatos expostulat, contra foederis rationes illum agere, qui hostem Pacinacarum in fidem acceperit, insuperque copiis et armis adiutet; dedi itaque sibi Kegenum postulat.

Videsne, Lector dignissime, *Kerium* oblitum esse, quod Dacos illos superius declarauerit, nunc Scythas et Valachos dicat? Si *Keri* minimam tantum Slauonicae linguae habuisset notitiam, eos Slauos vel Russos nominasset: vocabulum enim *Knegenio* non est tam mutilatum a Graecis, vt solet fieri, vt ne cognosci possit in illo Knezenis; *Knez* autem Slauice est Princeps, quod ex sequentibus verbis patet: *Aduersus Tyrachum (pronunciatio Slauica iubet scribere Syrakum) Principem ignauum.* Manifesto ergo hic quaestio inter duos Principes, vnum, vt apparet, indole bellicosum, alterum, vt Auctor ipse habet, ignauum. Horum Principum nomina affirmant, Pacinaces fuisse Sarmatas, et Slauonica vsos lingua, nec Scythas, nec Dacos, neque Gothos.

Iam ad ea peruenio, quae ex colloquio *Thunmanni,* Doctissimi Viri, Halae ad Salam habuimus, quia nonnunquam aliorum Scriptorum exemplo videtur Peczyningos cum Polowcyis confudisse, Slauicum sermonem non satis callendo. Peczyningi enim Incendiarii quasi a comburendo dicti. Alteri vero Polowcy, quod ex venatione viuerent, vocati. Ait nempe ille, Graecos, cum antea Vzorum nomen tantum audiuissent, eos anno 1079. sensisse, quo tempore vna cum Petschinigis Graecas prouincias inuaserint, Hadrianopolimque ipsam ceperint. *Ioannes* vero *Scylitzes* hunc populum Comanos vocat. Hoc quidem nomen inde ex eo tempore celebrius factum, alterumque raro admodum vsitatum praecipue a Byzantinis

nis et Germanicis Scriptoribus legeris. Porro exiſtimat, a Chronographis Ruſſis iſtum populum, quem Graeci Cumanos vocant, Polowcorum ſemper nomine inſigniri, eosdemque Comanis atque Vzis ſeu Polowcyis Reges, easdem vno tempore ſedes, easdem opes, idem vitae genus, mores eosdem, idemque ingenium fuiſſe. Vzos vero Sauromatas eſſe teſtatur. Iam quae ego ſentio, aperire liceat, nempe clare ex hactenus dictis patere, quod Vzi non ſint Hunni, ſed aeque vt Peucae, Slauice Pietſchinigi, et Pacinaces Polowcy Sarmatas eſſe, non poſſe negari. Pari modo Cumanos, quos vltra Moeotida paludem interiora regionis tenuiſſe vsque ad mare Caſpium ex Scriptoribus patet, in Diſſertatione mea de hac gente demonſtraui eſſe Sarmatas ſeu Venedos, cum nomen illorum *Cuma* velit dicere, *ſocios*, veniſſe eos a fluuio Cuban, qui in Euxinum exoneratur, fluuii vero aeque ac caſtri nomen Cuman potius, quam Cuban eſſe pronunciandum. Tenuiſſe autem poſt Chazaros Tauricam et Scythiam Comanos, ſunt, qui dicunt Slauos veros, eosque ipſos, quos *Dlugoſſus* aliique Polonorum Hiſtorici appellant Polowcios. Eos et Tauricanos fuiſſe et Hamaxobios, vt ex ipſo nomine pateat. Polowcyos enim dici quaſi venatores locorum, ob vagam in plauſtris vitam, et ita Tartaros Aſtracanenſes adhuc vocari a Ruſſis, teſte *Oleario.*

§. VI.

DISCRIMEN PEUCINORUM ET PACINACUM.

Finiamus nunc per id, quod iamiam ab initio deſcriptionis Peucinorum adductum plane diſcrimen inter

hos et Pacinaces demonſtrat, ab Auctoribus nonnunquam valde neglectum.

1) Pelcowie, Peczeningi in Venedica lingua a Graecis Auctoribus nuncupantur Peucae et Peucini.

Polovcovie, Polowcy vero ſunt Pacinaces: hoc enim nomine illis ademto, et Peucinis tributo, Polowcy nullum penes Hiſtoricos Graecos et Latinos haberent nomen; Polowcy enim eſt etiam vocabulum Slauicum.

2) Situs primarius Peucingorum eſt duplex apud Ptolemaeum. Peucini quidem ſuperiores intra ſecundum et tertium oſtium, dictum Boreum; Peucae autem inferiores intra ſextum et ſeptimum oſtium, vocatum Peuce, vel ſacrum oſtium, fuerunt, demum progreſſi verſus fontes Axiacis, hodie *Boch*; habitabant inter Baſtarnas ad Ortum, Venetos ad Boream, Lygios ad Occidentem, et Daciam ad Meridiem.

Fines vero Polowcorum ſeu Pacinacitarum ex vna parte fuerunt cum Ruſſis, ex altera cum Bulgaris, communes.

3) Aduentus Peucinorum ab inſula Peuca in Ponto, ex aduerſo oſtii Iſtrani.

Polowcy autem venerunt a Tanai, et primum inter Sulam et Samaram fluuios conſederunt, longe a Peucinis.

4) Peucini habuerunt vicinos Bieſſos, Labocos (melius Zabocos) et Carpianos. Pacinacae nunquam niſi Tyrae et Boryſthenis oſtia cognouerunt.

5) Peu-

5) Peucinorum iuxta *Ptolemaeum* ſedes fuerat Carrodunum, vbi hodie Leopolis, Metropolis Ruſſiae nigrae.

6) Pacinacum fixa ſedes ignota in hiſtoria; incurſiones vero ſemper verſus Kiouiam, nonnunquam in Thraciam faciebant.

7) Tandem Peucinos, ex hiſtoria patet, fuiſſe multo antiquiores; Polowciorum vero migrationem longe tardius accidiſſe.

MADAEVS
SEV
MADAIVS VEL MEDVS
VLTIMA AC GENVINA SLAVICAE GENTIS ORIGO:
COMMENTARIVS
QVO
AD QVAESTIONEM PRIMAM ALTERAMQVE
A
SERENISSIMO PRINCIPE
IABLONOVIO
AD ANNVM MDCCLXXIV. PROPOSITAM
RESPONDETVR
A

CAROLO IOSEPHO MICHAELER.
GYMNASII C. R. ACAD. OENIPONTANI PROF.

INDEX
ARTICVLATVS CAPITVM QVO TOTIVS COMMENTARII SENTENTIA IN BREVEM SYNOPSIN CONTRAHITVR.

PRAEFATIO.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

PRAE-

PRAEFATIO, SEU AD DISCEPTATIONEM INGRESSIO: DE NATURA ET STATU QUAESTIONIS PRIMARIAE.

1.

Quaestionis primo loco propositae tria vidi esse capita commentario illustranda, quorum quidem alterum a primo, tertioque maxime penderet; eaque huiusmodi, vt, eisdem semel duntaxat perlectis, continuo perspicerem, tam accurate definitis rebus, quae forent enucleandae, non vastae eruditioni, si ea temere ac sine delectu cumuletur, neque ingeniosae diuinationi locum isthic dari; sed ad verae originis indagationem omnia spectare; vbi incorrupti iudicii partes esse praecipuae deberent. Omissis itaque diuerticulis, intellexi protinus ad rem ipsam accedere me posse, et quid vero propius videretur, declarare, si reperiri queat, si nequeat, indicare saltem, quatenus perueniri adhuc temporis indagando potuerit.

2) Ita vero ad eam Quaestionem agitandam adieceram animum, vt ei me soli, altera, quae proxima esset, relicta, addicerem primum, quod ab secunda scilicet accuratius tractanda excludere me temporum meorum ratio, aliis negotiis transscribenda, tum videbatur. Sed cum inter commentandum res viderem quasdam ita connexas cum altera etiam, quae item in publicum proscripta est, quaestione, vt paene in locum pri-

mae

mae irruerent nonnulla: statui postmodum, de illa quoque succinctius quidem, quantum tamen satis esset, disceptare itaque ferme, vt materiae et tractandi ratio ea, quae ad illam respiciunt, scribenti ingerebant: etiam res alterius Quaestionis, de Samone scilicet et Cosacis, ad instar digressionum, primae ex opportunitate intexui; de tertia Quaestione Oeconomica plane securus, quid aliis videretur, cum mei temporis non foret, ei rei quidquam operae nauare.

3) Ac Slauorum quidem, imo et Bulgarorum adeo, cum nonnulli posterioris aeui Scriptores e Scandinauia arcessant originem: accuratius distinguendae sedes populorum, tum et eorundem migrationes, atque ipsi generis auctores, si qua ratione eos consequi liceat, sunt cognoscendi. Haec tria indicia si Scandinauicae origini respondeant: tum demum doctorum hominum recentiores illae coniecturae satis constare poterunt; quodsi vero ab eadem abhorreant potius, longeque abludant: tum vero propriam demum et genuinam, minimeque cum Germanis communem ac mixtam Slauicae gentis originem nobis esse denique vestigandam intelligemus, et vt reor, feliciter hac in commentatione reperiemus. Itaque tria inprimis exquiruntur:

I) Veteris Scandinauiae nomen quousque pertinuit? Etiamne ad Vistulae ostia, circumiectasque oras?

II) Vndenam exorti Slaui? Illine inde e terris ad Albim sitis in Dalmatiam, an e Dalmatia ad Albim sunt progressi?

III) Rectene aeui posterioris Scriptores Danicae Slauicaeque gentis ortum ab Iapheti Nepote Dodanim repetiuere?

Omnino

Omnino his constitutis vera origo, ingeniosis duntaxat ac speciosis diuinationibus sublatis, perspici, tanquam caligine detracta, penitius poterit. Itaque, nulla mora, exponam de primo, quod maxime pertinet ad extenuandas coniecturas eorum, qui Slauos cum Scandinaviis perperam commiscent.

CAPUT PRIMUM.

De veteris Scandinauiae appellatione primitiua et genuina, ac deinceps ampliata; deque eiusdem incolis, limitibus, et terris, accolisque circumiectis.

§. I.

De Scandinauiae appellatione primitiua, ac deinceps ampliata.

1) Vix quidquam desiderandum videtur ad res Slavorum illustrandas, cuiusmodi posteriore aeuo, iamque sub saeculi a Christo nato sexti initia fuere, excitatae iam tum scilicet, et oppido florentes. Itaque iis enarrandis omnino ita supersedere possumus, vt eas duntaxat ad superiora aliquando illustranda, ac veluti ad concludenda ex notioribus ignota adhibeamus. Sed in altiori antiquitate ipsaque origine plerarumque gentium multo plures sunt latebrae, et rerum obscurarum hiatus longe maximi, quibus, fatendum est, a doctissimis Viris, ipsa eruditionis redundantia, maiores saepe inductas esse caligines, quam quas ignoratio attulisset; propterea quod nominum quaedam indicia sequentes non pauci, litterarumque commutationibus potissimum ex ingenio vsi, quanti essent hae coniecturae, non perinde penderent, sed iis freti affingerent ignotis in rebus ipsi, quae necesse erant ad cohae-

cohaerendum, cum ea potius in ipso situ populorum et rerum opportunitate, ac natura deprehendere oportebat. Atque ita sibi telam illi iam non dissolubilem contexebant, qua nec alii quidem docti homines ad plura porro reperiunda abuti possent. Tales praesertim Originum Germanicarum et Borealium Scriptores quam plurimi, formidabili sane eruditione, sed paene in vniuersum fabulosi, vt *Rudbeckius*, *Schrieckius*, *Lyscander*, *Gorop. Becanus*, *Stiernhielmus*, et, vt nominibus parcam, quanto quisque horum est similior, aut ex eisdem plura sumsit. Cuius generis nonnullos iam et *Mart. Cromerus de rebus Polonorum* recenset, scite obseruans, Germanicos potissimum Commentatores esse eiusmodi sententiis deditos; non item Scriptores Slauos circa Germanici generis affectationem esse perinde ambitiosos.

Lib. I. c. 2.

2) Ego vero non ita praecipiti sum ingenio, vt vel nominum adeo asperner indicia, dum ea modo rebus etiam ceteris corroborentur, neque vero similium coniecturarum quidquam respuendum putem, si illae modo pluris non fiant, quam earum ferat ratio, atque ita neque pro certis venditentur, quae in dubiis poni omnino poterant, neque promiscue in vnum conferantur, quae erant diligenter secernenda. Ita iam in primo quaestionis capite res obseruantur nonnullae, quae minime negligendae, aut plena manu communiter ferendae, sed distincte cum suis discriminibus ad notandi commoditatem explanandae sunt. Etenim in primis Scandinauiae nomen, quibus terris et incolis proprium fuerit, declarandum; tum quam late gentium, quae illo nomine censebantur, porrecti fines; deinde an in ipso limite natio alia ingruens locum sibi potius vindicet; an demum, vltra fines adeo, gens nulla alterius prosapiae locum controuersiae in eadem vicinia relinquat: quae

omnia

omnia dubitationibus sunt obnoxia, nec nisi distincta enarratione fiunt ad perspiciendum planiora.

3) Iam vero Scandinauiae nomen cui loco haeserit, et locus cui genti fuerit proprius, si explicem: ne sic quidem in procliui sunt omnia; cum fines et nomina temporibus fuerint in longius ducta. Docte sane et accurate *Cluuerius* veterum locis copiose prolatis, et inter sese conciliatis, Scandinauiam ostendit vastissimam illam ad Septentriones fuisse Peninsulam, quam veteres insulam esse crediderunt, et Graecorum antiquissimi Baltiam et Basiliam, alii vero Scandinauiam, postmodum et Scandiam ac Scanziam appellarunt, *Procopius* etiam Thulen, perperam quidem, vocauit; nunc Lappiae, Biarniae, Finnomarchiae, Noruegiae, maximos tractus, cum Botniae ac Daniae partibus complectentem. Atque has, si antiquiorem ac primitiuam appellationem quaeras, regiones illud Scandinauiae, quam veteres insulam appellarunt, nomen continebat.

Germ. Antiqu. l. III. c. 38.

c. 39. a p. 656.

4) Nihilo secius non inscite obseruat *Eccardus de Orig. Germ.* considerato populorum situ, quos prisci in Scandinauia sitos memorant, (Id autem de veterum posterioribus maxime accipi velim; nam priores animaduerti multo accuratius eo nomine vsos, quam vt id, quod *Eccardus* vult, exprimeres,) Chersonesum Cimbricam, insulasque adiacentes, et maris Baltici litus et Albis, et vltra ad vsque Vistulae latus eodem nomine censeri posse; propterea, quod plurimi eorum populorum, qui postea Germani dicebantur, antiquitus in Scandinauia consederant, eodemue aut traiecerant, aut inde prodierant; iique item, qui etiam extra peninsulam siue orti erant, siue in propinquo colebant, eodem omnes genere essent, vnde et istis nomen haerere potuit, ac Scandi-

l. I. §. 24.

nauiam ferme pro penitiore Germania poni contigit; maxime cum Germaniae vocabulum, perhibente *Tacito*
c. 2. *de Morib. Germ.* esset recentius; vnde eo fortassis nonnulli discriminis causa abstinuerunt in iis, quae ad interiorem populi sedem respicerent.

L. III. c. 6. 5) Interim tamen et *Mela* de situ Codano: *In eo sunt*, inquit, *Cimbri* et *Teutoni: vltra vltimi Germaniae Hilleuiones.* Ac proin vbi Hilleuiones, ibi Germani. Atqui isti in ipsa Scandinauiae peninsula reponuntur tum ab
L. IV. c. 14. ipsomet *Mela*, tum et a *Plinio Hist. Nat. Quarum* (insularum) *clarissima Scandinauia est, incompertae magnitudinis, portionem tantum eius, quod sit notum, Hilleuionum gente quingentis incolente pagis, quae alterum orbem terrarum eam appellat.* Quae eadem non ad sententiam modo, sed et verbis quoque ipsemet *Mela.* Nomen igitur Germanorum non procul ab Rheni, ac forte Gerae natum littoribus, in Scandinauiam ductum videmus.

6) Sed et inde nihilo secius deductae stirpes, ac cum illis Scandinauicum nomen; neque id *Solini* modo confirmatur verbis, cum Ingaeuones, quorum alioqui extra Scandinauiae peninsulam sedes memorantur, accolas facit Seuonis montis, Noruagiam inter et Sueciam, ac
cap. 23. Polyhist. proinde in Scandinauia sitos; ait enim: *Mons Seuo ipse ingens, nec Riphaeis minor collibus, initium Germaniae facit; hunc Ingaeuones tenent, a quibus primis post Scythas nomen Germanicum consurgit.* Seuo *post Scythas* trigeminam patitur interpretationem, siue quod post Sarmatas, qui et ipsi promiscue, sed parum accurate a priscis Scythae vocantur, occurrat Germaniae solum; siue quod ex Scythia Asiana, in qua ortus suos nacti essent Germani, eorum prima pars, Ingaeuones, longius profecti ad Sevonem, ac circum ea loca primas maximeque proprias

ſedes deinceps habuerint; ſiue quod Germanis priores Scythae eas in oras venerint: de quo infra. Iſtud autem extremum hic potiſſimum deſignari autumo. Sed et locus *Plinianus Hiſt. Natur.* etſi in quibusdam a priori diſcrepet, Ingaevonum initia ad Seuonem refert: *Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingaeuonum, quae eſt prima inde Germaniae. Seuo mons ibi immenſus, nec Riphaeis minor iugis etc.* Lib. IV. c. 13. Neque tamen alibi Scandinauiae incolas Ingaeuonibus adnumerat Plinius, vti iſthic. Quod eſſe indicio poteſt, ex diuerſis Graecorum exemplaribus hunc locum eſſe a *Plinio*, Solinoque tranſcriptum. Satis etiam ex iis, quae *Plinius* ibi miſcet, apparere poteſt, ex diuerſis quoque Scriptoribus illum exſumſiſſe. Ceterum Germaniae initia vterque ad Seuonem protulit.

7) Neque tamen, quo Scandinauiae nomen ad ceteros quoque Germanos pertinuiſſe monſtremus, iſthoc nobis argumento eſt opus, vt Ingaeuones in Scandinauia aeque ac extra illam contendamus incoluiſſe. Sunt gentes aliae Germanorum, quas inde transmiſiſſe, aut illuc commigraſſe, ac proin vltro citroque commeaſſe oſtendam. Sueuos inde progreſſos, ſatis illud *Taciti de Morib. Germ.* indicat: *Suionum inde ciuitates ipſo in Oceano.* c. 43. *Suecos intelligens*, inquit *Eccardus de orig. German. omnium confeſſione a Sueuis exortos*, L. I. §. 68. vnde et ipſum ſinum Codanum *Tacitus* mare Sueuicum appellauit; et viciſſim *Sueuum* fluuium *Suinam* dictum *Eccardus* notat. Nec abhorret *Aethicus in Deſcript. Europae*, qui Sueuorum omnium per varias Germaniae partes in vniuerſum LIV. propagines numerat. In Codanonia, quae hodierna eſſe Dania agnoſcitur, *Mela de ſitu orbis* Teutones locat, Lib. III. c. 6. qui inde demum in reliquam Germaniam prodiere. Sed et Cimbrorum quoque, qui cum illis in expeditionem

profecti sedes ceteroqui in Chersoneso sua habuere, in ipsa quoque Scandinauia apparent reliquiae; superest enim etiamnum in Gothia Suecica *Cimbrishamn*, id est, *Portus Cimbrorum*, oppidum ad sinum Codanum, qui in Orientem spectat, cum portu, qui a priscis illis nomen accepisse dicitur. Superest et *Engelholm*, vrbs haud procul ab Oceano boreali, cui item nomen fertur ab Anglis, Germaniae populo impositum, siue isthinc profectis, siue mercimonii causa loci conditoribus.

8) Multo etiam apertius aetas posterior omnes ferme origines e Scandinauia repetere solita: in quo etsi vel plurima detrahas, omnia tamen tantum duntaxat explodere vix possis. Ita et Gothos suos (et, vt fatear, aliis quoque indiciis, si rem perquiras, eius sententiam iuuantibus,) itidem ex Scandinauia seu Scantzia *Iornandes*
c. 4. *de reb. Goth.* arcessit. *Ex hac igitur*, inquit, *Scantzia insula, quasi officina gentium, aut certe velut vagina nationum cum Rege suo, nomine Berich, Gothi quondam memorantur egressi, qui vt primum e nauibus exeuntes terras attigere, illico loco nomen dederunt; nam hodie illis, vt fertur, Gothischanzia vocatur etc.* Nec discrepat ab Iornande Procopius, nisi quod ille Thulen appellet eam peninsulam, priscis insulam, quam alii Scandinauiam dixere, vt iam supra memorauimus. Sic autem ille *Iornand rer. Goth.*
Lib. II. *Hoc quidem modo Thulitae vitam degunt, quorum gens vna numerosissima sunt Gauti (Stephano* Γουτθοι*; Ptolemaeo* Γουται*) apud quos tunc Heruli aduenae habitabant.* Paulus Diaconus quoque Longobardos suos, Vandalos, Gothos, Rugios, Herulos, Turcilingos etc. *ab insula, quae Scandinauia dicitur*, de-
cap. II. ducit; *de gest. Longobardorum.* Quae vero propiora erunt, si Scandinauiae finem ad vsque Vistulae ostia proferas.

9) Por-

9) Porro Germanicarum gentium ex Scandinauia origines paene etiam consensu studioque, quam vnquam veteres, maiore Scriptores tutantur recentiores, et in his illi quoque, qui Germanos ceteroqui cum Celtis commiscuerunt. *Egenolfus* certe cum iis, quos laudat *in hist. Ling. Germ.* itemque *Eccardus de orig. Germ.* Gentium Germanicarum examina e Scandinauia repetunt. In eandem sententiam etiam *Loescherus* in *Litteratore Celta* Thesi XXX. pronunciat, ceteroqui de Celtici generis cognatione cum Germanico mirifice opiniosus; qui sic habet: *Certum est, Scandiam primum a Celtis, singillatim a Theotiscis vel Sueuis, occupatam fuisse, quod tertio vel quarto saeculo ante Christum natum euenisse videtur: et hi mores linguamque reliquorum Theotiscorum retinuere, vnde factum est, vt antiquissima quaelibet monimenta Scandica Runicis scripta litteris a Saxonum et Longobardorum reliquiis non multum differant. Ipsum enim nomen Suedorum procul dubio a Sueuis, Runicae autem litterae videntur esse vetustissima Germanorum septentrionalium signa.* Quibus Scriptoribus ea duntaxat tenus assentior, quantum ad ampliationem communitatemque nominis et generis Scandinauici etiam cum aliis Germaniae populis attinet, ob coloniarum videlicet frequentiam, quae et inde, et illuc, aut viciniae saltem, vario tempore, vltro citroque commigrarunt: quin ea propter antiquissimam ac primam Germanicae nationis sedem vnquam putarim Scandinauiam. Ne postmodum quidem tot ex Peninsula ipsa populorum origines vellem deducere, atque alii solent; sed complures ex eiusdem duntaxat confinio.

Part. II. c. 4. §. 3.

Lib. I. §. 24.

§. II.

De Scandinauiae finibus.

1) Sic autem M. Vipſanius Agrippa, qui ſecundus Romanorum 18. poſt Caeſaris e Gallia in Germaniam tranſitum annis, vrbis conditae ſeptingenteſimo ſexto decimo, Rhenum cum armis transmiſerat, tradidit, vt Germaniae ad Orientem limes Viſtula fuiſſe intelligatur de qua potiſſimum plaga iſthic quaeritur, vti quidem teſtis
Lib. IV. c. 12. eſt *Plinius Hiſt. Nat. Agrippa totum eorum tractum ab Iſtro ad Oceanum, bis ad decies centum millia paſſuum in longitudinem, aliquantum minus quadringentis in latitudinem ad flumen Viſtulam a deſertis Sarmatiae prodidit.* Nec
Lib. III. c. 3. diſcrepat *Mela de ſitu orbis* ſub Claudio Scriptor: *Germania*, inquit, *hinc ripis eius (Rheni) vsque ad Alpes, a Meridie ipſis Alpibus, ab Oriente Sarmaticarum confinio gentium, qua Septentrionem ſpectat, Oceani littore obducta eſt.* Quodnam vero ſit illud Sarmatarum confinium, paulo poſtea
c. 4. explicat: *Sarmatia intus, quam ad mare latior ab iis, quae ſequuntur, Viſtula amne diſcreta, qua retro abit, vsque ad*
Lib. IV. c. 13. *Iſtrum flumen ſe immittit. Plinius* quoque *Hiſt. Nat. Quidam haec habitari ad Viſtulam vsque fluuium a Sarmatis, Venedis, Syris, Hyrris tradunt*: ſcilicet hi populi ab altera
c. 23. Viſtulae ripa deinceps in eo latere incolebant, et *Solinus Polyhiſt.* inter Germaniae fluuios Viſtulam, Plinio Viſtillum, vltimum poſuit: *De internis eius partibus Albis, Guttalus, Viſtula, omnes altiſſimi praecipitantur in Oceanum.* Satis item proprie *Ptolemaeus*, qui pleraque ex
Geograph. Lib. II. c. 4. Tab. IV. Europae. *Marino Tyrio* (quem rurſum ex antiquioribus neceſſe eſt compilaſſe, cum ipſius negotio ceteroqui ferme impar tum fuiſſet; et res tamen a prioribus iam varient) ſumſiſſe
ib. L. I. c. 6. ſe oſtendit. Hic autem de Germania: *Latus orientale*, inquit,

quit, *terminat distantia a dicta conuersione vsque ad imminentes Sarmatiae montes: praetereaque distantia post montes ad dictum Vistulae fontem: atque hinc flumen ipsum ad mare vsque.* Et rursum in Sarmatiae descriptione: *Sarmatia Europaea terminatur ab Occidente Vistula flumine, et linea inter fontem eius et Sarmaticos montes ducta; tum ipsis montibus.* ibid. Lib. III. c. 5. Tab. VII. Europ.

2) Neque minus aperte posteriore aeuo *Iornandes de Reb. Germ.* quem adscribere eram oblitus, cum excerpsi, nunc e memoria duntaxat addidi: *Scanzia a fonte posita est Vistulae fluuii, qui Sarmaticis montibus ortus in conspectu Scanziae septentrionali Oceano trisulcus illabitur, Germaniam Scythiamque disterminans.* Lib. I. Quam hic ille Scythiam vocat, palam est, ab aliis Sarmatiam vocari, quae tamen nomina passim inter se misceri, alibi ostendam. Re tamen vera recte hic Iornandes, quamuis, vt videtur, ignarus discriminum, impertiit; nam alterum Vistilli latus etiam Scythas quosdam tenuisse, paulo postea docebo. Adde ex *Theodosiana orbis descriptione*, a *Beato Rhenano de reb. Get.* laudata, satis luculentum testimonium, vt, quos dixi, fines constanter mansisse eosdem intelligas, qui sic ibi describuntur: *Germania omnisque Gothia finiuntur ab Oriente flumine Huistia, ab Occidente flumine Rheno, a Septentrione Oceano, a Meridie flumine Danubio. Dacia et Alania finiuntur ab Oriente desertis Sarmatiae, ab Occidente flumine Huistia, ab Septentrione Oceano, a Meridie flumine Istro.* cap. 3. sub initio. Vellem, ostendisset etiam, qua ex scriptura *Huistiae* nomen depromserit; quod quidem iam a quopiam antiquiore reor ita conuersum. Facile autem hic intelligas Vistulam esse designatum, Gothicoque elemento Θ olim scriptum, quod iam instar *qu*, iam vt *hw* Anglo-Saxonum, id est, ferme apud ceteros Germanos instar *w* vulgatis pronun-

pronunciabatur: vt proin inde *Wiſtia* redigeretur. Rurſus et alterum elementum Gothicum Λ, extrito forte inferiore vncino, aut verius commixto cum priore littera anſam dederit pro littera *l* ſubiiciendae vocalis *i*, vt Huiſtia exprimeretur pro *Wiſtla*, id eſt, *Viſtla*, aut *Wiſcla*, quod mihi etiam vero videtur ſimilius: nam *c* et *t* tum quidem non ita facile in Gothicis, ſed poſtea tanto facilius Romanis in formis litterarum ob figurae affinitatem permiſceri poterant. *Viſclam* autem apud *Iornandem* conſtanter referunt exemplaria; etſi ſuperiore in loco *Viſtulam* dixerat. At Gothis Viſcla, ΘISKIΛ ferme ſcribebatur.

De reb. Goth. c. 5.

3) Fines vero hic proprios agnoſcas et ſtatos indicari regionum, quae antiquis ſtare ſolent nominibus, non gentium, quae ſaepe alio transferuntur, quin et vbi noui populi priores ſuccedunt in ſedes; manent priſtini gentis fines, ſed noui nationis alterius ita plerumque deſcribuntur, vt a prioribus diſtingui poſſint. Atque adeo Gothos quidem Ptolemaei aeuo, et, vt videtur, vel aliquanto etiam antea iam vltra Viſtulam profectos animadvertimus, quos ille, in Germania praetermiſſos, in Sarmatia penes Viſtulam ſub Venedis, Gythonum nomine locat. Aeuo autem Theodoſiano haud paulo iidem longius, iamque dudum in Aſiam vsque armis fuerant graſſati: et nihilo ſecius iidem Gothiae ad Viſtulam limites, cum ita ea pellerent tempeſtate, vt eo nomine etiam Scandinauia, ſeu Germania interior tunc appellaretur.

Lib. III. c. 5. Tab. VII. Europae.

4) Hinc iſtiusmodi fretus auctoritate non moror *Cluuerium*, cum Germaniae fines longius profert vltra Viſtulam, *Tacitumque* obiectat, qui ſcripſerit: *Germania omnis a Galliis Rhetiis*que *et Pannoniis, Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatia Dacisque mutuo metu, aut montibus ſeparatur.* Vnde ille ſibi colligere eſt viſus, gentis Germa-

Germ. Antiq. Lib. 3. c. 42.

De Mor. Ger. ſub initio.

Germanicae, cuius tum arma inprimis clarefcebant, etiam longius in Sarmatiam pertinuiſſe fines. At enim ſi mutuus ad Orientis limitem erat metus: nondum Sarmatae Scythaeue in penitiorem Germaniam, cum iſta ſcriberentur, penetrauerant; rurſus nondum Germani in ripam ſe vlteriorem effuderant: aut certe non id iam ex finibus regionum, ſed ex opportunitatibus aliis, geſtisue vtriusque generis populorum erit conſtituendum. Quod mox diligentius perquiremus. Sed quoniam ea res cum aliarum quoque gentium nominibus implicatur, de his item cognoſcendum.

§. III.

De accolis ad Viſtulae fontem, eorumque genere.

1) Ad inferiorem Viſtulae oram a Septentrionibus ſi deſcendas, ſeu propius ad fluuii fontem: multo iam minus laboro, quia deduci eo vsque Scandinauiae nomen haud ſolet: neque ibi perinde controuerſiae de originibus Slauicis cuiusdam opportuna viſa ſunt earum gentium nomina; de finibus tamen, quos ratos ſupra habebamus, ibi quoque contendit *Cluuerius*, eosque vltra Viſtulae fontem atque alueum ſupra montes Carpaticos Sarmaticaque iuga ad vsque mare Ponticum et Iſtri oſtia porrigit. Legi longiſſimam eius diſceptationem, qua Baſtarnas Germanis vindicare connititur. Sed quid decernas denique, cum veterum alii eos Gallici, alii Sarmatici, aut Scythici, alii Germanici generis fuiſſe affirment; alii prorſus addubitent, neque noſtra iſthic ferme quidquam interſit? plane extenſis aequa lance teſtimoniis, viſum eſt *non liquere*. Indicia autem cetera ſi conſulamus, non ſit mihi *veriſimillimum*, Iazyges Sarmatas, bellicoſos ſane homines, ita ab reliqua Sarmatarum gente, intercedentibus Baſtarnis, quorum pars Peucini ac Carpiani erant, fuiſſe

Lib. III. Ger. Antiq. c. 43.

disterminatos, vt longiſſime ab reliqua gente abeſſent; non item veriſimile, Germanorum vnam quandam nationem, ſcilicet Baſtarnicam, vt volunt, tam longe in penitiſſimam Sarmatiam, ſcilicet ad mare vsque Ponticum, impune durare, et ſolam tueri ſe potuiſſe: multo igitur malim Sarmatas credere. Tum quaero ex *Cluuerio*, cum *Tacitus* memoret loco ſupra citato: Oſos Pannonicam, Gothinos Gallicam gentem partem tributorum Sarmatis, partem Quadis coactos pendere: quibus igitur Sarmatis? An Iazygibus, et Metanaſtis, quos perpetua montium Sarmaticorum iuga ab iis ſecludebant? At, vbi haec deſinebant, interfluente fluuio: ab altera parte Quadi, ab altera Baſtarnae in foribus erant, qui ex ipſiusmet delineatione ac mappa cum Gothinis ac Oſis continuantur, nullis ferme obicibus disterminati. Aut igitur Baſtarnae Sarmatae: aut non erunt, quibus illi pendant tributa.

cap. 43.

2) Nihilo ſecius Baſtarnas, origine Sarmatas, mixtis tamen cum Germanica gente, et quoquo modo, praeter morem ceteroqui Germanorum, conciliatis nuptiis vſos, facile indiciis admonentibus inducor credere: quando id et *Tacitus* quoque ferme innuit: *Quanquam Peucini*, ait, *quos quidam Baſtarnas vocant, ſermone, cultu, ſede, ac domicilio, vt Germani agunt, ſordes omnium, ac torpor, ceterum connubiis mixtis, non nihil in Sarmatarum habitum foedantur.* Cuiusmodi indiciis diſcrepantiae non ſane negligenter vtendum, ne iis inſuper habitis, et ſimilitudine ſolum aliqua cognita continuo in eandem gentem tranſcribamus, quae ex diuerſiſſimis erant. Quod vel ipſi *Tacito* contigit, cui de Germanis ceteroqui compertiſſima debemus. Et animaduerterat ille quidem generis diſſimilitudinem; vnde ait: *Peucinorum Venedorumque et Fennorum nationes Germanis Sarmatis adſcribam, dubito.*

De German. Morib. c. 46.

Ac

Ac nihilo secius, contemto paulo post discrimine, in errorem se inducit: *Venedi*, inquit, *multum ex moribus traxerunt, nam quidquid inter Peucinos Fennosque siluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt, et scuta gestant, et pedum vsu ac pernicitate gaudent. Quae omnia diuersa Sarmatis sunt, in plaustro, equoque viuentibus. Fennis mira feritas etc.* Atqui Venedos Fennosque satis hodie scimus, non esse Germanici generis. Eiusmodi igitur lapsus vbi palam iam agnoscuntur, tali in coniectura veterum auctoritas, vbi iam ipsimet asseuerant dubitanter, religioni esse non potest, ac proin de Peucinis quoque ac Bastarnis non continuo Tacito Plinioque credimus, cum eos Venedi Fennique longe fefellerint.

3) Ac *Venedos* quidem eosdem esse, ac *Sarmatas*, eosdemque porro, ac quos hodie *Slauos* nomine ab ipsis inuento appellamus, iam et ex priscis quoque compertum habemus. In tabula enim Itineraria ita consignatum reperio: *Lupiones Sarmatae*: *Venadi Sarmatae, Bastarni.* Ex his Lupiones facile agnoscas illos, quos Russi *Loppos* et *Loparos*, Suedi, Dani ac Noruagii *Lopper*, Germani *Lappen* appellant. Erant hi in Sarmatia, Venedis Finnisque finitimi, sed non erant ipsi Sarmatae, vel potius erat Sarmatis immixta eorum quaedam colonia. Quod tamen Romanos, qui eo vix priuatim vnquam penetrarent, ob longinquitatem facile latuit: qui forte ne Bastarnas quidem obmixtas cum Germanis res nosse satis potuerint. Videtur, vt supra animaduerti, Lapponum nomen isthoc Itinerarii, quod Romanis etiamnum pollentibus confectum fuit, indicio iam ostendi antiquius ea aetate, qua illud natum ex praestantissimo nostri temporis Geographo *Büschingio* constat; cui nihilo secius hoc eodem in loco grates praeci-

 puas

puas de alio debemus indicio, cum alibi nos admonet:
Geogr. Nov. Volum. I. p. 350. *Lappones Boreales ex alia origine, aut certe colonia videri arcessendos, quam ex qua Finni, Lapponesque in Finnomarchia siti ducantur, linguam enim non modo dialecto vehementer discrepare, sed et mores nimiopere.* Quae res in eam me deduxit suspicionem, vt id vtrorumque Lapponum discrimen ortum putarem ex posterioris cuiusdam, satis tamen etiamnum antiquae, Lapponum coloniae cum Sarmatis commixtione. Ita enim et linguam et mores admodum potuisse variari, nihil sane mirum. Quam suspicionem alius eiusdem locus mirifice confirmabat, cum docet,
Lib. cit. pag. 607. Lappones, qui ab Russis dicantur Lopari, a Finnis appellari Lappalainen; Liuones vero Wirolainen. Nec Finnos cognoui vsquam diuersae genti miscuisse familiam, a Scythis prognatam, quo plus eorum tribuo appellationibus propterea, quod has videntur ex ipsa generis notatione condidisse, cuius iidem, quippe indidem olim oriundi, et finitimi, in primis fuisse conscii videntur. Itaque eo ex nomine composito qua Liuones, cum Aestiorum nonnullis, qua Lapponas cum Alanis olim in quandam coaluisse nationem, quae et ipsa Romanis videri Sarmatica posset, cum maiorem partem esset Scythica, autumo; nam Alanos esse Sarmatas, suo loco dicam. Hos autem in Curlandiam, Liuoniae ad arcton finitimam, aduenisse,
Parte I. c. 9. cum eaque natione gentem miscuisse etiam *Lomonossouius in Veteris Russiae Historia* annotat, quanquam paulum perturbatis testimoniorum locis, vt eius versor obseruat, *) quae proin coniecturam nostram haud parum fulciunt.

4) At Venedos vt Slauos quoque agnoscas, ita *Iornandes de Reb. Get. cap. 5. Iuxta quarum (Alpium ad Daciam) sinistrum*

*) Qui *Helmoldi* Lib. II. c. I. potius laudandum p. 60. versionis arbitratur. Addit tamen *Lomonossouius* et *Ioh. Bohemum.*

sinistrum latus, quod in Aquilonem vergit, et ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia venit, Winidarum natio populosa consedit: quorum nomina licet nunc per varias familias et loca mutentur, principaliter tamen Sclauini et Antes nominantur. Et rursus infra eosdem *Venetos* appellans, *hi*, ait, *ab vna stirpe exorti, tria nunc nomina reddidere, id est, Veneti, Antes, Sclaui, qui nunc ita facientibus peccatis nostris vbique desaeuiunt*: scilicet cum essent a Christi sacris longe etiam tum alienissimi. Nec ab his diuersa prodit *Procopius*. Eandem horumue populorum gentilitatem tum ex linguae communitate, tum ex nominibus locorum, passim apud Slauos superstitum, apertissime agnoscas, quod *Cluuerius* persequitur: *Omnium*, inquit, *maximum grauissimumque argumentum, quo inductus credam, Venedos quondam hoc mare accoluisse, in ipso gentis est nomine, quod etiam nunc in Liuonia pluribus locis durat.* Quae ille deinde enumerat; vti et paulo post numerosissimas huius generis a Germanis alienissimi *per Russiam Magnam, siue Moscouiam, per Litauiam, Poloniam, Russiam Minorem, Podoliam, Moldauiam, Valachiam, Bulgariam, Seruiam, Slauoniam, Dalmatiam, Croatiam, Vinidorum Marchiam, Carniolam, Morauiam, Bojohemum, Lusatiam, et Cassubiam* propagines. Atqui horum omnium populorum lingua tametsi dialectis variet, (cuius rei cum finitimis consuetudo in causa est) satis tamen commode inter se conciliandas vbique origines habet. Et necdum tamen omnes ille stirpes recensuerat, ex quibus Slauos eosdem, ac Venedos posses cognoscere: vnde paulo post pergit: *Adde iam et hoc argumentum, quod hodieque eiusdem Slauici generis populi in Germania, per Marchiam Brandeburgiensem, per Pomeraniam, et Lusatiam vulgo Germanis appellantur die Wenden; et regio ab eiusdem*

De Bell. Goth. Lib. III. cap. 14.

Germ. Antiq. L. III. c. 44.

generis natione habitata, inter Histriam, Forum Iulium, Carniolam, Slauoniam et Croatiam, die Windische Marck, id est, Vinidorum Marchia: item in Hungaria, sub Carpaticis siue Sarmaticis montibus, inter Vagum Granumque amnes, in ea Slauici generis gente, vbi Scepusium, quae vulgo Germanis die Zipser, vicus Windische Probe. Hactenus vere et inuicte *Cluuerius;* quodsi enim cum huiusmodi indiciis etiam linguae, quam dixi, communitatem rerumque item aliarum societatem coniungas, iam huiusmodi nominum indicia futilia videri non poterunt. Adde et domesticas huius gentis de suarum propaginum inter se necessitudine memorias: et insulsissimus hominum fiat necesse erit, qui eam porro cum Germanis miscere audeat. Vnde Romanis parum sane cognitas has gentes intelligimus, qui isthic vel dubitarent.

5) At illud iam in Cluuerio miratus sum, ita eum Taciti sui auctoritate praestrictum fuisse, vt, solis demtis Venedis, non modo Bastarnas et Aestios, sed et ipsos adeo Finnos in Germanorum gentem transcriberet; neque argumenta, quibus id efficere nititur, Cluueriano illo iudicio digna, quo alias vtitur: vnde nec est, quod tricemur, cum sit hodieque compertissimum Finnorum a Germanis, aeque ac Slauis discrimen: de quo iam supra nos exposituros ostendimus. Genus autem atque originem ferme lingua declarat; quam Czudicam *Michael Lomonossouius* appellat, eandemque hanc vult esse, ac *Scythicam;* cum vox Czud sic ferme a Slauis pronuncietur, vt *Tschud;* a quibus proin auditum nomen Graeci ad suam pronunciationem accommodarunt, cui facile ac prorsus assentior; neque hic aliter id nomen a nobis vnquam de alia gente ponitur: dumne facta omnia, quae Graeci Scriptores de Scythis prodiderunt, ad hanc ille gentem,

Germ. Ant. Lib. III. c. 45.

In Veteri Russorum Historia inde ab Russicae gentis origine ad vsque Iaroslai I. obitum Part. I. cap. VI.

gentem, vnde et Finni prognati sunt, semper referat, cum satis certum sciamus, promiscue saepe Graecos, nec acriter intellecto gentium discrimine, locutos esse, vt eodem nomine saepe etiam Gallos, Germanos, ac passim Sarmatas appellarent. **) Hac vero gente contendit Liuones, Estios, Ingrios, Finnos, Carelios, Lappones, Biarmios, Mordiuinos, Syranos, Sibirios veteres, aliasque nationes comprehendi, quae admodum inter se cognata omnes lingua vtantur, eamque ait esse Hunnicae et Hungaricae proximam, atque ita affinem reperiri, vt eandem originem agnoscere debeas. Testimonia, quibus rem munit, locupletissima sunt: iam enim a Sturlesono veterum Scandinauiorum cum *Czudis*, in quibus Finni, Estii, ac Biarmii, nunc Permii, ab iis potissimum recensentur, quia hi scilicet eis maxime finitimi erant, nam ceteros Nestor, Monachus Russicus, seculi vndecimi Scriptor, memorat, eandemque ad prosapiam pertinuisse satis ostendit. Cui quidem de iis, quae ob nimiam antiquitatem aliqua teneri memoria vix poterant, vti quae ille de S. Andrea tradit, fidem derogat *Büschingius*; at de ceteris eidem nulla dubitatione credendum censet; atque ipse quoque pluribus in locis eandem cognationem gentis declarat; vt cum Wotiacorum linguam cum Tschermissica, plurimumque cum Permica congruere meminit; item Permicae, ac Wogulo-

Geogr. Nou. Volum. I. p. 615.

Lib. cit. pag. 642. 860. 905. et 925.

**) Plinius Lib. IV. Hist. Nat. c. 12. *Scytharum nomen vsque quaque transiit in Sarmatas atque Germanos.* Strabo Geograph. Lib. XI. cap. 507. *Veteres Graecorum Scriptores vniuersas gentes septentrionales Scytharum, et Celto-Scytharum nomine affecerunt*; et c. 192. *hac dispositione facta primam partem incolunt Septentrionem versus et Occasum Scythae quidam vagi, et in plaustris degentes vitam: citra hos Sarmatae, ipsi quoque Scythae.* Procopius de Bello Gothico Lib. IV. cap. 5. *Hinc longius siti erant Gothi. Vandali, aliique omnes populi Gothici, qui et Scythae quondam nominabantur.*

gulorum et Ostiacorum in Sibiria cum Finnica lingua conuenientiam notat. Sed maxime aperte sententiam Vir doctissimus declarat, cum fuse hac de re vno in loco omnia impertit, quae sane hic excerpi digna sunt visa. Sic ille vero: *Nomen Vngar genuinum est Vger, vel alia scribendi forma Viger et Iugur, neque id nomen proprium, sed commune, perinde vt voces Tschud, Scyth, Ostiak, vel Vschtak, Barbar, quae peregrinum aut aduenam notant. Eaque notio etiamnum in Mungalica lingua superest. Ex Abulgasti testimonio Vgri primitus in regione Mogulum, seu Mungalum consedere: demum vero cum discordiis coepissent inter se dissidere, eorum pars altera veteri in sede perstitit, altera ad Istiscum se contulit, cui etiam Annales Sinici apud Deguinesium fidem faciunt; secundum hos enim Vgri in infimo Istisci tractu, seu in tractu Fursano coluerunt. Inde necesse est eos Occidentem versus contendisse, atque ibi consedisse, vbi iam ad montem Vral occupata Baschkiris prouincia Vstica (Vfica) in ditione Orenburgica est sita. Carpin Monachus in descriptione saeculo XIII. suscepti itineris, eam Magnam Hungariam appellat, quorum rubris non modo consentit, sed illud addit amplius, vt incolarum huius regionis et Vngarorum eandem esse linguam dicat, atque Vngaros plane inde aduentasse. Annalium Russicorum Scriptores credidisse videntur, Vgros etiam longius Boream versus in Wogulorum tractus penetrasse; Wogulos enim illi Vgristchos, i. e. Vgros appellant, quod eo etiam veri sit similius, quo lingua Wogulica Hungaricae est propior; tum et Iugorii montes, qui Russiam ab Sibiria diuidunt, ab Vgris nomen accepere. A montibus Vral, vbi Iaici sunt fontes, eos Petschenegi, seu Patzinacitae depulerant; vnde ad Volgam se illi contulere. Quam late ea gens suas propagines ad Boream et Austrum protenderit, vel ex eo apparet, quod*

Geogr. Nou. Volum. II. a pag. 1327.

ad

ad Boream quidem Wogulum, Estiorum, Lapponum, Finnorum, Syriaenorum, Permiacorum, Wotiacorum, Tscheremissorum, Mordwinnorum et Kondicorum Ostiacorum lingua cum ea cognatae reperiuntur. De quo vide *Ioh. Eberhardi Fischeri* Disquisit. de origine Vngrorum, in eiusdem Quaestionibus Petropolitanis. *Austrum autem versus eorum vestigia in nomine vrbis Madschar, cuius rudera in Astrachanensi Russici imperii ditione ad fluuium Kuma exstant, leguntur. Nomen vrbs scilicet ab Vngris, aliquandiu in Persarum confinio ibi versatis, accepit. Hi enim non modo se ipsi Maggar vel Madschar hodieque vocant, sed et a Turcis, Arabibus, aliisque Asianis ac Slauicis ad Danubium populis eodem appellantur, quod eis, Abulgaso teste, iam tum haesit, cum ad* pag. 45. *Jaicum et Volgam habitarant. Russi vero ac Poloni nomen Wengary, vel Vngarn retinuere, quod ipsi de se Vngari nunquam vsurparunt. Quae omnia eo pertinent, vt intelligi possit, cur lingua Hungarorum non modo cum illa Wogulum, qui et ipsi sese Mantschos vocant, sed cum aliis veterum, quos diximus, populorum sit cognata; verum et Tattaricis, priscisque Persicis vocibus permixta.*

6) Hanc vero conuenientiam tantam, quanta has in linguas confertur, quia cum historia Hunnica minus cohaeret, non agnoscere visus est Vir doctissimus *Georgius Praius*, Scriptor Annalium veterum Hunnorum, Auarum, Lib. II. p. 62. et 63. et Hungarorum, qui de Iuhria quidem, seu Iugaria, Moscouiae prouincia, Biarmae finitima, similem quondam ostendit auditum esse sermonem, scilicet Hunnos inde fuisse profectos; et sermonem Hunnicae paene eundem gentis esse. Sed a cognitore, cui id, vt perquireret diligentius, mandatum fuerat, docet rescriptum fuisse: *loquuntur lingua abstrusa.* Haec tamen nondum sane maxima se obiicit difficultas. Plus in eo laboris ac mole-

 stiae,

ſtiae, vt cum hiſtoria haec concilientur, quando ex ea conſtat, Hunnorum gentem antiquitus ferme coniunctis ſedibus habitaſſe, ac primum poſt annum a Chriſto nato 48. gentem *in ſeptentrionales* ac *meridionales Hunnos* diviſam; ſenſim vero in loca Europae propiora propulſam ab anno 93. tum vero demum in Iuhariam non longe diſſitam eos penetraſſe, Praius cum Deguineſio ſuſpicatur. Atqui ſi ex opportunitate, et ratione, qua in regiones illas Scandinauiae continentes, ceteraſque eodem porro tractu peruenire Finni Lapponesque potuerunt, rem perpendas: iam ante Germanorum in Scandinauiam transmiſſionem eosdem Scythas ibi neceſſe eſt conſediſſe, ac proin vltima iam aetate, cum Pythaeas iam CCL. circiter ante Chriſtum natum annis illas terras luſtrauerit, ibique iam Germanos repererit, vt ſatis ex indiciis a Plinio conſervatis intelligitur, ex quibus et apparet, iam tum gentem, quae poſtmodum Germanica eſt dicta, ibi incoluiſſe. Satis praeterea antiqui ſunt Scriptores Herodotus, Apollonius Rhodius, Euripides, Aeſchylus, et alii, qui cum de electro ita prodiderint, vt nequeas denique niſi in Germanico genere rerum, quae ab iis enarrantur, reperire convenientiam: aetas proin ſane longinqua populi inde cognoſci debet. Verum et hac quoque Germanorum gente, vt dictum eſt, ibi priores adueniſſe Finnos et Lappones (atque, vti ferme intelligimus, Aeſtios quoque) neceſſe eſt, quando ipſi incolae eos ſuis maioribus priores agnoſcunt. Neque hic aliquid hiſtoriae Hunnicae alienum ac aduerſarium a nobis traditur; ſed ad vulgatas res aliquid duntaxat amplius additur, quod veterum memorias antiquitate ſua exſuperat, quia forte mox ſub initia humani generis in propagines abeuntis, gentium Scythicarum pars quaedam ad Boream ſeceſſerit Europam verſus,

ibid. p. 54. et 58. Lib.II. p. 63.

versus, altera in Asiam commigrante ac sensim longius latiusque incrementa sua exaggerante. Eadem de Czudis tradunt Slauicarum rerum Scriptores antiquissimi, quales Nestor Monachus, saeculi XI. Scriptor, pluribus in locis, aliique Annalium Russicorum conditores et familiarum secundum gradus pronunciatores priuati, qui Czudos, gentem a Slauis lingua et genere diuersam, eas iam prius, quam illico Slauici populi accederent, occupasse sedes memorant. Non igitur in annum a Christo nato 93. reiici eam in Iuhriam, et huic prouinciae finitimas sedes profectio Czudorum potest; sed est hominum paene memoria antiquior.

7) Illud Praio facile assentior, non ex Iuhuria vltra fluuios Irtiscum, et Obium, seu Carabicen, neque ex Finnia, Liuonia, aliisque ad Septentriones locis vltra Wolgam, seu Araxem fluuium in penitissimas illas Asiae prouincias Scythas fuisse transgressos, sed forte ex his potius in illas. Quae res partis Scytharum alterius quia ad terras adeo remotas spectabant, non mirum, nihil de iis esse in Sinarum monumentis consignatum. Quod de lingua Praius addubitabat, quam esse *abstrusam* fuit rescriptum, non equidem ea obscuritas veterem famam vanitudinis et falsimoniae conuincit; patiuntur enim linguae tum paene natura sua temporisque progressu, tum ex consortione cum aliis populis haud sane leues immutationes, quae perplexum habere arbitrum possunt, nisi magna peritia dialectos et tempora distinguat, quae non vnius diei est opera. Cuiusmodi peritia, altiorque magis reconditarum originum cognitio num in legato illo ac cognitore fuerit; num de sermone ex vulgi infirmi pronunciatione, an ex vsurpatione scriptorum ac monimentorum qua suae, qua Iugaricae linguae iudicium fecerit: nemo

nos poterit facere certiores. Quid, quod in hac ipſa lingua Czudica ſtudioſe non raro quidam dialecti varietatem conſectantur, teſtante *Theophane Sigefrido Bayero* in lingua Fennica: *ex inſtituto ſic a quibusdam productas eſſe voces, vt Fennice loquentem Fennus non intelligat.* Apud Fennos tamen Czudicam, Hunnicae admodum cognatam, ſuperſtitem eſſe ex Büſchingio et Lomonoſſouio diximus: quod mox e Leibnitio quoque commonſtrabitur. Idem de Lapponum lingua amico cuidam meo ex itinere ante annos pauculos doctiſſimus quidam Hungarus Sainowitz confirmauit, qui cum celeberrimo Mathematico Hellio e Dania reduce profectus, hiſtoriam quoque gentis ac linguae Lapponicae edocturum ſe oſtendit, in qua huius et Hungarici ſermonis cognatio abunde declararetur. Non fuit mihimet ipſi ſermonis tum copia cum Viro eruditiſſimo: neque cognoſcere proinde potui, quam circumſpecte ille originum indiciis vteretur: non enim defuere ceteris quoque Europaeorum in linguis, Germanica praeſertim, licet toto genere inter ſe diſcreparent, qui eas tamen auderent arte ſua eandem ad ſtirpem reuocare, et contortionibus, quae in ſe obſcura minus facile retrudi poterant, veterem Cantabricam, Hetruſcam, Celticam, Germanicamque in vnam peritiſſime confunderent: quorum inanem operam hodierna aetas, linguis exploratius cognitis, merito ridet, et cum faſtidio longe repudiat, eam ob rem ſatis iam peruulgatum non eſt, quod facile ſuſpicer, Viro doctiſſimo in ſua atque Lapponica conciliaṅda eiusdem modi vmbras temere congruentium vocum imponere potuiſſe. Neque aliena ſunt, quae de vtraque gente, Finnica ſcilicet et Lapponica, docte adnotauit *Leibnitius*, cuius hic eſt locus memorabilis: *Sed et longius Lappones et Finni in Orientem cognationes protendebant. Cuius*

In Muſæi Fennici praef. p. 104.

Miſcell. Berol. pag. 8.

Cuius manifestum indicium Hungari praebent, cognatus Finnis populus, quos ab interiore Scythia, et, vt nunc loquimur, a regionibus Siberiae propioribus venisse ex Iornande constat. Et Rubrukius a Ludouico S. ad Tartaros missus, didicit, antiquam Hungariam tunc dictam Pascatir, quam credo esse, quae hodie Baskiriae nomine sub Magni Russorum Monarchae ditione est. Porro nulla linguarum Europaearum Hungariae aeque, ac Finnica accedit, quod Comenius, quantum sciam primus notauit. Sed et nuper Fabricio ex Suedia ad Persas commerciorum causa misso, comes iuuenis Finnus Cl. Brennero cognatus, cum in itinere, non procul Volga iam ad Caspium aequor accedente, pro iumentis ad vehicula conductis nummos incolis alicubi solueret, miratus est, illis nomina numeralia paene eadem Finnicis esse. Inde ad colloquium progressus, intellexit pleraque, intellectusque est. Itaque arbitror, veterem magnam et continuam a septentrionali Oceano ad Caspium paene mare nationem, Slauis postea siue Sarmatis interuenientibus, extrita parte, fuisse interruptam. Nihil mihi veri videtur similius, quam has gentes, siue sub ipsa, quae dixi, initia instituto maiorum, siue ab suis expulsas, superiora Oceani loca sparsim secutas esse, quo secundum Volgam, seu Araxem denique, aut secundum Obium quaedam earum propagines ad suam gentem descenderent, aut aliae ascenderent ad illas; tractumque generis, vtcunque per alias gentes poterant, continuarent. Qua in re illud rectissime *Plinius* animaduertit, Scytharum nomen, cum olim promiscue fuisset aliis etiam gentibus attributum, praesertim a Graecis, postmodum tamen quadam, quam nonnisi originis veritas pepererat, constantia penes eas duntaxat mansisse gentes, quas nos isthic inter Czudos enumerauimus: *Nec aliis,* inquit ille, Hist. Natur. Lib.IV.c.12.
prisca illa durauit appellatio (scilicet Scytharum, de qua

loquitur) quam, qui extremi gentium harum ignoti prope ceteris mortalibus degunt. Vtut hoc quidem fuerit, certe cum iam ceteroqui (esto vel inuita Hunnicae gentis historia) Finnos tamen ac Lappones originis cum gente Hunnica societate coniunctos ponere necesse sit, quos Iuhris *Büschingius*, ac *Moletius* (in Tabulis Geographicis nouis secundum Ptolemaicas veteres ad conferendi facultatem additis) Biarmiis ceterisque continenter Scythicis populis inter sese finitimos faciunt: non multum pendere videor, quin in Iuhrios ad ceteras gentes Czudicas a Lomonossouio Büschingioque recensitas adiungam, veterisque famae haud negligendum putem indicium, quae eos lingua ab Hungarico sermone non multum aliena locutos tradidit.

8) Illud tamen dubito, num eidem *Lomonossouio* assentiri debeam, quod gentes ab antiquis memoratas Alanorum, Roxolanorum, Dacorum et Amazonum nonnisi aut ad Slauorum, aut ad Czudorum propaginem contendit referendas esse; siquidem praeter Magoigicam isthic Moschia et Thracia quoque, cuius Tyras conditor, stirps superest, in qua Dacos quidem prisci censuerunt. Dacos enim eosdem ac Getas, eosque Thracici generis veteres tradiderunt; sic enim *Strabo*: *Est et alia regionis diuisio, quae ab antiquo durauit, vt alii Daci, alii Getae appellentur: Getae, qui ad Pontum et Orientem vergunt; Daci, qui in diuersum ad Germaniam et Istri fontes. Eadem vtuntur cum Dacis lingua Getae, ceterum Graecis notiores sunt Getae, ob crebras in vtramque Istri ripam migrationes, quodque Thracibus ac Musis fuerint permixti.* De genere autem sic *Herodotus*: *Getae per imperitiam resistentes in seruitutem redacti sunt, cum sint fortissimi Thracum, atque iustissimi.* Et rursum *Strabo* idem: *Graeci Getas existimarunt*

Geograph. Lib. VII.

InMelpomene seu L. IV.

marunt esse Thracicam gentem. Vtramque autem Istri ripam accoluerunt. Nec multo postea: *Quod autem sine vxoribus vixerint, nullum talis rei indicium exstat, maxime apud Thracas, et horum partem Getas.* Et *Stephanus*: *Getio, regio Getarum; est autem gens Thracica.* At enim cum *Herodotus* annis iam antea quadringentis quinquaginta floruerit, iamque ille Getas in Thracibus memoret, non igitur hos apud Bactros primum aliquanto post annum ante Christ. nat. 162. inuentos putabimus, quod idem ceteroqui praestantissimus Scriptor *Praius* diuinarat, nisi quidem aliud ab iis, quorum veteres meminere, quosque Graeci satis nosse poterant, longe diuersum Getarum genus suspiceris, de quibus illum *Praii* locum accipere queas: *Altera* (pars) *Yucchienses maiores nuncupati ripas Ilii fluminis occupauit, veteresque incolas, quos orientales Scriptores Su vocant, ad Iaxartem amnem propulit. Isthinc prolato in Parthiam et Chorosanam armorum metu, sedes apud Bactros constituerunt, inclarueruntque, vt Sinnici Annales perhibent, sub Yetanorum, aut Yetarum nomine, ac iidem prorsus videntur esse, qui Graecis postea ac Latinis Scriptoribus Getarum vocabulo passim compellati sunt.* Numquam vero siue Bactra circum ab iis cogniti, siue inde ab iis repetiti, cum essent Graecis iam pridem finitimi; atque istis *Getae* et *Daui* (sic enim *Dacorum* loco appellatos *Strabo* putat) in familiari seruitio celeberrima nomina forent. Quodsi tamen Massagetas (quos Alanorum postea nomine magis innotuisse *Ammianus*, atque is ipse sententia magis et sermonis necessario nexu, quam verbis disertis, significat) putes antiquitus Mazagetas forte dictos, vt ferme Graeci haec nomina solebant paulum immutare, eosque ex Getis ac Sarmatis mixtos atque compositos, nihil aduersabor, neque vero huic loco quidquam res pugnat.

et *Strabo* it. Lib. VII.

Lib. de Vrbibus et Gent.

Lib. cit. I. pag. 22.

l. c.

Rer. Gestar. Lib. 32. c. 5.

§. IV.

§. IV.

Huius Capitis conclusio.

1) Ita igitur accuratius cognitis finitimarum inter se gentium familiis, et familiarum sedibus, satis, credo, planum feci, Scandinauiae, olim tantum peninsulae, fines, quodsi etiam ex temporis vsu longius tendantur, vltra Vistulam tamen proferri non debere: ac proinde et Venedos, Slauosque ceteros, quorum antiquitus in Germania cis Vistulam nulla comparent vestigia, non esse a Scandinaviis deducendos, cum vltra id flumen denique in Sarmatia gentis Slauicae primas in Europa sedes certiore indicio deprehendamus. Qua in re hominibus veri duntaxat fidem, aut saltem similitudinem sequentibus sufficere equidem *Cromeri* eam in rem satis accuratae disputationes poterant. Sed quoniam is rerum Germanicarum antiquissima vestigia, gentisque fines ex instituto non persequitur, aut inter sese exaequat; qua tamen in re captiosis nonnulli coniecturis locum repererant: hinc ad vtriusque gentis inter se ordine conciliandas res, diligentiusque secernendas in hac nobis conquisitione fuit propositum, vt Scandinauiae scilicet, seu Germaniae ad Orientem fines antiquissimos, quam longe prospicere vltimas aetates aliqua hominum memoria posset, accuratius constitueremus.

Ex eiusdem Lib. I. de Reb. Pol. c. 5. et 6.

2) Ea vero indagatione est cognitum, cum Aestii Vistulae ostiis ex vltimo tempore fuerint, quam Venedi, propiores, neque cum his illi commisceri eandem in gentem possint, nihil esse causae, cur vltra Vistulae ostia proferantur Germaniae limites; neque Slauici generis populo insularum electrium adiudicandam esse ditionem; cum Venedorum quidem aliqua ad Vistulam vicinia memoretur, ita tamen obscure, vt nihil inde certi de domina-

minatu saltem aliquo constitui queat, incrementa vero, quae sensim ibi facta sunt a Slauicis gentibus, commode possint debeantque ad tempora aliquanto posteriora, cum iam Germani inde decesserant, referri. Cuius temporis faciem atque in vacuas terras immigrationem, Germanorum aliis dilapsis ceterisque reliquiis iam ferme ad Septentrionem se recipientibus, vno veluti conspectu contemplandam *Helmoldus* obiicit, tanto magis testis idoneus, quanto rebus, quas perscripsit, et loco et tempore fuit proximior, quando eas in oras profectus ad Wagrios Christo adiungendos Annales suos ad an. MCLXX, quo ferme tempore eisdem immortuus est, produxit. Sic ille vero: *Slauorum populi multi sunt, habitantes in littore Baltici maris. Hoc mare multae circumsident nationes. Dani siquidem, ac Sueones, et quos Nortmannos vocamus, septentrionale littus, et omnes in eo obtinent insulas. Ad littus Australe Slauorum incolunt nationes, quarum ab Oriente primi sunt Ruzi, deinde Poloni, habentes a Septentrione Pruzos, ab Austro Bojemos, et eos, qui dicuntur Morahi, Carinthi, atque Sorabi.* In Chron. Slauorum l. I. c. I.

3) Atque hic etsi de praecipuo quaerendum loco fuit, in quo dubitationis de finibus versari caput videbatur: non negligenda tamen etiam de prosapia quaestio fuit; cum Aestios alii Slauis vindicarent, alii, ac paene Geographorum plerique, nulla dubitatione eos Germanis adnumerarent. Verum inprimis ob res incertas non erant conuellendi fines certi, quos magno veterum consensu traditos ostendi. Deinde cum Aestios non fuisse insularum electridum dominos intelligamus, parum habitatio et propinquitas ad finium rationem efficeret, maxime cum priores incolae easdem tenuissent, Gothones Germani. Rursum cum neutram ad gentem Aestii intelligan-

ligantur pertinuisse, iam illa corruit ingeniosa gentium Slauicarum cum Scandinauiis veluti catenata continuatio, quam nonnulli ingenii potius redundantia, quam veri studio erant architectati, facileque cum aliqua specie sustinebant, dum in obseruato aliquid obscurum incertumque pro certo immiscebant, in eoque ipso mirifice variabant; vti dum iam Venedos, seu Vinidos, aut Winithos Slauos cum Winulis, ac Vandalis; ac rursum eosdem Venedos cum Venetis itemque Henetis, Aestiosque cum Austriis, Cimmerios cum Cimbris, Leuonios cum Lemouiis permutabant, (certe Leuonios seu Liuonios, aut Liuones cum Lemouiis ab Althamero perperam ita commixtos in Atlante pag. 114. de Livmia ostendit Mercator,) confundebantque quae persequi haud lubuit; tum quia per se inepta et fictitia, ac ferme inter litteratos iamiam antiquata, tum quia iam a *Cluuerio* accurate perstricta. Praeterea cum post Taciti Pliniique aeuum creberrimis illis, populosisque Germanicarum gentium migrationibus, variisque tum in bello Marcomannico, tum ad alias expeditiones foederibus Germanici populi aliquamdiu, varie etiam cum Sarmaticis miscebantur; iam et credibilior fieri Scandinauicae originis fabula, permixtis rursum inter se aetatibus quoque, potuit. Quae omnia repente fluctuant, si incerta cum certis contendas.

Germ. Antiqu. lib. III. c. 46. p. 697. et cap. 44. p. 683. et 85. ac lib. I. c. 3. p. 28. seq. et lib. III. c. 22. p. 591. et p. 592.

4) Neque vero opus, refutari continuo vt queant, quae ex ingenio homines docti confinxerint, satis est a prudente aduersario dubia ostendi ea, quae firma non sunt; satis item praecipiti assensione non labi. Atque hic ingenue fateor, nullum me scriptorem huiusmodi ex instituto refellendum mihi proposuisse: nam si quis erat indomito ingenio, qui Annianis, Goropicanis, ac Rudbekianis

bekianis et huiusmodi abuteretur aut rem quaereret commentis, quiue in rebus certis turpiter esset lapsus, aut miscendis duntaxat affinium nominum coniecturis occupatus, eum porro vix aspiciendum putaui, cogitabamque non iniuria Ouidianum illud:

Luditis, o si quos potuerunt ita mouere! Lib. de Remed.

itaque nec in iis, quae istiusmodi crasso filo contexuerint, singulatim dissuendis operam consumsi, quod subtriste et morosum est, ignorantibus praesertim, quid alter scripserit; neque cum talibus aegrorum somniis conflictari velim. Protuli monimenta certissima, quibuscum eorum diuinationes fanaticae conciliari iam non potuerunt; haec illi dissoluant. Tum demum erit ad respondendum benignitas; est enim ingenioso commentatori prospiciendum inprimis, ne in res satis certas offendat. Id si ille neglexit, non est, quod eius causa laboret alter, qui rectis ire sensibus studuit, etiam non depugnante eo, sed argumentis duntaxat, quibus historiam sustinet, cognitis, facile quod vero est propius, dilucebit. Praeterea et illud animaduerti, nescio qua spe imperitie lectorum, affatim laudare eos, qui sunt huiusmodi, Scriptorum locos, qui tamen alio longe debent valere, si auctorem ipsum consulas. At hoc plerosque illi intelligunt non suscepturos laboris, et sibi tamen fidem, tanquam Viris doctissimis, iri habitum. Quae fraus refelli aliter vix potest, nisi ipsis locis accurate exscriptis, vt secum constituere lector queat, nulla sibi in re imponi: nec aliis esse credendum, nisi eandem fidem praestantibus, maxime in obscurissimis quibusque.

CAPVT SECVNDVM.

De Slauorum migrationibus: quibuscum res item alterius quaestionis de Samone et Cosacorum origine contexuntur.

§. I.

De Varagis.

1) Alterum quaestionis caput, iam supra admonui, pendere a primo atque tertio. Itaque in eo disceptando esse breuioribus liceret, nisi alicubi et aliae res forent asciscendae. Non enim video, si sedes Germanorum intra eos, quos dixi, fines minime cum alia gente communes olim fuerint, sique ibi nil, nisi Germanicum ab sincerissimis pronunciationibus proferatur; contra vero Sarmatarum stirps si ostendatur longe alias antiquitus coluisse terras, atque ex eis denique, neque aliis, quam quas regionum earum ferret ratio, itineribus in illas, quas postea tenuerunt, prouincias immigrasse: non, inquam, video, quo pacto antiquissima aetate arcessi iidem ex Scandinauia possint. Igitur in veteri quidem Germania continente cum sub ea, quae a Tacito Plinioque et aliis memorantur, tempora nullos reperire Germanico in solo Slauos, aut Venedos queas; nil paene nisi machinis veluti quibusdam, arcessi poterit; cuiusmodi illa foret, si quis forte veteris piraticae nomine has gentes inter se coniungeret, et ad Albim vsque deduceret. Erant enim Dani, Saxonesque ac Franci piratae nobiles. Hic igitur, quippe in re obscuriore, latebram vtique reperire sibi aliqui potuere, vbi impune fallere ludereque nominibus liceret, aliasque praeterea gentes in piraticae societatem arcessere. Certe Varagas vel Waragros, a quibus et suae gentis Principes oriundos agnoscit, *Lomonossouius* non ex Scandinauiis solum, sed et variarum gentium ducibus mili-

L. c. Part. I. cap. 7.

militibusque, piraticam olim facientibus, compositos memorat: idque nominis etiam diuersarum linguarum ac gentium piratis fuisse commune contendit. De quo parum iam laboro. Neque id Lomonossouius quidem conatur, vt inde Slauos repetat. Copiosissime id nomen per omnes coniecturas et varietates circumfert *Eccardus*,*) vt Francorum inde originem exprimat. Hoc quoque in medium relinquam: nihil enim hic mihi siue seritur, siue metitur.

2) Illud tantum hic moneo atque coarguo, per huiusmodi errores piraticos non posse in vastissimas veteris Sarmatiae regiones ex Scandinauia inferri gentem, quae iam fuerit multo ibi antea celebris, validaque (vti locupletius in tertio quaestionis capite declarabitur) atque ex antiquissimo tempore iam ibi prius consederit, quam vlli ibi piratae siue Romanis, siue Graecis, siue Germanis infesti audirentur. *Classibus* enim, *Tacito* referente, *Suiones* valebant; praedones maritimi tum quidem non habebantur, posteriore demum aeuo huius rei complura vestigia. Ac Venedi iam tum ferme Sarmatia excesserant; quibus, eam in magnitudinem vt cresceret, multae iam aetates, et maiora terrarum spatia necesse erant: nedum vt tum primum ex tam tenuibus initiis, tanquam ex ouo prodirent; tum praeterea et illud obseruo, si per illas duntaxat nominum coniecturas rem agamus, non nisi meris in tenebris posse nos versari: nescimus enim, nec, aliis coniecturis destituti, aestimare possumus, quam fidem coniectura mereatur, propiusne ad

De Morib. Germ. c. 44.

*) De orig. Germ. lib. I. § 79. itemque in Curis posterioribus ad Leibnitii Disquis. de orig. Franc. et Tom. I. Rerum Francic. Contendit ille eam in rem, Cimbrorum nomen non e Germanica, sed Gallica appellatione esse profectum, cum vel nomen Ducis apud Caes. B. G. lib. I. c. 37. ostendat esse Germanicum.

ad rem accesserimus, an longius eadem ipsa aberrauerimus a vero: fueritne idem significatus affinium vocabulorum etiam diuersis in linguis, licentiusne et forte violentius simus vsi commutationibus litterarum; nihilne etiam veris affinxerimus alienum et longinquum, quia obscurum et nobis incompertum vnde iam reperto quodam initio abstrahamus rursus per figmenta ad res disiunctissimas copulandas. Quod hoc ipso in genere Goropio Becano non iniuria exprobrauit *Cluuerius*: *Egregie cum omnia, nec sine eminenti ingenio confinxerit Goropius de Venetis iuxta atque Venedis; tandem imperite, ineptequе, et absurde ex his, quia Germanis dicebantur Wenden, fecit Veneticos Danos. Ita sane crederemus hoc recte dici; sic tam facile persuasisset, Sarmatas cum Germanis vnius eiusdemque fuisse generis. Nam Venedos fuisse Sarmatas, Danos vero Germanos, satis superque comprobatum est.*

Lib. III. c. 44. pag. 683. German. Antiq.

3) Commoda isthic scilicet nominum atque rerum circumuectio foret, si quis simili, qua Goropius, ratione Slauos a Varagis duceret. Cum enim Venetorum in re maritima posteriore aeuo memoretur nomen; clarum item olim Suionum, tum Danorum, ac Varagorum fuerit; Venedi autem passim ex eadem gente arcessantur, ex qua sint in Italia Veneti: *) hinc ista suapte fortassis videantur inter sese conciliari, vt esse credibilia possint. At enim si haec singula circumspicias, si Venedos quidem memineris nunquam rei nauticae gloria olim floruisse; Venetos autem illos celeberrimos *Blondum*, qui ex instituto de ea re est commentatus, negare ante an. a Christo nato CCCCLVI, Aquileia iam diruta, fuisse exortos; Varagos vero a *Büschingio*, aliisque Viris doctissimis,

Lib. de origine et gestis Venetor.

Geograph. Nov. Vol. I. p. 644.

*) Lomonossouio quoque eandem etiamnum coniecturam lib. cit. Part. I. c. 5. confirmante.

ſimis, qui ea de re diligentius ſunt commentati*), omnino plerisque Gothicae originis perhiberi, a quibus forte Slaui quidam, ac Scythae, ſero tamen, aſciti ſint; iam demum perſpicies, Varagorum familiam potius quandam ſaeculo nono ſub anno ſcilicet DCCCLXII. in Slavorum gentem, quam ex illa iſtam tranſiiſſe; nec quidquam magis imponere, quam nomina, ſi gentilium appellationum admodum diuerſarum ex eadem lingua populari interpretationes exſculpantur, quemadmodum *Kutſchingio* Ord. S. Baſilii Monacho in ſpecimine Eccleſiae Ruthenicae contigit, vti non Varagos ſolum, ſed et alias gentes, manifeſto Scythicas, Sarmatis inferret et admiſceret, cum fidenter diceret: *Porro gentes Varagorum, Dreulanorum, Iazygarum . . . Polouciorum, Pecenigarum, aliaeque finitimae, quamuis diuiſae ſub diuerſis dominis contra ſe inuicem ſemperque pugnauerint, omnes tamen Sarmaticae, ſeu Roxolanicae fuere, eandemque originem antiquitus habuere. Nam Varagi ſunt nominati ab hoſtilitate: Dreulani a vetuſtate: Iazygae ab idiomatis corruptione: Poluci a venatione: Picenigae a combuſtione, quod hi ultimi prae reliquis forſitan crudeliores idololatrae viuos in ſacrificia idolorum comburere conſueuerint.* p. 107.

§. II.

De Pannoniis et Illyriis.

1) Slauos igitur ante ſaeculi ſaltem quinti tempora ad Albim, potiundi ſoli cauſa e Sarmatia progreſſos eſſe, nedum

*) Vid. Prof. *Mülleri* Collectio Hiſtoriae Ruſſicae Volum. I. p. 4. 10. et Vol. V. p. 384. T. S. *Bayerus* de Varagis Tom. IV. Comment. Acad. Scient. Imp. Petrop. p. 275. Er. Jul. *Biaerner* Sched. Hiſt. Geogr. de Varagis Heroibus Scandianis, et primis Ruſſiae Dynaſtis, Stokholmiae 1743. 4. Arvid. *Mollerus* de Varegia 1731. Algot. *Scarinus* de originibus priſcae gentis Varegorum, 1743.

nedum e Scandinauia ingreſſos eſſe in Sarmatiam, nondum indiciis perſuaderi nobis poteſt, quae adhuc ſunt prolata; quibus locupletiora ad aliquid huic coarguendum fateor nondum me cognouiſſe. Proin neque inde in Dalmatiam citius mouere potuiſſe liquet: prouidendum vero, num in Pannoniam, Dalmatiamque gens Slauica ante deſcenderit, vt inde in terras Albi adſitas veniſſe reperiatur, an vero in vtrumque ſolum e Sarmatia ſimul eruperit. Quidquid ſtatuas, parum intereſt ad originem gentis, qua de ſola hic potiſſimum quaeritur, quando de antiquiore aeuo iam conſtat, impreſſionem ad Albim vsque, terrae occupandae cauſa, a Slauis non eſſe factam. Ac ne tum quidem, ſi facta eſſet, ad originem ſuperiorem id referre, non adeo ſagacitate praediti facile animaduertent. Interim ad illuſtrandam confirmandamque ſententiam paulum vel iſta quoque ſubſequar.

2) Atque equidem iam antiquitus inde a Boſphoro Cimmerio profectos Slauos in Dalmatiam Illyricumque prodiiſſe, neſcio quibus fretus teſtimoniis, narrat *Blondus* *). Sed hos, vbi Romana potentia etiam Illyricum Pannoniamque circumplecti coeperat, paulo poſt in Sarmatiam Borealem ſe recepiſſe *Lomonoſſouius* **) autumat. Non ille hos tamen ad Albim auſus eſt traducere. At nec iſtud, quod eos antea in Illyrico Dalmatiaque volunt conſtitiſſe, ſatis compertum; vero tamen propior videtur coniectura, vt dicemus infra, cum Thracibus commixtos Sarmatas iam multo ante Romanorum illam florentem

*) *Blondus* Hiſtoriarum ab inclinatione Romani Imp. Decade I. lib. I. cuius locum Cromerus lib. I. de Reb. Polon. c. 7. hanc quidem in rem obſcurius, apertius vero Lomonoſſouius laudat. Neque ea propter curſitare in Bibliothecam intererat, rectene exſcriptum ab iſto eſſet, an ſecus, cum paſſim nec Blondus memoret, vnde acceperit.

**) Cap. 5. cit. comment.

tem aetatem eas in terras penetrasse: nam Thraces Sarmatis saepe mixtos intelligas, et ipsi Pannonii veteres qua gente et vnde dicti fuerint, non audet *Callesius* *) constituere. Nomen ille tamen a Pan, *Dominus*, ex Slavica ducit lingua **). Illyriorum autem fuisse coloniam, ex Appiano confirmat †).

3) At enim Illyrios ego Thracicam ad stirpem refero, morum saltem ductus indicio, cum faciem notis inurerent. Vnde et *Plautus* alicubi: *Facies Illurica!* et *Strabo* de Iapodibus, gente ex Celtis et Illyriis mixta: *Armatura iis Gallica: notis compuncti sunt ad morem Illyriorum et Thracum.* Ac *Cicero* de Alexandro Pheraeo, vbi ad vxorem Theben ex epulis in cubiculum veniret, *barbarum et eum quidem compunctum Thejiciis notis* districto gladio praemissum memorat ad muliebres arculas scrutandas, et nec vbiuis telum lateret ††). Haec satis Illyriorum Thracicam

Strabo lib. VII. Geogr.

*) In Annal. Austr. lib. I. pag 19.

**) Illyrica certe lingua, inquit ibi, quam cum veteri eandem esse nemo ambigit. *Pan* Dominum sonat. At enim lingua Illyriis hodiernis in vsu potissimum est Slauica, seu Sarmatica, postquam tot illuc gentes Slauicae commigrarunt. Atqui vetus lingua Illyrica iam nonnisi in Albaniae montibus auditur, ab Slauica prorsus toto genere discrepans.

†) Sunt quidem et alia hic praeter ipsam antiquitatis obscuritatem perplexa, ob varietatem maxime Pannoniae Dalmatiaeque limitum, qui alio atque alio tempore satis varii fuerunt. Caeterum Illyrii nomine et Dalmatia, quae illius provincia erat, vtique continetur. De quibus veteris Pannoniae et Illyrici finibus conf. *Farlatus* Illyrici Sacri Tom. I. p. 100. seqq. Nostra enim hic nihil refert, quidquam vniuerse decernere, ne Lectorem forte temporum varietas perturbet.

††) Cic. lib. II. Offic. c. 7. Equidem apud hunc populum huiusmodi stigmata nobilitatis insigne tradunt fuisse. At etiam erat seruitutis indicium, quod et de Gelonis quibusdam in Sarmatia tum sitis *Ammianus Marcell.* tradit l. 31. c. 5. *Interstincti colore coeruleo corpora simul et crines: et humiles quidem minutis atque raris, nobiles vero latis, fucatis, et densioribus notis.* Hodie etiamnum Tungusi in Sibiria memorantur litterati, veterum fortassis Thracum, praeter Bessarabios reliquiae, illuc cum Sarmatis profectae.

T

cicam declarant originem, et eadem tamen commixtioni ita dant locum, vt neque Slauos abfuiffe fit neceffe: cum eo tamen, ne illos eandem gentem, qua orti erant Thraces, exiftimes, vti *Lomonoffouius* vult, fed eos etiam commixtos, fcias rurfum diftinguere eum oportet. At vbi iam Romanae valere res coeperant, in Sarmatia tum quidem (non ad Albim fane) conftitiffe veteres Slauorum populos, atque illos adeo, quorum poftea memoria nobilior eft facta, fatis vel ex Ptolemaeo intelligimus; quid igitur alia ifthic fubeat conficta tritis et cognitis fubiicere? Sub Ptolemaei quidem certe tempora Venedae, Alauni, Roxolani, Stauani, Careotae, Caryones, Borufci in Sarmatia memorabantur. Bolgarorum quoque ibidem fedes locus *Iornandis* fuperior oftendit. Slauici igitur generis populorum propriam in Sarmatia, ac ferme auitam fedem cognofcimus. Quodfi qui etiam in Pannonia antiquitus, Illyrioque, et vltra Danubium immixti Thracibus olim habitarint: at inde certe fumto itinere ad Albim tum quidem progreffi non funt, fed multo demum poftea e Sarmatiae fuae finitimo latere illo fe contulerunt, vti vel e Germanicarum migrationibus gentium mox planiffimum fiet.

cap. 5. cit.

Geogr. lib. 3. c. 5. Tab. VII. Europ.

§. III.

De Slauorum in Carnia primis fedibus.

1) Nulla adhuc ad Albim Viftulamue, nulla in Pannoniis Illyrioue, aut circumiectis oris fatis idonea ad coarguendum deprehendi veftigia fiue originandi arte critica fubductiore, fiue hiftoriae limatioris indicio potuere. Nunc ad ipfa notiora tempora tranfeamus, et quid ex eis coniecturae, etiam in priora atque in ipfius originis tempora, liceat ducere, videamus: quanquam ex eis vix exprimi

primi id, quod quaeritur, videatur posse, cum sera aetas declarandis primis iam non sufficiat, nec nisi tenuissima plerumque suppeditet indicia, quae tamen, si priora iam sint cognita, videre prudentem arbitrum sinunt, num primis media, et vtrisque vltima cohaereant congruantque. Atque ea huiusmodi sunt, vt Slauorum his in terris, in quibus postea sunt cogniti, non sit necesse altiorem facere originem illa, quae siue iam notior est, siue mediocri propemodum, aut saltem diligentiori historiae eorum temporum cognitione parari potest; *originem*, inquam, *iis in terris, quibus postea sunt cogniti*; nam prior illa, vnde prodierunt, multo est altior, quam ab vllo etiamnum rem declaratam audierim legerimue. Enimvero inde ab anno 586. quo Longobardi e Pannonia quoque diffluxerant, latior aperiri Slauorum fama incipit; iique eo iam vsque descendisse reperiuntur, vt fierent Auaribus finitimi: qui eos aliquamdiu in officio continebant, quoad illi sub anno 623. Samone Duce Auarum iugum plane demum excuterent.

2) Ea maxime tempestas plurimum ad rem praesentem momenti habet. Etsi enim iam antea Iustiniano imperante, ac deinceps sub Imp. Graecis Slaui saepius traiecto Istro in Illyricum effusi Constantinopolim paene vsque grassarentur, vti *Procopius*, et *Theophanes*, ac *Cedrenus*, etc. ostendunt, nusquam tamen Slauos ibi inuenio, certas vltra Danubium sedes vllibi locasse, sed ferme in Moldauiam iterum se recepisse. Quod et scite accuratissimus Polonicae historiae Scriptor *Cromerus* adnotauit, et multis contendit Blondum quoque laudans sibi consentientem, qui sub Phocae demum imperio (cui ad annum 610. praefuit) subita irruptione praesidiis occisis, omnem Dalmatiae et Illyrici Adriatico

Procop. de reb. Goth. l. 3. c. 38-40. *Theoph.* ad ann. 11. Mauricii. *Cedren.* ad a. 594. Lib. I. cap. 4.

T 2 adia-

adiacentis prouinciam autumat fuiſſe ſubactam. Ego vero, Gilulfo Foroiulienſi Duce ſub anno 610. interfecto, Slauos iam Longobardis tributarios inuenio. Sic enim *Paulus Warnefridi: Mortuo*, vt diximus, *Gilulfo Foroiulienſi Duce, Taſo et Cacco, filii eius eundem Ducatum regendum ſuſceperunt. Hi ſuo tempore Slauorum regionem, quae Azellia appellatur* (*in Cod. Palat. Agellia, vulgatis Zellia*) *vsque ad locum, qui Medaria dicitur*, (*Cod. Pal. dubia ſcriptura Meclaria*) *poſſederunt. Vnde vsque ad tempora Ratehis Ducis iidem Slaui penſionem Foroiulianis ducibus perſoluerunt.* Occiſus eſt Ratehis ab Slauis ſub Caroli Magni initia, cum aduerſus eos in *Carniolam, Slauorum patriam*, expeditionem ſumſiſſet, vt idem *Paulus Diaconus.* Anſam haec praebent ſuſpicioni, vt Slauorum quosdam autumem, iam aliquanto antea cum Hunnis, Herulis, ipſisue Longobardis poſtremo migrationum tempore traductos ibi conſediſſe, quietos dehinc, ac potentioribus ſubditos, quoad demum frequentiae ſuae et opportunitati fidere iam poſſent. Non igitur eos facile per vim eo reor penetraſſe, cum *Paulus Diaconus* nec Gilulfum, quem iam primo occupatae Italiae tempore Rex Longobardiae Albion Foroiulio praefecerat, nec eius filios bello vnquam cum Slauis implicitos memoret, quo illi eſſent ab eis ſubiugati, res etiam quaslibet minores commemorans. Atque hos proin transmiſſo Danubio ſiue iam e Pannoniis illuc aduentaſſe, ſiue e Bohemia ſubiiſſe, ſatis eſt veriſimile; cum Helmoldus Carinthos olim Morahis proximos l. c. ponat. Vtriusque enim non vsque adeo impeditam, poſteriore praeſertim poſt Honorii tempora aeuo, cum Germanis migrationem fuiſſe, ſatis res enarratae poſſunt perſuadere. Tum vero idem *Diaconi* locus et illud oſtendere videtur, Samonem, Slauorum Regem, quo

De Geſt. Longobard. lib. IV. cap. 4.

Lib. 6. c 52.

quo duce hi, Auarum iugo excusso, cum Francis quoque paulo post praelia ferme secunda commisere, non in Carniola, aut in Carentania regnasse; sed vltra Danubium ad Albim vsque, Orientem versus, et versus Boream ad sinum vsque Codanum, vbi Winidorum tum sedes praecipue erant. De quo mox diligentius.

3) *Azellia* vero in loco Pauli Diaconi, quae vulgatis est *Zellia*, quia hoc nomine notior, non alia videtur, quam est hodie nostra pronunciatione Cella, aut etiam Cilleia Stiriae: quae si limes ditionis Longobardicae Foroiuliensis ab illa parte fuit in Stiria, iam vltra Carinthiam, aut Carentaniam protendebatur ista, et hanc proinde tum complectebatur: quod etiam aliis indiciis ex eodem Paulo, de quibusdam Slauorum, teneri potest. Alter vero limes ex alia parte ab eodem Paulo ostenditur fuisse *Medaria* aut *Meclaria*, quae vtraque vox fortassis errore non caret: superior enim legenda fuit *Metlaria*, vbi mendum in magna litterarum affinitate obrepere facile potuit. *C* enim et *t* figuras in veterum scriptura adeo dissimiles non habent, quin facile possint commutari. *Metlaria* vero pro *Meclaria* eadem videtur, quae *Metulum* etiamnum dicitur, in Marchia Vinidorum ad Carniolam etiamnum pertinens *).

*) Haec certe omnium interpretatio, si cui non placeat, laborabit is profecto in percunctando, quaenam alia loca *Azelliae*, et *Meclariae* appellationibus queant ibi terrarum commode denotari. *Agrum Celleiensem* (a quorum nomine etiam Episcopus Celleiensis, iam ante ea tempora memorabilis, occurrit) diserte exponit *Hansitius*, verba laudante Praio in Annal. Hun. lib. II. pag 242. qui tamen in notis obseruat, Hansitium alibi hoc in loco per vocem *Azelliam* potius *Vallem Iuliam* proxime Forum Iulium, quam *Celeiam* intelligi censuisse. Esto vero, *Zellia* illa Pauli non fuerit vetus Celleia, sed Vallis Iulia, aut Iulium Carnicum, quod Slauis *Zuglia*, Italis *Giuglico* dicitur: nihilo

4) Hanc ipſam vero Marchiam, quam diximus, vna cum Carniola ad Longobardos tum quidem pertinuiſſe, quaeſitum ibi Bulgaris perfugium ſatis declarat. Hi enim, Lib. 71. vt *Fredegarius* narrat, per Auares pulſi, atque a Boiariis, ad quos data fide acceptaque perfugerant, Dagoberti Francorum Regis conſilio per inſidias paene ad vsque ſuperſtites tantum 700. e nouem millibus, oppreſſi in Marchia Vinidorum, duce *Alticco*, ſalutem fuga ſibi quaeſiuere ſub anno 630. Hic vero non alius, vt manifeſtum videtur, fuit *Alticeus*, quam qui *Paulo Diacono* eſt *Alzerchus*, Bulgarorum ductor: quem iſte neſcit, vnde aut quam ob cauſam ad Longobardos pacificus et ſupplex ſub ea tempora aduenerit. At rerum nexu coniuncto facile iam intelligimus, cum per inſidam tum quidem Boioariam, et infeſtos Auares ad Slauos populares ſuos recipere ſe non poſſent trans Danubium Bulgari, Marchia vero Winidorum eſſet etiamnum Longobardis obnoxia: ſedes ibi locare Bulgaros, quamuis, vt Fredegarius indicat, benigne ab Slauis popularibus exceptos, non potuiſſe cum bona Longobardorum gratia: quorum Rex per filium ſuum loca ad habitandum ſatis idonea magna voluntate eis conſtituit. Quodſi ibi Slauorum Rex Samo fuiſſet rerum potitus *), qui eodem ipſo tempore bellis

P. Danieli in hiſt. Franc. Alziok.

Paul. Diaconus lib. 5. c. 29.

hilo ſecius vel ſic etiam Carentania quoque continebitur eo tractu inde vsque ad Marchiam Vinidorum deducto: vnde non eſt operae iſthic pugnare Praio, ſplendidiſſimo Scriptori.

*) Eam in rem neceſſe eſt in anteceſſum, quo res de Samone ſecuturae melius intelligantur, locum *Fredegarii* continuatoris Gregorii Turonenſis lib. II. c. 48. hic attexere; quoniam inde, quae ad Samonem pertinent, conſpici vno quaſi obitu queant. Ac de bello quidem Samonis cum Auaribus ſic ille exponit: *Samo, natione Francus, de pago Senogago, plures ſecum negotiantes adduxit ad exercendum negotium in Slauos, cognomento Winidos, perrexit. Slaui iam contra Aua-*

bellis maximis cum Auaribus et Francis distinebatur, nonne ille his popularium copiis, tanquam diuinitus submissis laetatus, earum opera, sibi tam opportune oblata, nihilo segnius, quam Grimoaldus in Italia fuisset vsurus. Alioquin Paulus Diaconus in tanta propinquitate (vt Warnefridum Lupi seditiosi filium in Carentaniam profugum,

Auares, cognomento Hunnos, et Regem eorum Gaganum coeperant rebellare. Tum Auarum in Slauos tyrannidem describit: primos in pugna hostibus esse obiectos; et si quando superabantur, iterum eorum auxilio fultos: adactos hos esse in praelia praeterea in hibernis quoque, cum per flumina gelu obducta facilius ad eorum tuguria ventitarent, multa in eos gesta per vim ac licentiam satis crudeliter: *Chunni ad hiemandum annis singulis in Slauos veniebant, vxores Slauorum, et filias, eorum strata sumebant etc. cum in exercitu Winidi contra Chunnos fuissent aggressi, Samo negotians, quomodo memoraui superius, cum ipsis in exercitu perrexit:* (haud dubie cum virorum fortium e Francico genere comitatu quodam, cui postmodum fortuna secunda vtenti et alios verisimile est se consociasse) *ibique et fuit vtilitas de Chunnis facta, vt mirum fuisset, et nimia multitudo ex eis gladiis Winidorum trucidata fuisset. Winidi cernentes vtilitatem Samonis, eum super se eligunt Regem vbi 35. annos regnauit feliciter. Plurima praelia contra Chunnos in suo regimine Winidi inierunt, et suo consilio et vtilitate Winidi semper superant.* Sic vero idem de bello eiusdem postmodum cum Francis gesto cap. 67. *Slaui, cognomento Winidi, in regno Samonis negotiantes Francorum cum plurimam multitudinem interfecissent et rebus spoliassent, dirigensque Dagobertus Sicharium legatarium ad Samonem, petens, vt negotiantes, quos sui interfecerant, et res, quas illi cite vsurpauerant, cum iustitia facerent emendare: Samo nolens Sicharium videre, se ad eum venire permittit. Sicharius vestem inductus Slauorum, cum suis ad conspectum peruenit: Samoni vniuersa, quae iniuncta habebat, nunciauit. Nihil a Samone quae admiserant est emendatum... Sicharius sicut stultus legatus verba quae iuncta non habuerat, et minas aduersus Samonem loquitur, et quod Samo, et populi regni sui Dagoberto deberent seruitium. Samo respondens iam saucius dixit: et terra, quam habemus, Dagoberti est, et nos sui sumus si tamen nobiscum disposuerit amicitias conseruare. Sicharius dicens: Non est possibile, vt Christiani serui Dei, cum canibus amicitias colere possint. Samo e contrario dicens: Si vos estis serui Dei, et nos sumus Dei canes; dum vos assidue contra ipsum agitis, nos permissum accipimus, vos morsibus lacerare.*

gum, Slauosque ibi sollicitantem, accurate exponat) reliquisset saltem vestigium rerum tantarum eius temporis, neque tam nobiles victorias vsque adeo praeterisset, vt apud eum Samonis ne nomen quidem occurrat.

§. IV.

De Slauorum primis sedibus ad Albim: cum digressione de Samonis ditione et patria.

1) Satis haec declarant in illam me duci sententiam, quam post *Assemannum* prosecutus est *Praius*, scil. Slavorum Regem Samonem non in Carentania, aut Carnia, sed in superioribus Winidorum inter Albim et Viadrum sedibus regnasse. Argumenta, quibus ille sententiam munit, non sane aspernanda sunt: ostendit enim ex Iornande, et Helmoldo, quorum et nos loca iam supra laudauimus, Slauos, Winidos, iam sub exitum seculi V. illa loca occupasse, tum et ex *Aimonio* Venedos passim in agros Saxonum et Thuringorum irruisse; qui sane ab Carentania absunt quam longissime, Alemannis, Rhoetis, Boioariis, Auaribus intermissis.

Tom. III. orig. Eccles. Slauic. Part. I.

Ad ann. Dagobertinorum; Christi 630.

2) Tum ex eodem *Aimonio* et *Fredegario* Samonem ad Volgastense castrum praelio cum Francis commisso fuisse superiorem cum docuisset, locum hoc nomine in Carentania frustra vllum quaeri obseruat, sed in Pomerania, quam tum a Winidis constat occupatam, hodieque Volgastum vrbem superesse monstrat. Tum fugato Austrasiorum exercitu Winidos in Thuringiam, et finitimas Francorum regiones, vti rursum vterque scriptor proditum reliquit, se effudisse, id rursum negat posse ad Carentaniam pertinere in tanta locorum disiunctione: *Nullo autem*, inquit, *negotio paene intelligi potest, si trans Albim sedes*

Hansitius p. 104. Vogastrum etm.

Lib. II. Part. II. p. 244.

sedes habuere, quibus Thuringia veluti prae foribus erat. Argumentis auctus tam pollentibus cum sententiam hanc contra virorum alioqui doctissimorum peruulgatam opinionem rite esset tutatus: denique et Hansitii auctoritatibus scite respondet.

3) Addere poterat, diplomata ea omnia, quae ab illo essent allata, agnosci Caroli M. aeuo demum edita, aut illo posteriora: magna vero interea rerum immutatio subiit. Slauorum enim in Carniola ac Carentania vis ac multitudo tum demum ea cepit incrementa, vt sensim debilitatis Foroiulii ducibus iugum paulatim excuterent, partim tamen ea ipsa re in aliud nouum sese ipsi induerent: dum enim sub anno 732. aduersum Auares cum Boioariis in expeditionem copias consociant, hostibus superatis, mox ipsi armis conclusi Boicis in Francorum potestatem sunt transcripti. Quod et ipse Praius ad eundem annum non praetermisit exponere. At nempe in huiusmodi temporum conuersionibus, quaeque postmodum consecuta sunt, quibusquibus ea diplomatis sint commendata, concludere de priorum temporum ratione, altiorique antiquitate historico non licet, signa immutationum suspicio indicat; nec proinde cum Francis antea quidquam Winidis Carentanis necessitudinis, sed tum primum per Boioarios, Francis iam ante obnoxios, esse coepit; neque cum Duces postea Carentania habuerit, etiam Regem antea (Samonem scilicet) habuisse recte colligitur. At cum annos 35. ex Fredegarii testimonio apud Slauos imperarit Samo, initio facto ferme ab anno 626. aut certe non multis antea annis: quo pacto, vt volunt illi, qui hic aduersantur, sub anno 632. successor Samonis iisdem in locis Boruthus dicatur? Addam et illud porro in Sigeberti Chronico (ad ann. Chr. 635. alia scilicet initia

Chronologiae ratione; cum res pertineret re vera ad annum 630.) de Dagoberto falso quidem praedicari: *Dagobertus Rex Slauos bello deuicit, cum fuerit ipse superatus.* At vt intelligamus, quinam hi Slaui, et vbinam siti, idem memorat: *Dagobertus Saxonibus contra Winidos sibi auxiliantibus annuum quingentarum vaccarum tributum eis indulget.* *A Saxonibus* autem, Helmoldo teste, cuius locum laudauimus, *Slauos* duntaxat *Albis* dirimebat, qui Carentaniam sane non alluit.

Ad annum 642. (id est 637.)

4) Pertinent haec, quae isthuc congessi, omnia eo potissimum, quo accuratius perspici posset, quantam mereri fidem auctoris Anonymi de Boioariorum et Carentanorum conuersione testimonium videatur, cum ille Samonem, Slauorum Regem, facit Carentanum, et generis Slauici; sic enim ait ille sub anno Chr. 871. satis quidem vetustus Scriptor, Fredegario tamen sane impar: *Temporibus gloriosi Regis Francorum Dagoberti, quidam Slavus, Samo nomine, manens in Charentis, fuit Dux gentis illius, qui venientes negotiatores Dagoberti interficere iussit, et regna exspoliauit pecunia. Quod dum comperit Dagobertus Rex, misit exercitum suum, et damnum, quod ei idem Samo fecerat, vindicare iussit: sicque fecerunt, qui ab eo illic missi sunt, et Regis seruitio subdiderunt illos: non multo post tempore Hunni eosdem Carentanos hostili seditione grauiter afflixere, fuitque tunc Dux eorum Boruth, qui Hunnorum exercitum contra eos cernens, Boioariis nunciari fecit, eosque rogauit, sibi in auxilium venire: Illi quoque festine venientes expugnauerunt Hunnos, et obfirmauerunt Carentanos, seruitutique eos Regum subiecerunt.* In editione Freheriana legitur: *Seruituti Regum Francorum subiecerunt.* Non potest hic locus videri Fredegarianum illum paulo dilucidius illustrasse, eo fortassis nomine, quod hic

hic Scriptor diserte prodat, vbi Samo regnauerit, de quo nihil memorat Fredegarius; sed tum in isto, quemadmodum ex indiciis cognoscitur, tum in altero quoque, quod eum diserte Slauum pronunciet, quem alter contra disertim Francum posuit, eidem plane aduersatur ac repugnat.

5) Iam vero fides penes Fredegarium in Francia agentem, deque re cum suae gentis rebus coniuncta perhibentem, aetatis illius aequalem, cum Aimonio praeterea consentientem maior esse haud dubie debet. Et hoc ipso Anonymi testimonium rebus istis omnibus inferius, magis affligitur, deprimiturque; praeterea res singulares multo distinctius diligentiusque exponuntur a Fredegario, quam ab Anonymo, vt huius proin locus ab illo potius lucem debeat accipere. Equidem de loco natali, non tamen de ipsa patria in solo Francico dubitationis aliquid nobis relinquitur ob lectionis varietatem, propterea quod in Fredegarii loco vox *Senogago* vulgo quidem legitur; vnde Bollandus in rebus S. Amandi pagum putat in Belgica iuxta Bruxellam. At vero P. *Daniel* in historia Franciae ad annum 630. aliam prae oculis habuisse editionem videtur, in qua scriptum esset *Senonagum*; dubitatque proinde, num Senonago e Brabantine, an ex agro Sennegau, qui a fluuio Senne, Bruxellam interfluente, est dictus, Samonem putet oriundum. Sed nihil ad rem istud, qua de quaeritur, vides hic interesse, cum loca haec omnia Francis tum paruerint, vt proin vel sic origo Samonis Francica conuelli non debeat. Accedit eo et aliud in eodem Fredegarii loco indicium, quod ei Sicharius, ineptus equidem orator, exprobrat, *quod Samo, et populi regni sui Dagoberto deberent seruitium*, isto non diffitente: *et terram, quam habemus, Dagoberti est, et nos*

sui sumus; si tamen etc. quo scilicet ostenditur, Slauos in regione Francica, in quam irruerant, tum constitisse, cum haec dicerentur, forte et illis iam antea foedere quodam obnoxios, Samonem vero nominatim Dagoberto vindicari, ut natione Francum. Enimuero satis distincta haec sunt, neque tamen temere fuissent conficta, nisi Samonem constitisset Francici generis fuisse.

6) At quo igitur pacto factum, vt eum Anonymus Slauum, et Carentanum quidem, faceret? Apparet sane eum sic, temporis rationibus deceptum, cum illa tempestate Duces Carentani, qui postea fuerunt, ac magnopere valere iam coeperant, Boiis satis essent noti, saepe etiam rerum societate coniuncti, Samonis vero successorum, interiectis Thuringis et Bohemis, obscurior esset memoria. Hinc quoniam in Carentania quoque Slauos ac Winidos deprehendebat, cum horum Rex fama clarissimus fuisse Samo perhiberetur: etiam Carentanorum fuisse ducem, legitime sibi visus est colligere: quod tamen videmus, non ita plane consequi, cum diuersis in terris, vtrobique tamen essent Winidi, vt, quod de alteris diceretur, posset ad alteros minime pertinere, neque ille Slauis nisi Slauum praefuisse existimabat. Quem, cum porro res magnas Slauis gessisset, et ipsum Slauum appellauit. Subactiori autem limitatioriue iudicio, aut acriori indagatione in scribendo haud vsum, satis hic et plura ostendunt indicia vel tantillo in loco. Vnde et *Praio* visus est imperitiam quandam prodere: *quod ea, quae de Samone et Borutho affert, tempore ipso disparata sunt.* Sed haec facilius ignosci possent: quoniam inter ea, quae ab Samone contra Francos sub anno 630. (aliud est contra Auares, quod iam ad annum 626. refertur) gesta sunt, et inter illa, quae sub Borutho Carenthano communiter cum Boioariis suscepta contra

Vt l. c. pag. 243. loquitur.

contra Auares fuerunt, quae ipse Praius ad an. 632. transcribit, duntaxat biennium interfuit. At illud multo reor manifestius, quod Samoni, qui annis 35. regiae potestati praefuit, iam sub annum octauum regni (esto vel decimum) successorem Boruthum substituat: vti iam supra obseruauimus. Praeterea 35. annis Samo ille praepotens si Slauis imperauit in Carentania; quo igitur pacto ibi tam cito Francis paruit, et obsides filios dedit Boruthus?

7) Sed et alia eodem in loco non minus inepta; nam et illud cum Fredegarii et Aimonii verbis conciliari non potest, quod Anonymus non modo victum a Dagoberti exercitu Samonem, sed et Francicae ditioni subditum perhibeat, quem victorem illi depulsis Austrasiis ostendunt. Et rursum ille prorsus veluti immemor dictorum, mox proximis versibus, Carentanos tanquam nullum antea iugum passos, nihilque Francis obnoxios per Boioarios demum fuisse illis subiugatos memorat. Enimuero consistere ista nequeunt, nisi Samonem in praelio captum, Carentanos immunes discessisse, Fredegarium atque Aimonium aduersus gentem suam falsa prodidisse, suspicemur aut comminiscamur. Verum id est quidem, nil antea iuris, quam per Boioarios id esset perfectum, in Carentanos fuisse Francis: neque vllo historiae vestigio cognosci potest, eo vsquam Francorum porrectam fuisse priori aetate ditionem: atque hinc si in Carentania Samo regnabat, quo tandem vllo nomine Sicharius poterat, speciem quandam iuris in Carentanos fuisse Regibus, arrogare? At in Thuringia, Germaniaeque latere, quod iam aliquandiu Slaui insederant, facile obtentus quidam ditionis reperiebatur; siue ex foedere, siue ex ipsomet solo. Omnino Anonymi locum si considero, ex rebus auditis, aut forte scripto proditis, sed parum scite

 inter

inter se conciliatis, partim etiam obiter duntaxat cognitis, ac perperam acceptis, temere conflatus mihi videtur, cui proin de Samonis regno ac patria nihil tuto credatur.

8) Porro victoriae ab Samone reportatae fructus
cap. 67. idem *Fredegarius* sic persequitur: *Multis post haec vicibus Winidi in Thuringiam, et reliquos restando pagos Francorum regnum irruunt. Etiam et Deruanus, Dux gentis Vrbium, qui ex genere Slauinorum erant, et ad regnum Francorum iam olim aspexerant, se et regnum Samoni cum suis tradidit. Vrbos* hos *Fredegarii* recte P. *Daniel* l. c. eosdem putat, ac *Sorbos Eginhardi*, quos ille Thuringis finitimos memorat. Locum *Eginhardi* in vita Caroli hunc deprehendi: *Qui* (fluuius Sala) *Thuringos et Sorabos diuidit.* Adde Annales Caroli ad annum 806. *Imperator Carolum filium suum in terram Slauorum, qui dicuntur Sorabi, et sedent super Albim, cum exercitu misit;* et ad annum 782. *Regi allatum est, quod Sorabi et Slaui, qui campos inter Albim et Salam incolunt etc.* Et tamen mirum, vulgari, quam oppugnauimus, sententiae et ipse, quem dixi, Gallicae historiae Conditor cum aliis praestantissimis Scriptoribus implicitus haeret. Porro Bohemicos quoque, ac Morahanos Slauos, quos maxime antea oppressisse Auares videntur ab Samonis partibus cum caeteris Winidis stetisse, vix equidem dubito, certe et scriptores Bohemos
Germ. Sacr. pag. 104. eundem sibi asciscere, satis vel *Hansitius* significat.

§. V.

De aliis posterioribus Slauorum sedibus, et vnde in easdem immigrarint.

1) Ita vero rebus circumspectis, et migrationum serie euoluta, intelligere videmur, non modo vltimam illis

illis in sedibus, in quibus nunc sunt, habitationis antiquitatem Slauis non competere, quam hic neque affectant illi: sed et illud vix posse pronunciari, postero quoque tempore aut ex terris ad Albim sitis in Dalmatiam (si solos forte Sorabos excipias) aut e Dalmatia inde ad Albim venisse: nam qui ad Albim se contulere Slaui, non illuc a Danubio inde progressi sunt, sed ex eo latere ad Vistulam, quod iam diu ante tenuerant. Nec illi saltem tempore Germanicarum gentium, quibus saepe consociati erant, migrationes consecuto ad Meridiem propius e Borea descenderunt, nisi Soraborum duntaxat pars quaedam, vt postea dicemus; quod locus *Theophanis* confirmat in Chronographia ad ann. 9. Mauritii sub ann. Chr. 590. cum ita refert: *Postera luce viri tres Slauinorum genere orti nullo ferro vel gladio accincti, sed cytharis tantummodo instructi a Romanis capti sunt. Vnde traherent ortum, vel moram facerent, Imperator rogare: illi se genere Slauinos, et ad oceani limites habitare responderunt. Chaganum autem legatos ad se misisse et tribuum suarum praefectos muneribus sollicitasse, vt sibi suppetias aduersus Romanos ferrent: se vero ab familiarum capitibus missos, qui apud Chaganum excusarent, quod ob viarum remota interualla manum ei auxiliarem praebere nequeant. Octodecim fere mensium iter confecisse, ac ita demum in Romanorum manus se prolapsos asseuerabant. Cytharas autem circumduxisse in regione quippe ferri nescia natos, armis non assuetos se degere. Imperator horum staturas miratus, laudata corporis eorum proceritate ipsos Heracleam misit.* Excusationum quaesiti obtentus satis declarabant, non volupe visum Slauis illis, ad Auares descendere, cumque illis coniungi, cum satis animaduerterent, quem in modum acturi Auares cum finitimis essent. Forte aliquanto postea id varia pollicitatione quibus-

quibusdam Slauorum turmis tamen persuasere; at sane paucis; quos et in fidem recepisse suam videntur, et ab incursionibus aduersariorum tutasse, vt locus *P. Diaconi* indicat: *Iisdem ipsis diebus Boioarii vsque ad duo millia virorum dum super Slauos irruunt, superueniente Cacano omnes interficiuntur.* Quorum vero inde tum quidem paucitatem aestimes.

Lib. 4. c. 11. Hist. Longob.

2) At Slaui ad illud Sarmatiae latus, quod secundum Danubium tenditur, incolentes in Dalmatiam quidem Pannoniasque sunt egressi; verum nunquam inde ad Boream contenderunt: hi enim Auaribus post Longobardos finitimi, cum aliquoties illorum (vt nihil dubites) inuitatu Romanorum fines incursionibus, vt ex Procopio demonstratum est, tentassent, Auaribus deinde partim coniuncti, partim ab eis necessitudine subacti, cum saepius in Sarmatiam redirent, latus aperuisse Auaribus videntur, vt et ipsi eo hieme ventitarent, pluresque inde in Pannoniam traducerent, seruorum loco ibi habendos, maximeque in praeliis difficillima stipendia facturos. Hi ad suos commeatu interclusi Auarum intercessione, cum eos, quoad poterant, profugerent, ad latus alterum, Carentaniam et Styriam versus, quo cum Longobardis iam antea Slauorum turmas quasdam mouisse verisimillimum fit, sensim se recipiebant: quoad ibi quoque ea gentis facta sunt incrementa, vt Auaribus, plurium hostium indagine veluti cinctis, sensim propellendis fierent pares: quorum multitudo ita ibi creuit, vt Carolus M. pulsis vltra Tibiscum Auaribus sub ann. 797. in vacuas colonias, et bellis attritas Pannoniae sedes nouas Boioariorum et Carentanorum colonias induceret, vt Anonymus de Conuers. Carent. proditum reliquit.

3) Inde

3) Inde demum, ac maxime paulo postea sub ann. 803. noui illi Slauoniae, Croatiae, Dalmatiae, Bulgariae ac Seruiae tractus propriis nominibus tali exortu sunt appellati, cum etiam ab reliquo latere Croatae, Serui ac Bulgari in nudatas cultoribus terras immigrarent. Iam enim Bulgari sub ann. 635. qua tempestate Moesiae incolae post tot incursiones haud noui erant, Cubrato Duce, Auarum, quibus ante parebant, iugo excusso, Romanorum ad partes sese receperant: quorum tamen res Cubrato demortuo paulo post iterum concidere: quoad demum multo posteriore aeuo sub Caroli M., vt diximus, tempora viribus recreatis, ab eorum nomine illa, quam insedere, Moesiae pars Bulgaria est dicta. Rursum non multo post Bulgarorum ab Auaribus secessionem Chrobati quoque ac Serbii, cum populus redundaret, Slauicum vtrique genus, ab Heraclio sedibus postulatis, sub ann. 640. eius concessu Dalmatiam Istro transmisso Auaribus eripuere, eisque extrusis, Seruii quidem eam, quae ad Ortum vergit, plagam, alteram vero ad Occasum Croatae occuparunt. Vnde in arctius redacti spatium Auares ferme Occidentem versus proferre spatia studuere. Verum et ibi a Carolo M. et ab altero latere propulsi a Slauis, ac demum paene omnes extrusi sunt. Inde sub ann. 797. e Dalmatia quoque Croatarum colonia tanquam ad lacunas implendas in superiora Pannoniae loca ascendit. Quae omnia nimis longum et profecto superuacaneum foret illustrare testimoniis post virorum doctissimorum curas atque operas iam dudum luci publicae redditas, easque celebriores, e quibus nemini difficile fuerit sumere, fidemque rerum, ac testimonia ipsa, notiori iam tempore, neque antiquioris aeui obscuritate implicito licebit cognoscere, (scilicet apud *Assemannum Tom. I.*

 orig.

orig. Eccles. Slauic. Part. II. cap. II. num. 12. Farlatum Tom. I. Illyrici Sacri p. 318. Cromerum lib. II. in Lesc. III. Praium Annal. Hun. etc. Part. II. lib. II. ad ann. 635. et 797.)

4) Vides istorum omnium e Sarmatia migrationes nonnisi ex illo, quod Danubio propius erat, latere arcessi. Etsi enim Serbliorum natio etiam superius ad Francorum vsque, qui tum erant fines, porrigebatur, tamen non nisi eorum pars altera, ac ferme inferior, aliis ad sedes auitas porro confidentibus, profectioni se dederat, vt De admin. Imp. c. 32. ferme locus *Constantini Porphyrogenetae* ostendit: *Sciendum est, Serblos oriundos esse a Serblis non baptizatis, qui etiam albi cognominabantur. Et vlteriora Turciae* (Hungari e plagis supra Caspium mare positis Europae ingruentes passim Graecis Scriptoribus promiscueque Turci, et Cazari, posterioribus Chozari, dicuntur) *incolunt in loco ab illis Boici nuncupato, cui finitima Francia est, vbi et magna Chrobatia baptismi expers, quae etiam alba cognominabatur.* Satis hinc apparet, Serblos istos, postea Seruios, eosdem esse ac Sorabos Francis finitimos, de quibus supra est expositum, gentis nomine per variorum dialectos ita immutato, vt In Geogr. medii aeui c. 51. *Iunkerus* etiam nomen vrbis *Zerbst* ab eisdem haud incommode deducat; dictam enim primo *Sorbest*, id est, ciuitatem Soraborum, tum postero tempore *Zorbest*, *Zoerbest*, ac contracta voce *Zerbst*, quae latine *Seruesta* etiamnum dicitur. Croatiae vero magnae, quae Sorabis finitima erat, nomine videmus eam Sarmatiae, nunc Poloniae partem denotari, quae intra Carpathios montes ad Austrum porrigitur, atque ab Occasu Franciam, nunc Germaniam, a Meridie Turciam, nunc Hungariam superiorem respicit.

5) Cum Seruia ad Ortum Bulgari cohaerentes longe vtique olim alias sedes habuere, ad Pontum scilicet Euxinum,

xinum, vt ex *Iornande* iam alibi docuimus, cum ait: *Distenduntur supra mare Ponticum, Bulgarorum sedes, quos notissimos peccatorum nostrorum mala fecere.* Quo eos hic Scriptor saeculo VI. iam tum ostendit in Romanorum provincias incursionibus innotuisse. Distinctius horum plagam, non sine magno tamen errore, signat *Theophanes*, quique eum hic exscripsit auctor Hist. Miscell. quem *Paulum Diaconum* dicunt: *Ab ipsa Palude (Moeotide) ad fluminis Cuphis limites, in quibus Hyotus, Bulgarius piscis, capitur, ipsa antiqua magnaque Bulgaria sita est.* Quis vero hic fluuius Cuphis sit, idem declarat: *Ad Euxini partes trans mare positas, et Septentrioni subiectas, ad Moeotidem scilicet paludem, in quam fluuius ingens . . . per Sarmatarum terram procurrens Attalis nomine (Syris Atel, antiquis Rha, nunc Wolga, Graecis Araxes) exoneratur, in quem etiam fluuius alter Franais dictus, ipse pariter ab Iberiis portis ad Caucasios montes fixis profluens; ex concursu vero Attalis et Tanais . . emergit amnis, cui Cuphis nomen impositum, qui in maris Pontici finem iuxta Necropilas ad promontorium, quod Arictis facies vocatur, prorumpit.* Nusquam Attalim, seu Araxen concurrere cum Tanai, Geographi deprehenderunt. Qua flexu maximo (haud procul ab oppido Tuja) dexterae Araxis, seu Volgae ripae Tanais propinquat, ad 20. vel saltem 18. milliaria Germanica intermitti adnotat nuperior rei Geographicae instaurator *Büschingius*. Iam vero antiquior hoc *Cluuerius* in vtrumque flumen ibidem transuersum iugum ex Septentrionibus in Meridiem protensum intercedere confirmat. Et constat praeterea, Petro I. Russorum Imp. vtriusque fluminis quodam alueo, si per illud terrae spatium fossa duceretur, committendi rationem propositam, consilium vero ei minime placuisse; vt sane videre hic nequeas, quis esse

c. 5.

In Chronograph. ad 11 Constantini Pogonati l. 19. c. 19.

Part. I. nov. Geogr. pag. 672. edit. VI. *Cluuerius* Germ. antiq. lib. I. cap. I. sub fine.

 hic

hic locus Tanais et Araxis confluenti queat; non iniu-
Geogr. Antiq. lib. III. c. 24. ria proin Salmasium carpit *Cellarius*, quod Volgam cum
Tanai commiscere ausus esset; neque ad amnem hunc
Cuphim Bulgarorum non sedes frustra attinet quaerere.
Lapsus huic Theophani non absimiles iis quarto videmus
Lib. II. et XI. contigisse, quales in vetustiore *Theophane Strabo* perstrin-
git. Neque enim isto, quem diximus, minor ibidem
est alter, dum Araxen in Moeotiden scribit exonerari,
quem omnes norunt in mare Caspium euolui. Nihilo se-
cius illud non displicet, quod inter Franaim et Araxem
Bulgarorum sedes veteres protendat: tametsi hi primitus
illud potissimum, quod ad Orientem vergit, Araxis latus
inter Cazanum ad Ortum et Astracanum ad Meridiem te-
nuisse regnum videantur: certe ab ipso Wolga, seu Araxi
nomen accepisse Slauicam hanc propaginem, vt primum
Volgari, Vulgari, tum Bulgari dicerentur, omnes, quos
viderim, satis consentiunt; de quo plures *Lomonosso-
vius* in veteris Russiae Historia. Est etiamnum ad Ara-
L. c. p. 897. et p. 1552. xem in ditione Cazanensi hodierna, *Büschingio* teste,
vrbs Tetüschi exigua, ac ferme deserta, cuius in con-
finio haud procul a fluuio Kama veteris vrbis Bulgar reli-
quiae visuntur, quae regni Bulgarici caput olim fuerit.
Eius rudera Petrus I. Russorum Imp. cum sub ann. 1732.
in Persas moueret, inspexit, multasque, quas ibi repe-
rerat, inscriptiones in Armenica Tartaricaque lingua in
Russicam curauit conuertendas. Inde se Bulgari aliquanto
post ad Tanaim, ac demum Zenone imperante ad Danu-
bium contulere. Quo saepius superato, in Thraciam
Moesiamque irruperunt. Eorum turma altera saeculo
VII. in Italiam profecta ad Beneuentum consedit: de quo
confer. *Pratus* l. c. ad annum 667. Quo vero tempore
stabiles in Moesia sedes fixerint, non satis constat. Sunt,

qui

qui putent ante aditum a Constantino III. imperium, alii sub illud ipsum. Quidquid fuerit, Moesia inferior eorum ab nomine deinceps Bulgaria est appellata.

§. VI.

Digressio seu Mantissa de Cosacorum origine.

1) Intererat ista quoque, vt gentium Slauicarum migrationes, a quibus quaestio primaria ex parte quadam pendebat, distinctius cognoscerentur, illustrare. Simul vero, quoniam eadem cum posterioris quoque temporis rebus sunt nonnihil coniuncta, suo nexu copiam faciunt, de alia quoque propagine, quam inde duci suspicio est, accuratius disputandi: de Cosacis nempe, qui a Bulgaris nunc recte putantur, descendere; exquisitu est opus. Ac vel inde, eius quaestionis quae sit cum hac commentatione necessitudo, facile apparet, nec commodius alibi eandem potuisse contexi, cum et alioqui ea, quae aliam in rem enarrata iam sunt, ab ovo oportuisset hic exordiri. Versati sunt in eadem perquisitione et alii quoque, (vti *Petrus Cheualierus* Histoire de la guerre des Cosaques, et *Piasecius* in Chronico, sed isti ferme augustius) sed in primis diligenter, atque ex instituto altiorique ab origine Vir omnis litteraturae consultissimus, *Gerardus Fridericus Müllerus* singulari de Cozacis commentario, quem item eximius ille hodiernae Geographiae institutor *Büschingius* et recenset, et sequitur. Vnde et ipse non pauca, quae huc attinent, depromam, cum in iis conquirendi labore potero supersedere. Ceterum apparebat tamen, Virum eruditissimum, sed genti obnoxium, non eadem, quae mihi foret data, libertate frui. Vnde et non magnopere rebus, sed rerum indicio plusculum sententia mea ab eius opinione discrepabit.

 2) An-

2) Anceps mihi in primis ista visa est de Cosacis quaestio et difficillimae vel propterea disceptationis, quod, etsi ea omnia, quae sunt per sese satis obscura, illustrari possent, tamen nesciatur, quo argumento potissimum ad rem hanc tenendam sit opus. Originem enim astruere siue ipsi nomini, siue instituto, siue genti, quae hoc nomine et instituto nunc vtatur, possumus, etiamsi longe ab eodem aliena olim; hinc est, quod difficilem eam iudicationem dicamus: cum alius ex alio ordiri eam capite queat, et demum, cuinam ante ceteros sit adiudicanda veri fides, pendere animi queamus. Nam si in vnum haec tria conuenirent, origo scilicet nominis, et instituti, et gentis: existimatio nihil habet controuersiae, si quis paulum eruditus ad rem accederet. Sed quoniam primaria illa capita in alios atque alios conuenire possunt, vt paene quilibet populus, Polonicus, Russicus, Tartaricus, aliquo nomine arrogare sibi Cosacorum originem queat: iam contentio ambigua nascitur. Putare tamen videor, potissimum Tattaris, id est, Bulgaris, Alanis ac Lazis cum Tattarica gente mixtis et nominis originem, et magnam partem instituti deberi, gentem vero dudum commixtam, sed magnis postea Russorum potissimum accessionibus auctam. Singula ordine persequamur.

3) Cosacorum nomine Viri clarissimi *Müllerus* et *Büschingius* eos se ostendunt intelligere, qui plagam Russiae maxime australem colunt; lingua et religione cum Russis coniuncti, ceterum ad aliam ac potissimum bellicosam reip. normam instituti; quique ipsam originem, haud aliter paene ac quondam Romani, bello debeant. Hos Cosacos illi tum ex originis, tum ex hodiernae reip. rationibus in duas tribuunt propagines, Malorossicorum scilicet, seu Russiae minoris, et Tanaiticorum. In Maloros-

Ioroſſicis Saporogicas et Slobodicas cohortes; in Tanaiticis, Volgicos, Terkenſes, Grebenſcicos, Semeinios, Iaicanos et Sibirios recenſent Coſacos. Porro Maloroſſici Tanaiticos antiquitate, vt illi contendunt, ſine controuerſia antecedunt. Hic facere non poſſum, quin dubitationem iniiciam. Conſtat enim, Ruſſiam auſtralem cum iis, quae eam tenebant, Coſacorum agminibus ad vsque ferme annum 1654. qua tempeſtate ad Ruſſicam ſe ditionem contulere, Polonis ac Lithuanis paruiſſe. Neque tamen a *Cromero*, Scriptore ſinceriſſimo, qui Poloniae hiſtoriam ad vsque Sigismundum I. id eſt ad annum 1507. perduxit, vlla Coſacicae gentis initia memorantur: quae a *Müllero* quidem iam ex anno 1340. repetuntur. Omnino cum apud Cromerum ne nomen quidem Coſac etiamnum vsquam appareat, ſuſpecta non iniuria videri tuita antiquitas poteſt, cum Tanaiticos oſtendam iam ſub ann. 1500. innotuiſſe. Sed momenta rationum, quibus vir doctiſſimus ſententiam ſuſtinet, poſtea exponam.

4) Nunc de origine nominis, quoniam et inde coargui ſane aliquid poteſt, perquiramus. Gentile illud et proprium, non, vt vocant, commune et appellatiuum indicare videtur nomen regionis Κασαχία, quam Euxinum inter et mare Caſpium ad auſtrales Caucaſi radices ſitam *Conſtantinus Porphyrogeneta* iam ſaeculo nono memorat. Videntur hi Caſachi iidem eſſe, qui in Ruſſicis Annalibus ad ann. 1021. ſecundum Lomonoſſouium ad ann. 1024. Koſſagi vel Koſſogi dicuntur; quorum Principem Rededam filius Wladimiri Magni Meſcislaus ſingulari certamine interfecit, gentemque ex pacto ſuae ditioni ſubiugauit. Quodſi cum *Müllero* iuxta ac *Büſchingio* hos Coſſagos non aliam ab illa, de qua Imperator perhibuit, gentem

De Admi-
niſtr. Imp. p
113.

puta-

putamus: (nec facile aliud ſubit ſuſpicari) tum vero illam inde ab auſtrali ad Caucaſum plaga propius iam acceſſiſſe ad Boryſthenem oportet: ibi enim victoria iam potitus Meſcislaus dehinc regnabat. Ea res locum facit coniecturae, vt Coſſagos putemus e Sarmatia Aſiana vrgentibus, qui per plura ſaecula populabundi vagabantur, Scythicis gentibus, ac paulo poſtea Tattaris quoque, recepturos ſibi e finitimo ſolo, perfugiumque ad tempus, vltra eos montes penes Lazos quaeſiſſe: paulo poſtea vero eodem acceſſiſſe, vbi ſuis eſſent popularibus, Slauis itidem, viciniores. Tartaros eos fuiſſe autumant, quos laudaui, doctiſſimi Viri. Neque id tamen, niſi ſuſpicione duntaxat, teneri poteſt. Ego cur Slauos Tattaris mixtos putem, paulo poſtea exponam, vbi notationem vocis Coſacus reddidero.

5) Occurrit hoc nomen paulum duntaxat variatum etiam in Tartarica quadam propagine, de qua *Comes ab Herberſtein: Vltra Wiatkam et Cazan ad Permiae viciniam Tartari habitant, qui Tumenskie, Schibanskie et Koſatzkie vocantur.* Hi ab aliis *Coſatſchia orda*, ſeu Coſacorum cohors dicuntur, quod nomen, *Büſchingio* teſte, a modo committendae inter fugiendum cum hoſtibus pugnae eis eſt inditum. Alios etiam Coſacorum Kaiſacos dici, idem aliquanto ſuperius prodiderat. Equidem totiesne idem nomen dialectis duntaxat variatum fuerit, an re etiam vera notationem quoque aliam ingerat, dubitare ſane fas eſt: et decipi hercle linguarum, et rerum temporis ignoratione interceptarum inopia poſſumus. Interim ex perhibentium fide eodem pleraeque appellationes reſpiciunt, vt niſi quis diſtinctius, atque ex ordine de quapiam diſcrepantia docere nos legitime queat, omnia vniusmodi certe, quantum ad rei ſummam attinet, putemus.

Comment. rerum Moſcouit. pag. 100. edit. Baſil. 1549.

L. c. p. 893.

6) Ce-

6) Ceterum ipsum nomen Tattarica lingua editum agnoscimus; nec enim perinde in vlla versatur alia. Non igitur placent illae procul arcessitae originationes, vt *Piasecii* in Chronic. qui vocem a Polonico *Koza*, *capra* vel *capreolo* repetit, quod horum instar animalium celerrime decurrant, aut eorum pellibus tegantur; aut *Herbini*, et *Hartknochii*, qui a *Kossa*, *falce*, eam duxere; aut *Pistorii*, et aliorum, qui etiam a Turcico *Kazak*, *praedo*, vel *Kapschak* nomen exortum putant. Harum enim rerum indicandarum opportunitates sero demum oblatae sunt, si quae modo esse satis verisimiles queant. Atqui Cosacorum nomen antiquissimum, nec in Polonico sermone antea occurrens; in Tattarico satis tritum. Sed et in hac quoque lingua notationes (ferme tamen satis affines) habet complures, vt iam illum significet, qui ad bellum conduci se patiatur; iam velitem, quique magis incursatione, quam iusta aggressione labefacere hostem conetur; iam rursum, qui capite tonso ingrediatur. Iam quo pacto id nomen ad Polonos Russosque peruenerit, videndum. Notiones vocis, quas diximus, in Cosacos Tattaricos conuenire omnes notat *Büschingius*, in Russicos nonnisi quasdam congruere: *Quot*, inquit, *voces e Tartarica lingua in Russicam transiere! quoad australem Russiae plagam tenuere Tattari, Cossaci Russici ignorantur, tum primum exorti sunt isti, cum illorum dominatus illo ipso in tractu terrarum, quo antea terrori fuerat, concidit. Vti igitur Tattaris paulo ante admixti vagabantur Cosaci, ita et qui eorum in loca successerant, Russi admodum naturae conuenientes eandem viuendi rationem, quae Cosacorum nomine exprimebantur, sibi delegere.* Nomen igitur illis ex imitatione factum, atque posteriore iam aeuo a Tattaris eo translatum ad Russos autumat, quod et isti simili ad arcen-

Resp. Polon. p. 804.

das incursiones instituto vterentur, quale antea Tattarorum armis oppressi apud eosdem notauerant. Paulo enim antea superiore in loco ipsius erat professus, diu iam Cosacos Malorossicos exstitisse, priusquam hoc nomine appellarentur.

In Orb. Polon. Part. III. p. 318.

7) Tum ex *Okolskio* celeberrimum illum notat locum, quo scriptor hic Polonicus Cosacorum nomen in Polonia primum sub annum 1516. fuisse auditum, expeditione quadam memorabili nominis famam vulgante, quae et ab aliis, quos laudaui, scriptoribus ita enarratur, vt inde gentis cunabula arcessant. Scilicet cum Sigismundi I. legatus e Tartaria redux Tattarorum in Poloniam incursiones ab eorum Principe renunciasset ipsomet fatente satis coerceri in gente indomita haud posse: repertus est vir experiens ac magni animi, Prezlauus, vel Predislauus Lanckoronscius, qui coacta quidem e Russia minore volonum egregia manu, vt terrorem incuteret Tattaris, omnia populando ad Moeoticam vsque paludem procurrerat. Quae res cum secundos habuisset successus, et praedae inuitaret animos copia: mox ad agmen paucorum millium aggregati plures, tuendorum eo instituto finium curam suscepere. Negat tamen *Büschingius* pauculas illas, quae Lanckoronscium sequebantur, cohortes originem generi dedisse, sed eam esse Okolskii verborum maxime propriam vult sententiam, vt apud ipsos Cosacos indicent tum primum id nomen esse auditum, quia scilicet tum primum imitandi studio ascitum. Quod idem et de nomine Tschercassorum, seu Cercassorum, a quo et suam metropolin Cosaci Thercassin appellarint, sentiendum putat, scilicet vtrumque nomen a Tanaiticis Cosacis, qui id a Tattaricis acceperint, ad Malorossicos transiisse. Nomen scilicet Tanaiticis Cosacis vsu captum iam

dudum

dudum antea, cum ipſus paulo poſt infra ſignificet, iam ſub anno 1500. Coſacorum Tanaiticorum nomen claruiſſe.

8) Sed hic illud maxime velim obſeruari, iſtud ipſum, num imitatione duntaxat atque exemplo hoc nomen a Tattaris ad Ruſſos Polonosque transmiſſum ſit, eſſe vel maxime incertum obſcurumque, et in coniectura duntaxat poſitum, nec argumentis facile teſtimoniisue poſſe confirmari. Omnino hoc infirmiſſimum ſatis belle ceteroqui ſubſtructae ſententiae latus, cui et ipſe cum *Müllero, Büſchingius*, elegantiſſimo ſane iudicio Viri, diffidere ſunt viſi: nam aliquanto inferius alias rurſum coniecturas, quibus rei iſtius originem declararent, profeｰrunt. *Agus Tſcherkas*, inquit *Büſchingius*, *et Karabai ſub anno 1500. Aſowicorum Coſacorum Duces facinoribus clari fuere: quorum geſta ipſa declarant, liberae gentis ſedes Aſouum inter ad Moeotin et Ruſſiae fines in ſolitudine patuiſſe. Forte an Agus ex Thercaſſia, ſeu Circaſſia erat oriundus? forte et plures ſecum populares habebat, qui cum numero fortaſſis ante ceteros valerent, Circaſſorum nomen etiam Coſacis inde haeſerit? aut forte Agus ipſe anſam appellationi dedit? Id ſatis quidem conſtat, Tſchercaſſorum et Coſſacorum nomina promiſcue deinceps tanquam voces ſynonymas uſurpari ſolita: cuius rei vix cauſa reddi veriſimilior, quam, quae dicta eſt, poterit. Et Coſſaci quidem Tattarici aut ob incurſationes in Ruſſiae limitem creberrimas ab Ruſſis ſunt prorſus deleti, aut ipſi ſuapte diſſipati in alias Tattarorum immigrarunt propagines. Horum vero in locum aliud ſucceſſit genus Coſſacorum, recens natum, qui Tanaitici appellantur. Eisdem de cauſis, quas ſupra de Maloroſſicis expoſuimus, originis ſine controuerſia ſunt Ruſſicae. Lingua et religio illis eſt Ruſſica.*

 9) Haec

9) Haec scilicet duo iam supra Russicae originis memorauit indicia, quae in rerum obscurarum disceptationibus veri notas apud historicos saepe non aspernandas habent. Lingua autem vtriusque generis Cosacorum tametsi ex Polonica pronuntiatione quaedam hauserit, cum Russica tamen ipsa constitutione ita congruit, vt reliqua esse illi induita appareat. Accedit eodem et Graeco-Russicae religionis studium, quam arctissime illi tenent, quin vllum exstet in historia vestigium, vnde sacra, quae antea secuti essent, illis fuisse commutata appareret. Russici igitur generis hae propagines videntur, tametsi et magnas subinde Polonorum quoque ac Lithuanorum ad eosdem factas esse accessiones, *Müllerus Büschingiusque* non diffiteantur.

10) In Russiam vero minorem, atque ad oras Borysthenis commigrationum causas iidem ad illa maxime referunt tempora, cum ab anno 1340. Poloni Russiae eam partem, quae rubra dicitur, in ditionem suam redegissent, alieni scilicet sub Lithuanis Polonicisque Principibus timore imperii inuidia simultatibusque popularibus, quae esse inter finitimos soleant; tum et asperiora post Casimiri tempora moderamine, cum iam nonnisi contemtim in Russos consuli videretur, fuisse factum, vt relicta patria Russorum complures sensim familiae in infima ad Borysthenem plaga perfugium sibi quaererent. Assiduis vero incursionibus praedationibusque, quibus perfugas Poloni, Lithuani, ac Tattari obnoxios habebant, bellicosum illud inductum fuisse ingenium atque institutum, ad quod gentis natura ceteroqui comparati non erant. Haud me attinet, quos progressus quantaque incrementa haec instituti initia paulo post tum regum Polonicorum fauore et munificentia, tum accessionibus complu-

rium

rium variis e gentibus hominum breuiſſimo tempore porro habuerint, quasue in propagines deinceps abierint, ex eisdem recenſere; tum quia apud eosdem ita ſunt conſignata, vt nihil magnopere controuerſiae ſuperſit, tum quia moram iniicerent ipſa potiſſimum originis primordia ſcrutantibus.

11) Viſa ſunt autem illa, quae viri doctiſſimi, quos laudauimus, concludunt, potius a poſterioris aeui conſtitutione ſumta: ſed prioris aetatis alia fortaſſis facies erat: quis enim plagam illam, in quam Ruſſicae familiae perfugerunt, antea prorſus credet vacaſſe? Nonne ſimplicius multo res inter ſe continuabimus, ſi veteris memores Coſacorum ſub Meſcislao gentis, eam non prorſus, vbi olim fuiſſe deprehenditur, deletam, nullo niſi ſilentii indicio ducti, ſuſpicemur? Fatemur equidem, facillime nomina imponere hiſtorico, eiusmodi duntaxat citra aliud indicium ſequenti. Ceterum vti nec gentes integrae cito intermoriuntur, ita nec eorum nomina, aut ſaltem ſtirpes, quae iis vocibus olim deſignabantur, tam facile ac temere expungi queunt. Facilius populi caſibus accisi et fracti in obſcuro deliteſcunt aliquamdiu, quam plane extinguuntur. Suam igitur illis ſtationem ita conſeruemus, vt veri tamen ſimilitudine non amiſſa priora cum extremis queant cohaerere. Denique vtcunque e Ruſſicis rebus Coſacicae originis hiſtoria illuſtretur, multa tamen nimis nobis obſcura relinquuntur, quo minus proſpicere queamus, quo pacto nomen a Ruſſicis rebus tam alienum, tam repente, tanto ſonitu, ſola imitatione eruperit, cum tot eſſent aliae Tattarorum propagines, quas *Thuanus* Lib. Hiſt. 67. hoc ordine recenſet: *Tartar*, *Tangur*, *Cunat*, *Tatair*, *Sonic*, *Mongli*, *Tebeta*; quos ille a prima tribu Tartaros, alii a Tatar flumine

 volunt

volunt dictos: alii etiam cohortes alias recensent, quas vide apud *Mercatorem*, et *Schultesium* Geograph. spec. Part. II. Lib. II.

12) Illud quoque praeter cetera, nulla intelligentiae nostrae causarum inductione adhibita, insolens, parum credibile ac perplexum videtur, vti tam cito pro Tattaricis Russici ad Tanain Cosaci noui generis, neque a Malorossicis oriundi succrebuerint exstiterintque. Tum et plura sane huiusmodi. Et obscuritatem, fatendum est, quidem in tali caligine temporum, vbi indicia scribentem deserunt, vitari non posse: sed sustineri tamen potest assensus, ne genti originem, tanquam compertam, adiudicemus, quae adeo tenebricosa caligine inuoluitur. Hinc et ipsus nonnisi coniecturas ferme rursum proferam, spe fretus non adeo longinqua, placere et aliis posse, quas fastidiose ego susceperim probarimque; et fulciri porro ab aliis posse multo melius, quibus temporis, et veterum monimentorum copia minus esset, quam mihi nunc quidem, aliena.

13) Non ita profecto multa declaratione est opus ad vetera, quae iam constituerunt, continuanda, vti ad noua excitanda. Cosagorum igitur veterum stationem, quae ad Borysthenem sub anno 1024. deprehenditur, non ita negligendam putem, vt hos populos Russica in ditione, in quam citra aliud, nisi singularis certaminis periculum, conditione sponte oblata acceptaque ab Russo concesserant, manifeste non putemus: (quoad ad Lithuanos illae plagae communiter deuoluerentur) cum nihil de eorum seditionibus porro memoret historia. De genere maior dubitatio. Tattaros fuisse autumant, quos laudauimus. At profecto dubitem, cum horum nomen demum sub annum 1228. primum illis quoque in locis innotuisse

tuiſſe Sarmatiae Europeae Thuanus oſtendat: quanquam in Sarmatia Aſiana iam antea incrementa ſenſim cepiſſe nil dubitem, ſed maxime poſt Hunnicae ſeu Scythicae originis gentes exhauſtas ſpatium procurrendi demum nactos: quod in aeuum conuenit multo poſterius, ſaeculi vndecimi prioribus initiis. Sic itaque ſtatuo potius, quae in Sarmatia remanſerant, gentis Slauicae quasdam reliquias, quae forte in receptum ſe aliquem difficillimis temporibus contuliſſent; (vti et Romani quidam ad ducentos a Graeco Imp. miſſi, cum eis Arabes, qui Lacicam ſubiugauerant, ſuperuenirent, intra eosdem montes perfugium ſibi repererunt, vti fuſe enarrat ſcriptor hiſt. miſc. lib. 21. cap. 1. ſeqq.) ac poſtmodum placatioribus rebus reuertiſſent, rurſum alio ingruente, poſt tot euictos terrores, a Tattaris metu, procurriſſe in vlteriorem Sarmatiam propius ad ſuos, quam nouam prorſus gentem eſſe confingendam.

14) Ac profecto cum Cercaſſorum *) aeque ac Coſſacorum nomen idoneis ſane indiciis antiquiſſimum videatur, idne Tattari ab Slauica quadam propagine, an hi ab aliis acceperint, dubitari non iniuria poteſt; atque in ipſa Tattarorum lingua cum tam diuerſae proferantur notiones, non a vocis poteſtate, ſed a moribus gentis, eorumque, qui ita viuerent, deſcriptione ſumtae videntur. Gentes autem Slauicae extremo tempore in Aſia ferme non aliae, niſi Bulgaricae, praeter Lazorum et Vlanorum

*) Cerceſſii quidem (arx et ciuitas eſt in Cherſoneſo Taurica) antiquitatem Graecis, qui tum ibi erant, teſtantibus, multo maximam pluribus in ſua Tartaria perſequitur, qui eodem ipſus acceſſerat, *Martinus Broniouius de Briezdfeldea* e Polonia ad Tartarum legatus pag. 264. edit. Lugd. Bat. 1630. Decipere nos tamen nominum ſimilitudo poteſt, niſi idem et paulo poſt Circaſſos Nogaienſes vocaret itidem Cerceſſios.

rum quasdam, aut Roxolanorum reliquias, memorantur: de quo si quis magis comperta enarret, non pugnauero. Imo Vlanos quidem hodiernos, qui in Chersoneso Taurica, seu Crimaea Tartarorum Principi intra Turcarum clientelam, parent, a priscis Alanis oriundos, eodemque pacto ac exemplo, quo de Bulgaris dicemus, vsu venisse, vt Tattaris immiscerentur, eisdem coaluisse, ita facile assentior viro doctissimo Froelichio, vt ea rerum iisdem, aut certe proximis in locis similitudine haud parum confirmari sententiam meam arbitrer. Sed ille longius videtur progredi, nec Vlanos duntaxat, sed et Cosacos Tanaitas ceteros, etiamque eos, qui Polonis paruissent, ab Alanis deducere, quando ait: *Hodie quoque Alanorum reliquias superesse suspicor in Hulanis, seu Vlanis; nam et Halani olim scribebantur, et Alani, qui Polonica in militia leuis equitatus partem conficiunt.* At enim cum Vlanorum genus partem duntaxat, ceteros inter Cossacos ac ferme Tattaricos non maximam amplectatur, dubitemque praeterea, Mahomedem ea, an Christum colat, vel potius, vt intelligere ex Geographis videor, prae isto: non rear Cosacos etiam ceteros tam facile ab ista stirpe arcessi, vti a Bulgarico genere mox proficisci Cosacos Christianos plerosque, monstrantibus indiciis, decernemus. Quodsi quis idem in gente Vlanica conetur, vereor, ne eum argumenta frustrarentur.

In Anecdot. Numism. Regum veter. p. 132.

15) Ceterum non habeo nunc magis congruentia, nisi quae ad Bulgaros potissimum respicerent. Siquidem monimenta nos docent, restitisse hos in Asia ceteris ferme Slauis diutius: vt enim historiae miscellae scriptor, quem *Paulum Diaconum* nonnulli faciunt, ex Graecis enarrat, duo Crubrati, vel, vt alii legunt, Crobati filii, tribus aliis alio demigrantibus, domicilii locum auito in solo

Lib. 19. cap. 19.

solo ad Araxen et Tanain retinuere. *Et primus quidem filius eius*, inquit, *qui dicebatur Bathabias, mandatum proprii custodiens patris in progenitorum suorum terra permansit vsque in praesens. Secundus vero, huius frater, nomine Cotragus, Tanain transiens fluuium ex aduerso primum habitauit fratri.* Hos quidem paulo post tributarios ibi fecere, eodem perhibente, Chasari seu Chosari, gens Scythica, Chersoneso Taurica amnique circumiecta ora potiti, quos Polowsii, vel, vt *Cromerus* scribit, Polowcii, Lib.IV.p.54. gens barbara, exceperunt: *Quos nostrates quidem*, inquit ille, *Gothos, Hungarici vero scriptores (nescio an recte) Cunos siue Hunnos esse volunt.* Et vero esse etiamnum inter Tanain ac Borysthenem, atque in ipsa Chersoneso Gothicae gentis reliquias, sermonem aeque, ac, vt ita dicam, vetustissimae gentis profanitatem retinentes, satis hodieque constat.

16) Eodemque exemplo Bulgarorum quoque gentem non facile prorsus exstinctam, sed postquam iugum pati sub Cazaris seu Chozaris iam didicerat, partim eos, qui ad Araxen habitarant, aliis quoque populis permixtos, partim illos, qui vltra Tanain ex aduersum consederant, tantisper pone Lazicam ad Caucasum recepisse se autumo; quoad submotis iam Chosaris, Polowcios quoque saeculo vndecimo vrgere Tattari inciperent, qui inde non multo post, anno 1058. Occidentem versus protrusi impetum in Russiam fecerunt. Bulgarorum has inter vicissitudines seruitute varia oppressum nomen, sicut Alanorum et Roxolanorum in varias ipsa permixtione abiisse appellationes, nemo facile mirabitur: quam proinde gentem, cum prorsus deleta non videatur, nec tamen palam exstare illam deprehendas, nec alio demigrasse, nonnisi indiciis quibusdam vestigare oportet. Haec vero ostendunt,

dunt, gentem Bulgarorum iam dudum antiquitus cum Tattarica Armenicaque siue consuetudine, siue etiam connubiis mixtam, vti satis coarguunt monimenta Tattarice Armeniceque inscripta, quae Petri I. aetate in veteris vrbis Bulgar ruderibus inuenta supra diximus. Neque religio olim obstabat, quo minus cum Tattaris consuescere olim Bulgari possent, vt paulo postea demonstrabo.

17) Eius vero gentis ita tum permixtae reliquias non alibi rectius, nisi in Cosacis ac Circassis deprehendere videor. Vtrosque Tattaris iam immixtos, eorundemque vtentes nominibus saeculo vndecimo a Moeotica planitie propius ad Russiae fines rear accessisse. Forte hos, quia Christi sacra retinentes, Tattari reliqui, cum Mahomedi nomen dedissent, propulerunt. De Cosacis supra ostendi, quodnam in tempus eorum migratio conueniat, nempe in annum 1024. nec procul ab eisdem Circassos absuisse, tametsi horum de aduentu nullius temporis indicia exstent, vel inde colligo, quod sub Casimiri III., qui ab anno 1333. regnare coepit, auspiciis iam horum monimentum fuisse a Polonis captum, gentemque ei subactam *Cromerus* commemorat; quam etsi gentem aduenam, ac ferme e Septentrione (vbi scilicet Circassia Tattarica erat) Meridiem versus (sc. ad Caucasi radices, ac deinde Borysthenis inferiores oras) profectam indicet, non tamen eius antiquitatem assequitur, quippe ad res Russicas priores, neque cum Polonicis iam tum coniunctas pertinentem. Porro quando Circassis Cosacisque ceteroqui communia posteriore aeuo omnia fuisse videmus, dubitare fas est, Cosacine in Circassis, an hi in illis iam latuerint, eodemque tempore vtrique aduenerint, diuersis duntaxat fortassis nomi-

Lib. 15. pag. 240. de Reb. Polon.

Lib. I. pag. 17. ibid.

nominibus ab Russis antiquioribus Cossagi, a Polonis vero Circassi dicti.

18) Quanquam et hic rarius id nomen auditur, cum Podoliae, in qua colebant, nomine paene absorberentur appellationes ceterae. Haec siquidem multo olim amplioribus definita fuerat spatiis, vti ex alio eiusdem *Cromeri commentario* intelligas: *Reliquum autem orientale latus eiusdem Russiae, ac totius Polonici regni claudit Polia, ab Aquilone et Euro albae Russiae, a cetero ortu vastis campis Tartaricis atque Turcicis . . a Meridie vero Moldauiae continens olim suos habuit duces, quemadmodum luculentius ostendimus in historia: quorum stirps cum late propagata esset, partim ipsa sese intestinis dissidiis atque ciuilibus bellis confecit, partim a Polowciis, qui Gothi fuisse videntur, ac Tartaris exstirpata, partim Polonorum et Lithuanorum adiuncta est imperio, partim in nomen et ius de se ortorum Moschorum transiit.* Sunt ferme eaedem causae Circassiis ac Cossacis communes, silentio illi non impares, quod miros habere tanto tempore nos posset, quo pacto tam obscurum latere huiusmodi gentis nomen potuisset: nisi quae tempora illud compresserint, aliquo indicio liqueret. Nec illud mediocre, vno olim proelio sub annum 1438. cum Tattaris commisso omnem prorsus Podoliae nobilitatem internecione deletam, vno Ioanne Vulodico euadente, qui iam vulneribus confectus, et caligis quoque de pedibus non sine vulnere rescissis, digitoque cum annulo a barbaro praeciso ita doloris et vitae sensum habuit in potestate, vt nulla significatione edita solus pro mortuo relinqueretur, vt ita nobilissimis amissis gentium ibi incolentium fama plebis ferme obscuritate comprimeretur.

In descrip. Polon. l. I.

19) Ceterum, quae de Cossacis Porphyrogenetae, et Russicorum annalium testimoniis inter se conciliatis colligere sum visus, eos ex australibus, quae ferme ad Bosphorum Cimmerium tenduntur, Caucasi plagis ad Russiae fines oramque Borysthenis aduentasse, eadem ferme de Circassis quoque indidem Bosphoro transmisso per Tauricam transgressis eruditus ceteroqui scriptor, vt videtur, Polonicus anno 1621. vbi etiamnum propius iudicare ista potuit nondum tot vicissitudinibus, quae postea sunt obortae, rerum faciem conturbantibus. Is autem in tractatu de Tartaris Praecopensibus, Chersonesiis, Bosphoriis, (cum aliis commentariis de Russia Tartariaque Topographicis Lugd. Bat. 1630. editis) in haec verba scribit pag. 235. *Sed ego credo olim Bosphoranos dictos, quos nunc Circassos aut Zicchos vocamus, homines a Tattaris ducentes originem, sed professione Christianos, ritu autem Graeco, de cetero autem nulli rei nisi furtis et latrociniis intentos.* *Zicchos* ibi nullos deprehendere potui, nec quisquam memorat: mendose igitur expressum autumo, et legendum *Kozacchos.* Vtut vero haec fuerint, cum Bulgaros Asiaticos etiamnum sub saeculi XV. finem superstites memoret *Cromerus*, quos, nisi Tattaris Christianis immixtos putes, nemo vllibi locorum, nedum in illa Russiae vicinia deprehendere iam queat, profecto et Cosacorum ac Circassorum partim ab his, partim ab admixtis Tattaris originem ducere verisimiliter licebit. Ab Ioanne enim, Moschorum Duce, etiam Lithuanis ac Polonis formidabili, qui sub finem saeculi XV. ad vsque ferme 1506. Moschos est moderatus, scribit ille lib. 30. pag. 445. praeter Casanenses, Permios, Sibiros, Lapos, Iugros etiam Bulgari Asiatici partim subiugati, partim tributarii sunt facti.

20) Ne-

20) Neque hic linguae aut religionis ratio quidquam facessit negotii: imo cur multa Tattarica Armenicaque admixta habeat sermo Cosacicus, commode ratio redditur, quod iam dudum cum his permixtos Bulgaros ostendimus; vnde et postero tempore multos illi Tattaros asciuere, atque ex Armenia mercatores eadem ipsa necessitudine veteri in Russiae limitem deduxerunt non paucos. Cum vero Bulgarorum esset lingua iam inde ex ipsa origine Slauica, quam etiam cum Tattaris mixti haud equidem prorsus videntur dedidicisse: tum vero vbi iam sub annum 1024. Cosagorum sub nomine Russorum viciniae commigrassent, communique vtentes principe eorum etiam consuetudine carere non possent: nihil sane mirum, linguam ipsam plurimum deinceps ex Russica traxisse, nam linguae indicio, vbi nulla mixtionis apparent vestigia, multum est profecto tribuendum: at vbi iam aditus aliquando peregrinitati in gente aliqua fuerit ad mutuas ac paene quotidianas necessitudines patefactus, tum vero iam linguae indicio coargui res non poterit, quod similitudo idiomatum referri ad alias iam causas potuit, et linguarum figuram huiusmodi in temporibus variare ipsa natura soleat. Vellem esset aliquis, qui ostenderet, saeculo inde ab millesimo Podoliae incolarum quis sermo fuerit; tum, quis deinceps inde; tum qui Bulgaricum in Moesia cum eo contenderet. At postmodum quidem iam vix a Russico dignosci potuisse, nihil iam mirum, quando et a Polonico plurima breui tempore traxerat, vbi huius in populi ditionem gens Cirassorum ac Cosacorum transiit, vt in Russiae descritione *Martinus Cromerus* libro priore testatur: *In Russia,* Lib. III p. 31. de Reb. Polon. *eridionali praesertim, iam fere vsitatior est Polonica dialectus, quam vernacula, ex quo gens ea Polonorum cessit*

imperio, Polonis praeter libertatem ſoli, et militiam adverſus Tartaros libenter ibi figentibus domicilia. Sunt etiam in Ruſſia Podoliaque Armeni, mercaturam exercentes.

21) Religionis vero Chriſtianae, ad ritum tamen Graecorum informatae, ſatis explanata in Bulgaris cum antiquiore Tattarorum genere commixtis eſt ratio: nam in primis Bulgaros, etiam in Moeſia qui erant, Graecos ritus conſtanter ſectatos conſtat; quippe qui, cum iam ſub Cubrato ſeu Chrobrato ad Graecorum Imperatores ab Auaribus defecerant, poſtmodum Slauicorum populorum primi, dudum certe ante Ruſſos, ad Chriſti gratiam, ac ſacra reſpexere iam anno 860. Imo iam anno Leonis IV. Imper. ſecundo, a Chriſto nato 782. Telericum, Bulgariae Principem ac Dominum, ſacro fuiſſe fonte ablutum, auctor hiſt. miſc. enarrat. Neque vero generis Bulgarici in Europa cum illo, quod in Aſia reſtiterat, neceſſitudinem reor ea, quae ſub Conſtantini IV. tempora ſtabilis eſſe coepit, ſeceſſione ita ſublatam, vt religionis communitatem putemus in dubium reuocari: cum potius et neceſſitudinis gentilis, et ſacrorum Chriſtianorum ibi quoque veſtigia quaedam poſſimus legere. Ac *Praius* quidem Bulgaros omnes, qui cum Batbaia, Cubrati filio natu maximo, in magnam Bulgariam erant profecti, quod Chazarorum pati iugum nequirent, deſerta patria eodem Duce Batbaia in Moeſiam regreſſos autumat; quia pacem ab iſto Batbaia ruptam ad alterum Iuſtiniani Rhinotmeti annum Theophanes prodat. Neſcio, quid iſthic fidei Theophani ſit tribuendum, quando auctor *hiſt. miſc.* Bathahiam iſtum, aliis Batbaiam, ait *in magna Bulgaria permanſiſſe vsque in praeſens.* Pergit autem is Scriptor ad vsque Leonem Armenam, qui Graecis imperauit ab anno DCCCXIII. et rurſum paulo poſtea, cum ſolo Bulgarico

[Margin notes: Lib. 23. c. 4. — In Annal. Hunnor. Part. II. l. II. ad ann. 679. pag. 262. — Lib. ſupra cit. — Lib. 19. c. 20.]

Caza-

Cazarorum gentem Scythicam ſubita incurſione potitam memoraſſet, de eodem Bathahia ſubiungit: *Primum fratrum Bathahiam primae Bulgariae Principem ſubſtituit, ordinatis vectigalibus, quae ab eo deferuntur vsque nunc.* Idemque ſcriptor prorſus diuerſa de Iuſtiniano II. Rhinotmeto, cui ipſiſſimo pacis conuulſae cauſam, non Bathahiae adſcribit: *Deſtruxit autem*, inquit, *et pacem cum Bulgaribus* Lib. 19. c. 27 *fixam, perturbans typos, qui a patre proprio ſunt ordinabiliter facti.* Ceterum perpetuis, quae Bulgaris cum Graecorum Imperatoribus fuere, bellis non paucos ex Aſia populares nonnunquam excitos in Moeſiam veniſſe, facile intelligimus, et idem ſcriptor indicat: quos tamen Lib. 22. c. 31. ſtabiles ibi ſedes fixiſſe non eſt neceſſe, nam, vti oſtendi, Bulgaros Aſianos vel *Cromerus* etiamnum memorat. Scite etiam *Lomonoſſouius*, vt populorum Slauicorum in Lib. cit. Part. ope mutua rerumque communicatione neceſſitudinem I. c. 5. p. m. intelligas, obſeruat, eosdem Bulgaros, cum Slauenſium 38. peſte antea, deinde vaſtatione Hunnica locum incolis exhauſtum cognouiſſent, continuo vt loci adiuuarent frequentationem, coloniam inde a Danubio illuc ablegaſſe.

22) Et quidſi hos ſuſpicarer eosdem ac Lazos illos, aut forte Lazorum illorum contribules, quos *Ammianus* Lib. 28. c. 29. *Marcellinus*, et *auctor hiſt. miſcell.* itemque Procopius et Agathias oſtendunt ibidem ferme, vbi Caſachiam Por- Lib. 21. c. 1. phyrogeneta locat, tum in vetere Colchide, tum vltra et c. 4. ac 5. illam in proximam Sarmatiam fuiſſe porrectos pone Alaniam, quae ad vsque Caucaſios montes pertinebat? Enimuero Bulgarorum nomen loci erat, non generis: vt proin Lazorum nomen, quo vſi auctores iſti erant, eſſe gentile poſſet. Accedit eo confinium Lazorum gentis Slauicae cum Armenis, eiusdemque fines in Sarmatiam protenſi, atque, vti ex monimentis vrbis Bulgar in eodem

eodem confinio cognoſcimus, antiquiſſima Bulgarorum neceſſitudo cum Armenis. Cui Laziae veteri ad montes vsque Caucaſios, circumque eosdem porro cum finitimi reperiantur Alani, facile de eisdem eadem viuendi inſtituta ſuſpicandi vel hoc ſolo indicio daretur anſa, niſi eandem rem, viuendique ſimilitudinem de iſtis quoque iam alibi antea comprobaſſemus. Indeque et Coſacorum cum Polonis quaedam peruetus neceſſitudo cognoſceretur, cum et Polonos veteres *Lengnichius* ab Lazis repetat, (in commentario ad finem hiſtoriae Poloniae) quos ille tamen iam ante annum Chriſti DL. in Poloniam contendiſſe exiſtimat. At nihilo ſecius in Aſia Lazi etiamnum ſub Heraclio ibidem memorantur apud eundem auctorem Ibid. lib. 21. c. 5. *hiſt. miſcel. lib. 18. cap. 19.* in Aſia eorumque ditio Arabum armis ſubacta iugoque obnoxia oſtenditur: vt proin, ſi pars Lazorum alio demigrauerit, pars tamen reperiatur ibi ſuperſtes: quae aut eadem videri poteſt, ac gens Bulgarica ſeu Volgica, aut certe eidem ac Alanicae maxime finitima, et ferme contribulis; fortaſſis etiam antiquiore duntaxat ac recentiore coloniarum deductione diſtincta. Haec vero tametſi ita ambigua ſint atque incerta, vt iſthic nonniſi etiamnum in tenebris micare nos probe intelligamus: negligenda tamen et aſpernanda minime duximus, cum ſaltem, ſi coniecturae ad Coſſacos a Bulgaris Lazisque et Alanis arceſſendos idoneae vim non habeant, gentium ibi ſitarum inter ſe propinquitatem illuſtrent.

23) Religionis vero iam antiquitus arreptae neceſſitudinem vel iſtud, vehementer puto, confirmat, quod Coſaci omnes Tanaitici, Semeinii ac Sibirii, cum Graecanica ceteroqui ſequantur ſacra, ab Graeco-Ruſſicis ſunt tamen alieni, vnde et *Roskolnicii* ſeu *Roskolſchtſicki*, id eſt *Schismatici*, itemque *Separatiſtae* vocantur; ipſi vero ſeſe

Staro-

Starowerzos appellant, id eſt, *veteris religionis ſectatores.* Non eius diſcriminis cauſa in gentis libertatem aliasue res poteſt conferri, quod Ruſſico nempe cogi imperio non poſſent, ſui iuris cum eſſent; alioquin cum eadem libertas Maloroſſicis ſteterit, Niconis ſupremi Ruſſorum Antiſtitis ritus perinde et iſti repudiaſſent. At enim cum iſti maximam partem Ruſſorum acceſſionibus eſſent frequentati atque ita immixti, vt auctior foret Ruſſorum numerus, quam ad easdem religionis partes facilius pertrahebantur. Horum complures contra ea apud ceteros inueterata religionis conſuetudo, et auiti maiorum ritus, quos non e Ruſſia, ſed ab aliis inſtitutoribus accepiſſe eos hinc liquet, eam hominibus peruicaciam ingenerarunt, vt illos a Ruſſico genere vel iſthaec religionis diſcrepantia, ex Aſianis allata prouinciis, aperte diſtinguat. Tattari vero antiquiores ſiue ab eisdem, vt videtur, Bulgaris edocti, ſiue ab aliis viris ſanctis inſtituti dudum eadem erant et ipſi olim ſacra amplexi, cuius rei nec memoria quidem etiamnum apud eosdem interciderat; ſiquidem, vti et *Büſchingius* l. c. ex *Müllero* accurate recenſet, Princeps quidam Fümenicus e Circaſſis Tattaricis cum Ruſſicae ſe poteſtati ſubdidiſſet vltro, eius filii duo obſides miſſi Moſcouiam, cum Chriſto nomen dediſſent, Romanus et Baſilius deinceps vocati, id ſe confirmarunt tanto maiori voluntate facere, quod iam maioribus ſuis eadem ſacra placuiſſent, quae Mahomedis poſtea lege ibi fuiſſent ſuppreſſa. Hinc neque a poſterioribus Tattaris arceſſere Cozacorum initia poſſemus, quando eosdem (ſi forte ſingulares homines demas, quos cum aliis iuncta victus, aut conſuetudinis ratio ſubigit) Mahomedis ſectae mordicus inhaerere conſtat. Erat certe ab anno 1396. in Lithuaniam prope Vilnam cum feminis ac liberis a

Vituodo traducta Tattarorum tribus quaedam, quas illi *Ordas* vocant, *qui manent ibi*, inquit *Cromerus*, *vsque in hodiernum diem boni ac diligentes patresfamilias, et virtutis priscae armorumque non immemores; ritus autem patrios Machometicae superstitionis adhuc seruant etc.*

Lib. 15. pag. 252. de reb. Polon.

24) Accedit rursum eodem difficultatis cuiusdam praecipuae, in qua explananda *Müllerum Büschingium*que video nequidquam conflictatos esse, felix explicatio, quam isthaec a Bulgaris aliisque ad Tanain Sarmaticis populis ducta origo penitus tollit; scilicet cum in Cosacis ipsa ferme figura faciei plurima apertissimaque vultu ipso prae se ferat sanguinis Tattarici imitamenta. Non sane eiusce rei ratio potest ab Russico genere proficisci. Neque hic raptum quendam feminarum Tattaricarum, similem illi Sabinarum sub Romulo, comminisci satis, aut fas est. Quid enim Russis erat aliunde quaerendum, quod in finitima patria suppetebat? An vel sic prolem nanciscerentur degenerem? At Bulgaros dudum cum Tattaris mixtos si ponis: non est, quod isthic labores prorsus naturae conuenienter id factum. Praeterea si Russi iam inde ab anno 1340. illi se instituto in Russia minore dedissent, vt regni fines a Turcis ac Tattaris defenderent, cur igitur cum tot a *Cromero* Tattarorum incursiones memorentur, nunquam ad eas reprimendas huiusmodi Russicam velitum coloniam ad annum vsque 1506. vbi desinit, fuisse a Polonis adhibitam ille perhibet?

25) Satis igitur apparet huiusmodi institutum non proposito cuidam et exercitationi studiosae, sed naturali ingenio et occasioni esse tribuendum, quae Sigismundi demum aeuo, vt supra diximus, videtur oblata, eaque factum, non vt arma tractare et praedas facere Cozaci

primum

primum diſcerent, dudum ſueti, ſed vt eam operam reip. ſuae nauarent. Ad quam diſciplinam Ruſſis porro Poloniſque certatim affluentibus, ac Firocinii loco munito, quam *Setſcham* vocant, in Boryſthenis inſula conſtituto, praemiiſque et immunitatibus ea gente maxime a Stephano Bathorio donata; nihil eſt mirum, ex talibus initiis ea, quae deinceps ab illis geſta eſſe conſtat, fuiſſe conſecuta; cum ad naturam veluti ars quaedam et prudentia ciuilis accederet, quae vel ſic quoque vis eis ordine continendis atque ab latrociniis retinendis ſufficiebat. Quae omnia ſatis ab Ruſſica abhorrent origine, in Tattarorum mores vero egregie conueniunt; quibus ſemper pares videmus Cozacos fuiſſe: vnde ad hos regni cuſtodes ſaepe nouo cuſtode opus erat; vti ferme idem, quem ſupra laudaui, *Mart. Broniouius* ait: *Illi* (Bratislauii conductitii) L. c. p. 243. *in campis ductores viarum peritiſſimi ſunt, a Tartaris ac Cozacis, qui in campis perpetuo vagantur, praelia et pericula, ſi eis comitatu impares ſunt, euitare probe norunt.* Colliges inde non ita difficulter, quo pacto tempore ad vsque Sigismundum I. interiecto conſeruari a Tattarorum impreſſionibus Tattarorum ſimillimi potuerint.

26) Atque ita nos quidem Coſacos Tanaiticos haud paulo Maloroſſicis antiquiores ponimus, cum et nomen, et inſtituti initia, et latrocinii ſedes in Tanaitis priora ſunt, a quibus proin Coſacorum origo exſurgit. Neque Bulgarorum, Alanorum ac Lazorum vetuſtas quidquam cedit Ruſſicae, cum illorum res iam antiquioribus, quos diximus, memorentur ſcriptoribus; Ruſſorum vero, gentis Scythicae, quae poſtmodum Slauis immixta iamque in Europam recepta, linguam quoque cum Slauica commutauit, Cedrenus demum ac Zonaras etiamnum in Aſia meminerint. Et bellicoſam gentem tum Bulgaros,

tum Alanos antiquissima ostendunt omnis historiae veteris monumenta. Lazos quoque Romanis in Graecia
L. 18. c. 19. Imperatoribus suppetias in bello fuisse auctor *hist. miscell.* docet. Fauebat praeterea praedabundae gentis indoli ipsum loci ingenium vsque adeo, vt Romani quoque milites eodem delati in praedones et ipsi verterentur, vt
L. 21. c. 4. idem perhibet: *In Caucasiis stetere montibus latrocinantes et sui desparationem patientes.* In eiusmodi hominum genus vbi postmodum Tattari incidere, iunctisque amicitiis frequentes coaluere: nihil equidem ad iustam eius gentis continuatamque propagationem desideratur. Neque in bellis Tattarorum cum Russis Polonisque alios olim interfuisse Cosacos existimes, quam hos ipsos, ex istis, quos dixi, Bulgarorum, Lazorum Vlanorumque populis prognatos: quorum ii, qui propius ad Russiae fines accesserant, eadem deinde facilitate Russis admixti sunt, qua olim Tattaris assueuerant, tum maxime, cum, infracta Tattarorum potentia, Polonorum Russorumque vis emineret. Atque haec de Cosacorum origine visi sumus vero similius existimare.

CAPVT TERTIVM.

De Slauicae gentis incondita originis deductione a Dodanim; genuina vero, et maxime propria a Madai Iaphetico.

§. I.

De repugnantia rationum, quae minime a Dodanim repeti siue Slauos, siue Danos patiantur.

Diu apud animum meum rationem inibam, quo demum pacto vel confingi specie quadam verisimili posset, Dodanim Danicae aeque ac Slauicae gentis fuisse conditorem. Quod enim iam supra sum confessus, non habeo

beo nunc penes me ſcriptores, qui iſto diuinationum genere delectantur: nec vero illis ego quidquam tribuere ſum ſolitus. Sed quae inter legendum promiſcue inciderant, e memoria repetenti ſubiit quidem, huiusmodi ſententiam non eſſe mihi inauditam; ſed et contemtim a nonnullis repudiatam. Eius autem momenta iis ſimillima, quae ſupra notauimus, ſcilicet in variis nominum commutationibus occupato diuinationum contextu. Fulcrum totius architectatae molis illud facile praecipuum, quod ex *Pauli Diaconi* verbis quibusdam arripiunt. Sed et illud profecto nimiopere, vt mox planum fiet, infirmum. Illud vero iſthic vim habere maximam debet, ne alienum Slauicae genti quaeramus generis auctorem, cum eiusdem maxime proprium inuenire ac nominare, tametſi ab nemine id adhuc praeſtitum ſciam, ſit tamen facillimum. Duo ſunt igitur, quae hic oſtendam, ad Iapheti nepotem Dodanim nec ſtirpis Slauicae, ac ne Danicae quidem apte referri originem, tum quia eius patria natioque, ac nomen parum in eandem conueniat; tum quia gens quidem Slauica ſuum ſibi conditorem proprium e Iapheti filiis queat laudare.

Neque multum opus de Dodanim conuincere. Ineptiſſimum ſane, auctorem prodere, a cuius nomine indicia omnia abhorreant. Quis enim ſacrae paginae interpretum veterum, imo et poſteriorum (ſaltem ante *Pauli Diaconi* tempora) vel ſuſpicione aliquem iſthic Dodanem diuinauit auctorem? Quae gens huiusmodi iam antiquitus vel audita, affini nec admodum contorto nomine? Siue autem ſunt Dani indidem, ſaltem maiorem partem, vnde Germani, quod nemo negauerit: cur in omni iſta gente prorſus nulla ſint primi patris indicia, niſi in Danis demum, neque in his alia, niſi prorſus incredibilia,

 fana-

fanaticisque ab ingeniis temere et fortuito conquisita. Siue Danos ponis a Germanis diuersos, et ex his oriundos Slauos, aut ex Slauis illos. At quorsum ad eos Dodanim? Si enim ex Danis sint Slaui, cur nullum apud hos DEI istius Danici indicium? Cur omnino ab eius nomine degenerarunt isti, vt ne fabulae quidem apud eos vestigium superesset? Quibus deinde migrationibus in ipsam Daniam peruenit Dodanim? Num ipsemet iam prioribus vitae annis, cum nondum gentem haberet, eo nauigauit? Num senex, deserta Iauanis patria rebusque omnibus, quas ibidem comparauerat, tam longinquae nauigationi, nondum antea satis explorata locorum natura, se dedit? Num eius demum posteri eo vela fecerunt? Vbinam illi ante fuerant? Quibus in locis intermediis sensim propagati claruerunt? Cur in ipsa Dania tam sero demum audita princeps familia? Vnde eos igitur ita repente arripis? Quibus indiciis aut testimoniis rem talem, quae latere obscura non poterat, doces? Cur non apertius et ibi nomen Dodan exprimitur?

Quodsi contra ex Slauis sint Dani: cur nihil antea apud eos Dodanicum, ac ne postea quidem? Cur tam peregrina huic genti huius parentis memoria? Quoue indicio monstras, hunc generis auctorem ad eos vnquam venisse? Quamnam gentem Dodanicam inter Sarmatas habitasse ostendis? Omnia haec incredibilia, indiciis cassa, a geographia gentiumque ceterarum notiore historia abhorrentia. Forte tamen adhibitis *Schumacheri* bellissimis machinis, quales ad explicandum Irminsulae monimentum *) admouet, vel in Daniam vsque et in omnes Slauorum fines circumuectari impune per tenebras Dodanus posset: sed, praeterquam quod eorum figmentorum vani-

*) De originaria stirpe, et historia Germanorum §. 64. et sqq.

vanitas et conatus ſuperuacaneus facile in re tam paradoxa explodatur, vel vnum illud foret ſatis, ſi penes Dodanim e Graecia arceſſitum in gentem alteram, quae iam ibi prior exſtabat, vel ſic quoque primae originis dignitas et nomen iam eſſe non poſſet.

Neceſſe igitur foret, etiam ortus genti vtrique iam inde primitus Dodanum dediſſe, quod eſt ad confirmandum ineluctabile. Noſſe enim penitius hoc in loco gentes Scandinauicas, quas etiam Boreales vocamus, intereſt, et in eis aliquod Dodani veſtigium reperire; aut ſi id nequeas, omnes ad Boream priores gentes inde remouere ſubito, aut delere funditus vt poſſis, oportebit. Alioquin nullum ibi erit gentis Dodanaeae principium Germanico antiquius, ac ne transmiſſio quidem iuſta originis. Gentes autem ad Septentrionis ſatis nobis, quantum hic attinet, ſunt cognitae, vt ex iis, quae dicta ſunt, apparet. Neque vllum ibi Dodani indicium, vt planum fieri indidem debet: ſed aliena ſunt potius omnia, ſi contra ea Dodanim ipſum contemplemur. Nihil igitur ineptius confingi potuiſſe, facile intelligemus. Sed idem deinde fiet manifeſtius, vbi illud denique exponemus, qua ratione res adeo diuerſas, Germanicam ſcilicet Slauicamque gentem, et rurſus Dodanum, Iauanis Graeci filium, in vnam tamen copulare ſtirpem conati ſint nonnulli. Germanorum Slauorumque ex parte rationes locorum, ac rerum repugnantiam cognouimus: nunc et Dodanum cognoſcamus.

Is vero filius erat Iauanis, a cuius ſobole Graeciam, inſulasque maxime viciniore in mari circumſitas fuiſſe occupatas, ita plerique omnes conſentiunt, vt, ſi quis aduerſetur, etiam obrui indiciis queat. Artes, quae ad nauigandi peritiam pertineant, neque huic familiae, neque ceteris

ceteris defuiſſe, prudens arbiter exiſtimabit: quae res et ante inundationem non incognita; tum in ipſo diluuio hominibus cunctis exemplo, tum et poſtmodum a cuiusque gentis maioribus pro opportunitate potuit tradi. Illud tantum porro videndum, num et quatenus aut materiae copia, aut cauſarum ratio nauigatione vti illos ſiuerint. Iam vero ſub initia nec variae materiae videtur fuiſſe tantum, quantum in longinquiores expeditiones opportune ſuppeteret, cum his in rebus non niſi naturali progreſſione ac propagatione leuari poſſent difficultates: neque cauſae vllae in terras incognitas hortabantur, cum in finitimo ſatis eſſet ſoli, quod foret locupletandum fruendumque, nec abeſſet periculum, ne quis fines vltra alterius ſortem proferre fruſtra conaretur, et intercluſus longe ab ſuis ſine ope exareſceret. Eam ob rem, pluresque alias ob cauſas ſemper mihi plurimum ſapere et naturam ſequi viſi ſunt illi, qui familias cognatas multum finitimis ſedibus ſenſim graſſatas eſſe autumarunt, neque permixtioni illi locum fecerunt, quam alii commentatores *), ingenioſi quidem illi, ſed nonnunquam confutationibus opportuni, haud grauate, etiam ſine indiciis, admiſerunt. De quo non multo poſt iterum. Hoc autem pacto etiam Dodanim a fratribus haud ita procul ſeceſſerit, oportet. Graecis igitur cognatum et genus, et idioma ei non immerito tribuitur.

Tantum in eo non ſatis interpretibus atque exiſtimatoribus conuenit, quamnam ei potiſſimum tribuere Graeciae regionem oporteat, propterea quod in ipſo nomine dubitatio incidat, quibus olim elementis fuerit ſcriptum, quando Hebraicae litterae ד *Daleth* et ר *Reſch* tam

*) Vt *Bochartus* in Phalego, quique eum ſequuntur; quales *Hornius*, *Alexander Natalis* etc.

tam habent affinem figuram, vt facillime commutari inter se possint, ac proin suspicio, ne quid a librariis peccatum sit, minime videri temeraria queat: quemadmodum etiam in vaticinatione Iacobi de vocibus *Raglau* et *Daglau* etiamnum lis pendet sub iudice *). Ita et Rodanim, an Dodanim verius nomen fuerit, non pro arbitrio ac voluntate, sed ipsa ambiguitate litterarum ita dubium esse agnoscimus, vt alterum altero certius pronunciare vix audeamus. Hinc interpretum alii Rhodiorum auctorem hunc Iauanis filium credidere **).

Alii cum *Lengleto* ***) Dodanios seu Dodonaeos (vnde Dodona vrbs Molossiae) Epirum partemque Graeciae ad Occidentem sitam, vbi aliquamdiu antea circum Asiae minoris oras consedissent, habitasse; ab Elisae vero fratris posteris Elidem, quae postea Peloponnesus dicta, a Thasiis, quos Tharsis progenuerit, Euboeam cum aliis insulis et Macedoniae parte; a Chittaeis demum ex Chittim oriundis (vnde et Alexander M. in libro Machabaeorum rex Chittim dictus) Thessaliam et Macedoniam fuisse occupatam autumarunt. Alii paulum rursus aliter. Sed quid inde ad Boream deducas? Imo quanto deinde frequentiores populosioresque temporum progressu familiae: tanto crescit eo transmittendi difficultas, nisi docere opportunitates queas. Nec iam vt litteras *Resch* et *Daleth*;

*) Et pro *Riphat*, quod nunc libri hebraici prae se ferunt, apud Esdram legi *Diphat*, sollerter Phalegi l. III. c. 10. obseruat *Bochartus*.

**) Quorum auctoritas etiam pondus habere maius videtur: sic enim Hieronymus: *Dodanim sunt Rhodani; ita enim septuaginta Interpretes transtulerunt.* Et ex Hieronymo Isidorus in Chron. et ante vtrumque Eusebius in Chron. vulgato, et l. I. Chronici graeci. Rhodios etiam l. I. Paralip. Septuaginta vertere. Accedunt ad hos Eugubinus, Beroaldus, Arias Montanus et alii quamplurimi e posterioribus.

***) Cap. 3. Introduct. ad Histor. addisc.

Daleth; ita et *Daleth* ac *Gimmel* cum bona venia commutare possis, quia hae non modo litterae sunt alterius elementi seu *organi*, sed et figurae, quam vt scripturae confundi potuissent. Et primorum quidem Iapheti posterorum nomina sola nobis ferme scriptura prodidit. Vbi igitur in scribendi figura potest esse dubitatio: ibi et in pronunciando potest esse.

§. II.

De fluxis Dodani cum Odino, Wodano et Godano commutationibus.

At nomen Codani vel Godani recentius non sola scriptione, sed et pronunciatione stabilitur: hoc igitur si cum illis priscis *Dodani* vel *Rodani* non satis congruit: nihil iam critico in has voces licebit, vt eas quadam ambiguitatis excusatione inter sese commisceat, cum sit nulla legitima soni affinitas: nisi quidem aliam ille causam proferre queat. At hem quae sit istis, qui Dodanim et Wodanum inter se miscent, et ab vtroque Danos ac Slauos arcessunt, hem quae sit istis rerum disiunctissimarum, Graecarum et Borealium, copulatio! Quantum in memoriam rerum lectarum regredi possum, momentum praecipuum est illis in *Pauli Diaconi* et *Gothefridi Viterbiensis* testimonio. Sic autem ille *): *Wodan sane, quem adiecta littera quidam Gwodan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, et ab vniuersis Germaniae gentibus vt Deus adoratur: qui non circa haec tempora, sed longe anterius, nec in Germania, sed in Graecia fuisse perhibetur.* Sic vero *Gothefridus* **): *Wotan quidam Gwotan adiecta littera dixerunt: ipse est, qui apud Romanos dicitur Mercurius, et tunc ab vniuersis Germanis vt Deus adorabatur.*

*) Rer. Longobardicarum l. I. c. 9.
**) In Chronico parte VI.

tur. * *Vnde vsque hodie Got Teutonica lingua dicitur Deus.* Et apud eundem Viterbiensem Toclacus quidam, antiquitatum commentator, prodidit, *Vandalos*, accedentes ad idolum suum Godan, victoriam de Vinulis postulasse. Quod idem et *Paulus Diaconus* ibidem refert. At praeterquam quod ille subiungit: *Haec risu digna sunt, et pro nihilo habenda:* tum vero et litterarum ratio abhorret: non enim Vandalorum idolum Godan, sed Wodan loco citato apud *Diaconum* legitur, vti quidem vox hodie exstat vulgaribus in editionibus. Etsi fatear, in Palatino quodam cod. Mss. sic exprimi: *Wotan sane, quem adiecta littera Godan dixerunt:* vbi rursus alterum exemplar Pal. multo antiquius habet omnino: *Odan sane, quem adiecta littera Godan dixerunt.*

Sed inter tot lectiones variantes fluctuans et veteris tum linguae, tum veritatis, tum et historiae ignarus quid statues? Num de tuo ex posteriori aetate affinges ad ea, quae iam sunt occulta in priore, vti *Gothefridus*, quem satis apparet ea, quae enarrat, ex *Paulo Diacono* aut eius quodam descriptore sumsisse; admiscuisse autem tanquam vetera, quae ipsus coniectabat? Sic ingenii et eruditionis laudem forte ab imperitis aliquam exceperis: fidem autem cordatis nunquam facies; faciliusque consequeris, ne quis te refellere in tanta caligine queat, quam vti cuiquam, quod asseris, persuasum esse sagaci homini possit. Nos sane Odini, Wodani et Godani satis discreta fuisse nomina autumamus, vt de Odino et Wodano supra ex indicio notauimus. Codani praeterea nomen antiquius, quam Odini. Docere autem et illustrare singula hic quidem non possumus; nec interest.

Nam quid conficis? Hicne Godanus sit pater Dodanim? Num quia ex Graecia, vt vult *Paulus Diaconus?*

Hicne eo vsque ad Noeticam originem isthic respexisse prae se fert? Nonne apertius indicasset, si id sibi voluisset? Neque illi profecto de portentosa adeo coniectura, cur a Dodanim Godanum arcesseret, crederemus, vti nec sanctorum virorum cuipiam, nisi locupletiora, quae nobis iam deforent, indicia proferret. Quibus non modo ille (ausim dicere) magis, quam nos, caruit, sed nec eiusmodi quidquam voluit indicare: nam cum Mercurium sciret Graecorum fabulis celebratum, inde putauit repetendum. Porro cum Odinus vel Godanus eadem forma coleretur a Germanis, e Graecia sibi arcessendum credidit. Neque illi erat metuendum, ne eruditus ea coniectura Longobardis suis non videretur. Sed nobis multa hic coeca, de quibus facile os nobis sublini hodie non patiemur, soliti, quae incerta sunt, incerta dicere, quae fictitia aut commentitia, omnino ridere, maxime vbi plusculum vrgentur, quam satis est. Neque enim de Mercurio quidem, si eum e Graecia ortum in Germania polluisse *Paulus* contenderet, illi crederemus; cum satis animaduerti posset, hoc eum de suo, deque iis, quae in schola hauserat, commentum bona fide, sed parum sagaciter ac perite conciliasse. Quid igitur de patre Dodanim statuemus, de quo ille nec somniauit? Vnde et pro Dodano longe alium e Graecia heroem sibi legendum, pari quadrata rotundis architectandi libidine putarunt alii, Ὀδυσσῆν scilicet, qui illis Odino propior videbatur *). Hem tibi aegroti veteris narrantis somnia mystae! Sed audaci coniecturae et subditítio auctori fidem breui detraxerimus,

*) Exstant eam in rem *Claussени* et *Rami* Descriptiones Norwegiae, quorum quidem alter priorem non nisi exscripsit. Item *Rami* Tract. histor. geogr. quo Vlysses et Outinus vnus idemque esse ostenditur.

mus, vero ac proprio generis Slauici reperto progenitore.

§. III.

De Sarmatico Slauorum genere.

Sic autem rem hanc conuincam: Slauos esse Sarmatici generis populos, in procliui erit persuadere. Sarmatas vero ostendam a Medis Europaeis, et hos a Madai, Iapheti filio, non vero item Medos Asianos descendere. Quae sententia tametsi ita videtur noua, vt eam ab nemine etiamnum proditam legerim: tamen si coniungas conciliesque ea, quae ab aliis iam singillatim eam in rem sunt animaduersa, etiam antiquior videri iam posset. Nam Madaeum, Iapheti filium, Medis Europaeis, non Asianis dedisse originem, iam celeber Annalium conditor perspexit, *Salianus:* sed ille nihil porro de Sarmatis cogitauit. Rursum vero Sarmatas a Medis oriundos ex priscorum testimonio intellexisse se, *Lomonossovius* significat: sed ille, hos Medos longe ab Asiaticis discrepasse, ignorat. Ego iam olim, necdum *Lomonossovio* lecto, quem nuper emi, suspicione quadam inductus in eam rem, vt Dalmatas quoque Sarmatasque coniectarem a Medis Europaeis fortasse repetendos, de Dalmatis cognoui, nihil posse certius comperiri, de Sarmatis autem reperi locupletissime posse id, quod autumaueram, confirmari. Quare laetus inuento gentis patre, nihil eorum, quae ad rem totam illustrandam pertinerent, negligendum duxi.

Ac Slauos quidem esse Sarmatas, nullo mihi negotio credent, qui vel situm duntaxat considerauerint. Sarmatia enim vetus, ab his incolis dicta, non nisi aut Sarmatas, aut Scythas habebat. Vnde origo confusi toties

a priſcis vtriusque nominis; ferme vti *Plinius* *) ait: *Totum eum tractum — Scythae et Sarmatae tenent.* Ab Scythis autem iam lingua ipſa Sarmatas diſtinguit. Illos dum hodie quidem tenemus, iſti igitur ſoli maxime ſuperſunt: quorum natio linguae item communitate ſatis cognoſcitur. Iamque alibi ex veterum itinerariis tabulis *Venedos Sarmatas* inſcriptos docui. Rurſum Venedos et Slauos eandem eſſe gentem, nemo eſt hodie, qui ignoret: neque id iterum confirmare ex Iornande et aliis attinet; cum maximo conſenſu geographi hiſtoricique ita rem tradant, vt in confeſſo poni videatur, facile alioqui conuellenda ſaltem a quibusdam, niſi veriſimillimis ſe omnes indiciis moueri animaduertiſſent. De *Cluuerio* iam ſupra meminimus, vbi de genere Venedorum ex eodem diximus. *Alexander Guagninus* **) quoque ſic inſcribit: *Deductio et origo antiquae bellicoſaeque gentis Sauromaticae, ex qua Poloni ortum genusque ſuum ducunt. Cromerus* vero ***) vberrime diligentiſſimeque eadem de re diſceptans, et ipſus nihil addubitat, quin iidem Sarmaticae reddendi ſint origini; eidemque *Cromero* nulla dubitatione adſtipulatur *Lomonoſſouius*, gentis totius Polonicae eam eſſe ſententiam ſignificans †).

Qui porro Slauorum nomen autumat ††), apud *Ptolemaeum* †††) primum occurrere, vbi Stauani ab eo memorantur. Is vero Graecos putat Latinosque vocem Slawanos pronunciare non potuiſſe; hinc primo *Stawanos*, tum *Sklawanos* et *Sthlawanos* ab eis fuiſſe appellatos. Quidſi, vbi ille his audet vti commutationibus litterarum, nos

*) Hiſt. Nat. l. IV. c. 12.

**) In Chorographia totius Poloniae, proximis fere ab initio paginis.

***) Hiſt. Pol. lib. I. a cap. VII. ad vsque c. XIV.

†) Lib. cit. cap. 2. pag. mihi 9.

††) L. c. cap. 3. pag. 17.

†††) Geogr. l. III. c. V. et Tab. VIII. Europae.

nos etiam faciliores experiri eadem de re auderemus, et antiquiora etiam Slauici, vel, vt paſſim apud antiquiores ſcriptum reperimus, *Sclauici*, aliquando etiam *Sclouici*, generis initia proferre? Non patitur *Cromerus* huic nomini inter *S* et *l* intermitti litteram *c*, vt dicantur *Sclaui* pro *Slauis*. Sed id eam ob rem potiſſimum, quia notionem genti minus honeſtam populi quidam exteri ſubiecerunt, verae ſcilicet originis ignari. Sed illud pugnare *Cromerum* non oportuit, quin antiquiſſimis iam in monimentis Sclauini et Sclaui, Sclouaci Sclouique ac Sclobi appellentur; vti apud eundem Lomonoſſouium, Cluuerium et alios memoratur: hoc enim Mſſ. conuincunt. Neque, an pronunciationis ratio Graecos Romanosque ad litterarum eas commutationes adigere debuerit, ſatis habere exactum poſſumus: alioquin ſi initio pronunciari iſtae litterae non poterant, ne in medio tum quidem, ſi in diuidendo verbo vtraque conſonans coniungi debebat, vti in voce μεδοσλανιον apud eundem *Ptolemaeum* *), quod oppidum inter Bohemiae Morauiaeque fines erat ſitum. Itaque apud hunc **) forte olim ſcriptum exſtabat: *Ac Slauani vsque ad Alaunos*: pro quo librarius quidam aut emendator Stauani, σλ mutato in στ, potuit ſubiicere. Suſpicari iſta poſſumus, confirmare non ſane poſſumus.

Interim *Lomonoſſouii* exemplo et illi coniecturae indulgebo, vt Slauici et Alanici generis, quod vtrumque inter Sarmatas celeberrimum in hiſtoria ſtemma memoratur, proferam antiquiora quaedam veſtigia, quae in *Iuſtino* ***) deprehendere ſum viſus. *Sed apud Scythas*, inquit, *medio tempore duo regii iuuenes Ylinos et Scolopythus*

*) Geogr. l. II. c. XI. Tab. IV. Europae.
**) Geogr. l. II. c. V. Tab. VII. Europ.
***) Hiſtoriarum ex Trogo l. II.

thus per factionem optimatum domo pulsi, ingentem iuuentutem secum traxere: et in Cappadociae ora iuxta amnem Thermodoonta consedere, subiectosque Themiscyrios campos occupauere. Ibi per multos annos spoliare finitimos consueti conspiratione populorum per insidias trucidantur. Horum vxores cum viderent exilio suo additam orbitatem, arma sumsere. Mox cum *Amazonas* dictas memorasset, de eisdem plura deinceps persequitur. Non dubium, quin huic narrationi quaedam etiam fabulosa sint admixta. Neque ea propter reiicere prorsus omnia fas erit. Nos vel sola isthinc excerpere nomina satis habebimus. Ad Sarmatas, non ad Scythas, ea pertinere, vel eo luculentum fit, quod eorum coniuges fuisse Amazones dicantur. Has autem infra docebo Sarmatici generis fuisse. At ex voce *Scolopytos* haud difficulter Slauos deduxero: terminatio enim seu inclinatio vocis in *ytos* addititia duntaxat agnoscitur. Cetera cum vocibus *Scloui, Sclobi, Sclaui* facile conciliantur: nam litterae *b, f, p, v, w*, cum sint eiusdem, vt vocant, *organi*, omnibus in linguis facile inter se commutantur.

Ylinos vero sic itidem facile variatum fuisse autumo, vti vox *Alanus* vario tempore variaque dialecto iam *Alaunus*, vt apud *Ptolemaeum* l. c., iam *Vlanus*, vt apud *Froelichium*, de quo supra, et *Matthiam a Michouia* *), quos equidem familiis Tattarorum ibi immiscet; sed fabula, quam addit, scilicet e puella virgine esse prognatos, veterem redolet fabulam apud *Herodotum* **) et *Diodorum Siculum* ***) enarratam: quae sic refertur, vt iam ad Scytharum, iam ad Galatarum pertinere originem videatur. Sed si accuratius perquiras, ad Sarmatas spectare

*) In Chronico Pol. c. 16.

**) In Melpomene.

***) Bibl. l. III. c. 11. et rursum l. VI. c. 9.

ctare cognoſcitur: hos enim ex illa gente oriundos paulo poſt ibi *) *Diodorus* memorat. Eosdem iam ſupra **) ex *Ammiano Marcellino* oſtendi Sarmatas, ac ferme Maſſagetarum nomine a priſcis compellatos. Adde et alias de eisdem coniecturas viri doctiſſimi *Lomonoſſouii* †), qui etiam Roxolanos, Alanorſos et Roſſanos ab eisdem contendit oriundos. Qua in ſententia non ille debet ambitioſior videri, cum et alias gentes, easque Scythicas (nam de illis ſermo eſt), in iſtud quondam antiquitus tranſiſſe nomen *Ammianus Marc.* ††) demonſtret: *In immenſum extentas Scythiae ſolitudines Alani inhabitant, ex montium appellatione cognominati, paulatimque nationes conterminas, crebritate victoriarum attritas ad gentilitatem ſui vocabuli traxerunt.* Variant vero editiones in ipſa quoque lectione vocis *Ylinos*, vsque adeo, vt etiam *Plinos* alicubi legerim: quo maiore venia corruptionis aliquid hic ſuſpicari nobis liceat. Ceterum quae de his nominibus diuinata iſthic ſunt, non niſi tanquam eruditis in coniecturis ipſi ponimus, quas nec ſtudioſius vrgemus, cum hic noſtra haud quidquam interſit, valere illae queant, nec ne. Iſtud duntaxat retinemus, Slauos eſſe Sarmatas, ac proin Madai poſteros, quod iam inſtat confirmandum. Qua in re exoptandum ſane Germanicae genti foret, vt et illa ſui generis citare auctorem perinde, ac Slaui, poſſet. Sed erit id noſſe paene etiam in poſterum pro derelicto habendum, quando, quae plurimi iam viri doctiſſimi ea in re euigilarunt, euanida ſunt omnia.

§. IV.

*) L. III. c. 11.

**) Cap. I. §. VI. ſub finem.

†) Lib. cit. Part. I. cap. 5. ſub init.

††) Rer. Geſt. l. XXXI. cap. 5.

§. IV.

De Madai, Iapheti filio, Medorum Europaeorum progenitore.

Propaginis Medicae, cuius auctorem fuisse Iapheti filium Madai sacer scriptor ostendit, non in Media vetere Asiana, sed longe alibi gentem quandam, atque imo plures easque multo antiquiores inter ceteros Iapheti posteros ab isto conditas si reperiemus: tanto ab ea cogitatione, iam ceteroqui perplexa, abhorrebimus, vt familiam hancce Iapheticam quodam quasi in angulo inter medios deprehensam Semi posteros, circumfusis illi Assyriis, Armenis, Hyrcanis et Persis cum mari Caspio, putemus consedisse. Sententiae viam non aperui ego, sed mihi *Salianus* *), cui si suppetias quasdam attulero, satis de eo mereri potero.

Sic autem *Salianus*, cum fateretur, quosquos vidisset, a commentatoribus omnibus Medos, qui sacris in paginis in nomine Madai toties apparent, Iapheti posteros haberi; sic, inquam, prosequitur: *A quibus omnibus paene pudet dissentire. Dissentiendum tamen est, nisi velimus a constituta iam partitione discedere, et Iapheti filiis, quae ad Semum pertinent, attribuere, et in tot regionibus Semitarum vnam Iapheticam inserere, ac paene per vim intrudere. Quidsi Medos intelligamus non Asianos illos Caspio mari subiectos, Hyrcanis, Parthis, Persis, Assyriis Armenisque conterminos, ex Ptolemaei tabulis* **)*: sed Medos, Thraciae populos, Macedonibus vicinos? De quibus Ptolemaeus* ***) *in Europae tabulis, et lib. III. c. 11. Versus Macedoniam autem*, inquit, *et Aegaeum mare similiter Praeturae* (στρατηγιαι) *sunt Medica, Drosica, Coeletica etc. Fauet huic nostrae opinioni primo situs: in Europa enim, Iapheto debita,*

*) In Annal. Eccl. ad ann. m. 1931. num. 24.

**) Tabula V. Asiae.

***) Tabula IX.

debita, ſita eſt; deinde ſcriptio: habet enim diphthongum, vt propius accedat ad Hebraeum Madai, מָדַי, *quam Medi, ſiue* Μηδαι, *et Euſebius in Chronico Alexand. pro Madai habet* μοιδοι, *cum diphthongo* οι *pro* αι, *quam exigit haec dictio, vt notauit Ortelius in Theſauro Geogr. Praeterea probabile eſt, fratres fratribus vicinos eſſe maluiſſe, quam remotiſſimos. Vnus ergo regiones vicinas Boſphoro Thracio, alter Cimmerio occupauit, praeſertim ſi illic quoque aliquos de Gomeri filiis collocemus, vt ante diximus. Fateor quidem, Scripturam ſacram, quae huius Medi non meminit, illi Mediae Aſiaticae nomen Madai tribuere. Sed non eſt infrequens, idem nomen diuerſiſſimis populis conuenire; multae enim ſunt Alexandriae, et Antiochiae, et Seleuciae. Multas quoque regiones ac prouincias cognomines ſuggeret Ortelius in Theſauro. Chronicum Alexandrinum ab hoc Madai Britannos deducit. Cauſa mihi ignota.*

Subiiciam his ſupplementa inſuper quaedam, quibus viri docti coniectura porro queat corroborari. Medos Thracicos etiam *Stephanus* ac *Strabo* memorant, quorum hic per ε, ille per αι nomen effert: ſic autem ille *): Μαιδοι, εθνος Θρακης πλησιον Μακεδονιας, εκ τουτων μεταβαντες τινες εις Μακεδονιαν Μαιδοβυθυνοι εκληθησαν. *Strabo* autem **): *Et ipſi etiam Phryges, Thracium genus ſunt, Bryges dicti, ſicut et Mygdones, et Bebryces, et Medobithyni* (Μεδοβιθυνοι) *et Bithyni, et Thyni. — Iſti omnes Europam omnino deſeruere.* Vel potius aliis commixti populis partim in Aſiam, partim alias in terras, Graecis magis incognitas, commigrarunt. Ita Bebryces iſti, quos hic memorat, ex Thracia quidem in Aſiam transgreſſi, ſedes, teſte *Stephano*, iuxta Pontum et Iberos fertiliſſimo in ſolo

 ſibi

*) Lib. de Vrbibus et Gent.
**) Lib. VII. Geograph. pag. 286 edit. Baſil. 1549.

ſibi repererunt. At eosdem tamen in Aſia plane interiſſe, refert *Plinius* *), nec omnino quidquam apparet veſtigii, quo ab hoſte deleti ſint. Facile igitur diuinemus licet, eos cum Iberis in Europae partes maxime ad Occidentem ſitas transmiſiſſe: ſiquidem ibi Bebrycis regis, et Pyrenes eius filiae, a qua et montes Pyrenaei nomen acceperint, *Silius Italicus* meminit **): *Nomen Bebrycia duxere a virgine colles.* Et iterum ***): *Bebryciae Poenus fines tranſcenderat aulae.*

Quanta autem facilitate aliis quoque ſui generis populis Iaphetici fuerint conſociati, vel hic ipſe, quem laudaui, Strabonis locus teſtimonio eſt, qui trium ferme populorum in Medobithynis praebet ſpecimen; ſiquidem et Medi, et rurſum Thyni a Bithynis ibi diſtinguuntur, vti et *Claudianus* eosdem ſecreuit, cum ait †): *Thyni Thraces erant, quae nunc Bithynia fertur.* His igitur immixta pars Medorum quaedam in Thracia aliquamdiu haerebat; pars vero altera aliorſum, credo in Europam, transgreſſa, fortaſſis in Illyricum partim, partim Boream verſus ſe effudit, atque ibi quoque pluribus forte immixta populis, nomen paene amiſit. Certe Medorum generis nominisque vel apud *Ptolemaeum* in Sarmatia finitimisque populis complura reperias veſtigia maxime vocum compoſitarum. Apud *Appianum* quoque ††) iidem Medi Europaei etiamnum occurrunt: *Verum iterum*, inquit, *ex Illyriis Celtisque Scordiſci praecipue, ac Medi Dardanique in Macedoniam ſimul ac Graeciam excurrerunt, et multa ex ſacris depraedati, Delphicum iterum inuaſere templum.* Memorantur item a *Ptolemaeo* Madi †††), quos quidem

*) Hiſt. Nat. Lib. V. cap. 30.
**) De ſecundo bello Pun. l. III. v. 419.
***) Ibidem v. 442.
†) II. in Eutrop.
††) De bellis Illyricis p. 759.
†††) Tab. IX. Europae, cap. 12.

quidem *Mela* *) Macidos, *Xenophon* Madytos vocat, sitos in Chersoneso Thracica haud procul Sesto, exaduersum ab sinu Melanico. Quidsi Dalmatae quoque et Sarmatae ex his partem originis traxerint? Ita initio quidem suspicione ducebar ad coniectandum. Sed reperi paulo postea, de Dalmatis equidem tenuiora obscurioraque eam in rem nobis relicta esse vestigia, verum tanto expressiora de Sarmatis, vti iam ingredior dicere.

§. V.

De Sarmatarum ex Medis Europaeis origine.

Sarmatas, seu, vt Graeci extra contractionem efferunt, Sauromatas esse a Medis ortos, est apud veteres iam tum olim antiquiore fama res satis peruulgata. Hinc *Plinius* **): *Tanaim amnem*, inquit, *gemino ore influentem incolunt Iaxamatae, Medorum, vt ferunt, soboles, et ipsi in multa genera diuisi, primo Sauromatae Gynaecocratumeni: vnde Amazonum connubia. Dein Exazae etc.* Quo in loco Iaxamatarum vicem *Sarmatae* leguntur aliis in editionibus, et meo animo rectius: Sarmatarum enim apud geographos genera qua in Europae, qua in Asiae finibus cognoui complura; Iaxamatarum non nisi vnum, quod est idem, ac Γυναικοκρατȣμενων, de quibus mox deinde; sic enim et *Mela* †): *Ostio fluminis* (sc. Tanais) *proximi Iaxamathae. Apud eos easdem artes feminae, quas viri exercent etc.* Ibidemque et *Ptolemaeus* eos locat, secundum australem scilicet huius fluuii flexionem, qua fertur ad ostium. At *Plinii* hunc locum, vt amat, compendii facturus *Solinus* in errorem satis apertum hic incidit, vt scriberet ††): *Vltra Sauromatas in Asia sitos, qui Mithridati*

*) Lib. II. c. 2.
**) Hist. Nat. l. VI. cap. 7.
†) De Situ Orbis l. I. cap. 21.
††) In Polyhist. cap. 25.

thridati latebram, et qui originem Medis dederunt, confines ſunt Thalii etc. At non ſane ſecundum *Plinium* Medis originem dedere Sarmatae, ſed ab iis potius accepere.

Laudat et alium *Plinii* locum*) *Lomonoſſouii* interpres Germanicus**), quem conferre ipſomet in ſcriptore, vt alioqui ſoleo, curae non fuit, propterea quod nos certiores in praefatione verſor facit, locos ſe omnes auctorum recenti opera inſpexiſſe. Porro Slauorum colonias ex Media Aſiana veniſſe putat *Lomonoſſouius* †), atque iſthinc oriundas illas, quae in Europa quoque inuentae eſſent, Medorum gentes. Qui error ei, non obſeruanti, duos fuiſſe admodum diuerſos Medorum populos, et alterum in Europa iam ferme prius crebeſcentem, quam alter innoteſceret in Aſia, facile obtingere potuit; cum idem et priſcis quoque impoſuerit. Ita et *Diodorum* rear Medorum atque Aſſyriorum, quibus contermina eſt Hyrcania, vetere fama commotum, vt ††) Amazones circa Pontum ſitas ex Aſſyriis, et Sarmatas ex Medis deduceret, vbi ita habet: *Aucta viribus ea gens reges habuit memoria dignos, a quibus quidam Sacae, hi Maſſagetae; quidam Arimaſpi alio nomine appellati. Sub his regibus ex prouinciis a ſe bello ſubactis coloniae deductae ſunt, ſed duae maximae: altera ex Aſſyriis inter Paphlagoniam et Pontum poſita: ex Medis altera, pone Tanaim flumen, cuius populum Sauromatas appellarunt.* Vbi iterum quidem Sarmatarum a Medis origo confirmatur. Sed cum in Medos Aſianos res parum conueniat, quippe alibi occupatos, neque vlla re aut communione, qua eorum cum Sarmatis animaduerti neceſſitudo poſſet, cum eis coniunctos, locis item, maxime in Europae ſedibus, ſupra fidem diſtermina-

*) Ex Hiſt. Nat. l. IV. c. I. et II.

**) Lib. cit. pag. 14.

†) Tum hac pag. tum rurſus pag. 29.

††) Bibl. l. III. c. II.

minatos: ſcilicet intelligere cogimur, in Medis Europaeis hanc eſſe quaerendam generis propinquitatem. Certe, vt alia praetermittam omnia, quo pacto coloniae ex Aſſyria Mediaque aduentare Diodoro poterant, cum earum cunabula paulo ante dixiſſet ipſe in Scythia circum Araxen et Paludem Moeotidem exſtitiſſe?

Sed redeo ad propoſitum. Quae, inquam, veri ſpecies in eam poterat veteres coniecturam inducere, vt Sarmatarum a Medis originem repeterent? Non ſane Medi colonias aliorſum leguntur vſpiam deduxiſſe; ſed potius eorum in terras alii, Scythae in primis, irrupiſſe. Cur igitur a Medis, ſuo veluti in angulo ita concluſis, vt iſthac per obſtantes populos non facile poſſent ſuos aliorſum amandare, oriundos Sarmatas priſci credidere, niſi quod vetus ſupererat antiqui generis memoria, multorum conſeruata ſermonibus, ſed ad Medos pertinens Iapheticos, diu celebres, demum cum litteris carerent et monimentis, darentque ſe diſſipata propagine barbariei, prorſus obſcuros et obliuione hauſtos; non autem ad illos olim Aſiae domitores Medos, qui etiamnum ad vsque Parthorum dominatum floruerunt?

Ea ſi interpretatione in veterum locis conciliandis vtimur: equidem nihil erit in eisdem ad conſenſionem adducendis negotii, cum ſuapte ſic affluant, vti easdem olim rerum locorumque natura attulerat. Hinc et illud iam erit in aperto, cur Amazones quoque iuxta cum Medis inter Ludi poſteros numerauerit Chronicon Alexandrinum; equidem non omnino veriſſime, ſiquid perſpicere iſthic poſſumus: ſed ita tamen, vt a Medis ortas nos quoque confirmemus, Iapheticis ſcilicet, non Ludi poſteris, quales Medos Aſianos credi poſſe non pugno. Quod et nobis facilius aſſentientes geographos

habe-

habebimus: etsi quidem non desint, qui paene in Hyrcaniam quoque, Mediae conterminam, Amazonum gentem traduxerint *), et ii forte ea re ipsa, qua de quaeritur, decepti, quod a Medis scilicet crederent oriundas, ac proin in propinquo sitas. Enimuero cum sit Hyrcania cum Media continens: non dubitarem, si ibi sedes habuissent Amazones, quin ab his potius, quam ab Iaphe-ticis descendere eas verisimilius sit. At tam procul ab Hyrcania abest illarum ditio, vt, *Iustino* teste **), harum regina Thalestris ad Alexandrum, in Hyrcania tum agentem, profecta XXV. dierum itinere facto, tum demum eidem occurrerit.

Reliqui veterum plerique aut ad Paludem Moeoticam, vt *Herodotus* ***), aut ad Thermodoontem fluuium in Ponto, vt *Diodorus* ****), aut supra montes Ceraunios infraque Scymnitas ad fluuium Araxen, siue Rha (nunc Volga, Tartaris Edel) vt *Ptolemaeus* †) Amazonas collocauerunt: quae omnia quidem spatia satis inter se magnis distant interuallis. Quidsi omnino etiam Libycas adderemus Amazones, quas *Diodorus* vult ††) etiam Scythicis antiquiores? Et *Mela* quidem etiam Sauromaticas illas Amazones ab alteris Thermodoontaeis distinguendas videtur putasse, cum ait †††): *Intus sunt ad Caspium sinum Caspii, et Amazones, sed quas Sauromatidas appellant.* In quae verba *Vadianus* ††††) obseruat: *Sauromatides autem cognominantur*

*) *Curtius* quidem Lib. VI. cap. 10. *Erat Hyrcaniae finitima gens Amazonum.*

**) Epitom. Lib. II. et magis proprie lib. XII.

***) In Melpomene, seu l. IV. item *Seneca* in Hypolyto, vbi Moeotidas et Tanaitidas appellat. Alios v. infra.

****) Bibl. l. V. c. 2. *Claudianus* de R. Proserp. *Propert.* III. 14. etc.

†) Tab. II. Asiae, in Sarmatia Asiat. cui *Plinius* assentitur H. N. l. VI. c. 13.

††) Biblioth. l. IV. c. 4.

†††) De Situ Orbis l. III. c. 5.

††††) Comment. in Melam p. 185. edit. Basil. cit.

nantur ad differentiam harum, quae ad Thermodoontem in Ponto habitarunt, quarum prius facta est mentio. Huiusmodi qua locorum, qua rerum ſane incredibilium perturbatio iam tum olim veterum nonnullos *) in eam adduxit ſententiam, vt, quae de Amazonibus memorantur, omnia pro fabuloſis exploderent: in quibus praeſertim lectu dignus eſt *Strabo*.

Sed quoniam in rem iſtam forte incidimus, quae et cum propoſito noſtro cohaereat, et ambiguam habeat fidem, non ingratum erit lectoribus, ſi neque iſthic eosdem ſuſpenſos relinquamus; quanquam non niſi ſummatim iſta perſtringere ratio propoſiti patitur. Etſi igitur res Amazonum, vti eas plurimi prodidere, fabulis, quam vero videri ſimiliores debeant: tamen illas prorſus amandare neque auctoritas ſinit, neque hiſtoriae repugnantia vlla nos cogit: ſiquidem illa, quae difficillime creduntur, locis, temporibus, cauſisque, et auxiliis rite cognitis diſcreta planiorem omnino fidem habebunt.

Atque in primis auctoritatem ii praecipuam praeſtant, quos ſatis apparet minime fabulis delectari ſolitos. Neque iſtiusmodi deſunt teſtimonia; vt illud proin *Strabonis* argumentum non conſtet, cum ait: *Nam rerum Scriptores, qui maxime veritatem curant, et quibus fidei plurimum adhibetur, nihil tale dixerunt* (*ſc. de Thaleſtria* ad Alexandrum profecta) *et ſiqui dixerunt, inter ſe diſcordant.* At enim hem de Amazonum gente teſtem fide profecto dignum *Platonem* **), qui *innumeras* perhibet *mulierum myriadas Sauromatidas dictas, quibus non equorum modo, ſed et*

*) Vt *Strabo* Geogr. l. XI. *Arrianus* l. VII. *Diod. Sic.* l. III. c. 11. *Quae de iis magis fabuloſe, quam vere ſcrbiuntur:* it.] *Palaephatus* etc.

**) L. VII. de Legibus.

et arcuum, et reliquorum armorum communis cum viris exercitatio fit instituta. Cui adde *Nicolaum Damascenum* *) et *Hippocraten* **), ac *Plutarchum* †), qui etiam locorum indiciis pro testimonio vtitur: *Castra eas proxime vrbem habuisse testantur et locorum nomina, et sepulchra eorum, qui occubuerunt.* Praeterquam quod totius paene antiquitatis constanter traditam memoriam ea etiam propter repudiare non possum, quod nihil adeo fabulosum solet ferri, quin ex re quadam vera eidem origo fuerit. Amazones igitur non omnes deleamus, placide decet, sed demtis, quae affingebantur aut admiscebantur, quid verum videri queat, oportet exquiramus.

Paene illud vnum obsistit maxime, quo minus res queat credibilis videri, quod viri a feminis remouentur ab scriptorum quibusdam; at non item ab aliis, sed a plerisque ††) aut in confinio solent poni, aut etiam feminarum

*) Apud *Stobaeum* sermone V.

**) Libro de aere, aquis, et locis.

†) In Theseo pag. 11. edit. Heidelberg. 1561.

††) *Metrodorus Scepsius, et Hypsicrates* locorum non ignari ad montes Ceraunios Gargarenses eis maritos constituunt apud *Strabonem* l. XI. Iaxamatas vero *Mela* l. I. c. 21. Scythas contra *Herodotus* l. IV. quos tamen infra Sauromatas vocat. *Solinus* autem c. 27. eas cum Cimmeriis continuat. *Plinius* l. c. Sauromatas Gynaecocratumenos eisdem adiungit, inde dictos, quod sub feminarum imperio essent. Quae res per se incredibilis, quia tamen iocis opportuna, risus commouendi caussa etiam in longius est ducta, vt ementirentur, viris lactandos, cum partu feminae liberatae erant, traditos fuisse liberos; his instar puerperae in lecto decumbendum, aliaque feminarum munia fuisse obeunda: quae ex *Nymphodoro Coelius* lib. X. *Valerius Flaccus* l. V. *Diodorus Sic.* l. IV. c. 4. referunt. conf. *Ang. Politiani* Epistolam ad Pomponium Laetum. Equidem si feminarum opera vti in bello, et, quoquo ipsi contenderent, familiam secum ducere Sarmatae volebant: quoddam eis exercitationis et disciplinae alicuius militaris genus erat concedendum, quod facile reip. cuiusdam speciem praebebat. Inde fingendi occasio, tanquam eis viri paruissent. Re autem vera consuetudine mutua, necessitudineque natu-

narum ſocietas, qualiscunque fuerit, virorum praeſidio fuiſſe ſuſtentata oſtenditur *). Huiusmodi autem auxiliis ſi illae fretae tectaeque erant: nullae res geſtae, nullae expeditiones, nulli curſus victoriarum, in gente praeſertim vagari, et alias ſubito obruere conſueta poſſunt videri incredibiles.

Iam igitur de locorum quoque varietatis ratione exponendum eſt. Mox dein ad genus; indeque ad nomen

 demum

naturali easdem cum illis fuiſſe ſociatas, veterum accuratiſſimi quique ſatis oſtendunt; vt *Plato* l. c. tum *Metrodorus* et *Hypſicrates* apud *Strabonem* l. c. qui *earum alias* tradunt *operari*, *quae ad arationem et inſitionem pertinent. Sed praecipuam naſcendorum equorum curam habere. Robuſtiores vero in equis venationes ac bella exercere.* His adde *Hippocratem*, cuius hic eſt locus, quem memorauimus: *In Europa vero gens eſt Scythica circa Moeotin paludem ſita, et ab aliis populis multum differens, Sauromatae appellati. Horum feminae equitant, et arcubus, et iaculis ex equis vtuntur, et cum hoſtibus pugnant, quoad virgines permanſerint. Nec ante virginitatem ponunt, donec tres hoſtes interfecerint. Neque prius cum viris conſueſcunt, quam ſacra haec Deo patrio more peregerint. Quae vero viro nupſerit, equitatu ſoluta eſt, niſi communis expeditionis neceſſitas ingruat. Carent autem dextra mammilla; matres enim inſtrumento aeneo ad hoc artefacto et candente ipſis adhuc infantibus dexteram mammillam exurunt, quo fit, vt omnis creſcendi facultas pereat, et ad dexterum humerum ac brachium omne robur et copia transmittatur.*

*) Satis hoc indicat Poeta vetus (*Homerus*, ni fallor) apud *Strabonem* l. XII. qui Amazonibus duces viros adiungit Hodium et Epiſtrophum, τον Ὀδιον και τον Επιςροφον. Sagaciter quoque ex pluribus veterum monimentis ab ſe obſeruatum memorat *Goropius Beccanus* in Amazonicis l. VIII. p. 814. prolatis etiam ſcriptorum locis, paſſim ſcilicet, vbi de bellis Amazonum illi referunt, non procul ab eis remotos deprehendi Cimmerios, tanquam in expeditionis praeſidium intentos. Et feminis quidem etiam quaedam belli praeludia commiſſa cenſet ibid. pag. 891. *Quod vt caute facerent*, inquit, *ac citra temeritatem; matres et ſorores vna ibant, corpore totius roboris militaris in patribus conſtituto: qui quod ſequerentur, in ſubſidiis duntaxat eſſe credebantur ab iis, qui Cimbricae diſciplinae erant ignari. Hinc illud, quod Graeci ſcribunt, Cimmerios ad Sangarium,* et

demum ipſum deſcendemus, cuius maxime cauſa haec eſt a nobis inſtituta diſceptatio. Nam hoc quidem ſolum erat propoſiti noſtri: neque tamen cetera, etſi longinquiora, oportuit omittere, ne in re tam ambigua controuerſias relinqueremus: alioquin non ſane tam operoſe iſta perſecuturi. Locorum autem ratio ſic habet, vt ea poſſit facile ad quandam originem ordinemque adduci.

In

et iterum in Graecia Scythas, poſtremo in Ionia circa Homeri aetatem, vel paulo poſt, Cimmerios Amazonibus ſuppetias tuliſſe etc. At enim Scytharum nomine merito Sarmatas intelligi, ſatis confirmat *Plinius* l. IV. c. 12. vt ſupra oſtendimus. Rurſum cur Sauromatas ac Cimmerios eundem populum, nomine, non gente diſtinctum, vel illos potius iſtis ſubſtituendos autumem, facileque *Beccano* de re ipſa aſſentiar, etſi alia via ad rem confirmandam aggreſſo, his ferme ducor momentis. Nam is quidem originationibus ſcilicet ſuis Sarmatica nomina ex Belgico deducere nititur. At mihi illud in primis in veterum hac de re teſtimoniis reminiſcendum videbatur, quod priſcis Graecis ac Latinis harum gentium et res, et nomina non ſatis fuerint diſcriminatim cognita, vt proin ſaepe, vbi illi Scytham aut Cimmerium nominant, Sarmata ſit intelligendus, quod de ſe ipſi ſaepius fatentur, vt *Strabo* l. VII. *Nec enim Baſtarnas, aut Sauromatas, aut generaliter vllos ſupra Pontum habitantes nouimus.* Praeterea et illud cuidam indicio eſt, quod ipſe *Plinius* l. VI. c. 13. ait: *Sauromatae multis nominibus.* Tum quod *Strabo* l. VII. Cimmeriis *Boſphorum et Moeotin* ſedes attribuit; imo et terras a Moeotide paene vsque ad Colchidem porrectas: *In eadem*, inquit, *regione* (ſcilicet Trapezuntina) *Cimmerius mons eſt, in quo magnus fuerat Cimmeriorum ad Boſphorum potentatus, vbi et ſinus Cimmerius vocatur, quodcunque paludis Moeotidis oſtium continet.* Sauromatis autem easdem plane ſedes tum ipſe tribuit, vt lib. VII. *Haec autem* (ſc. loca inter Tanain et mare Caſpium) *habent partim quidem Moeotae Sauromatae, et, qui inter Hyrcaniam et Pontum vsque ad Caucaſum, et Iberes, et Albanos Sauromatae:* tum vero de eisdem Sarmatarum vario ſub nomine ſedibus etiam ceteris geographis prorſus examuſſim conuenit. Vt proin aut eadem cognataue, aut cum Sarmatis fortaſſe commixta gens videri illi queant Cimmerii, quos vtique perperam cum Cimbris miſcet *Goropius*,

In primis ipſe *Curtius*, qui Hyrcaniae Amazonum gentem admouet, tamen circa Thermodoontem ad Caucaſum et Phaſin vsque earum reginam Thaleſtrin regnaſſe memorat. Abeſt autem, *Radero* confitente *), Themiſcyra Thermodoontis e regione ſita ab Hyrcania ſaltem CLXXXVII. milliaribus Germanicis. Vnde geographiae imperitia potius, quam auctoritate quadam ductum haec ſe prodidiſſe, nec re quidem vera a ceterorum narrationibus diſcrepare, ſatis *Curtius* ſignificat.

Tum vero non ſimul, neque ſemper diuerſas illas ſedes ab eis cultas, iam et priſci indicarunt, vti *Palaephatus* **), qui Amazones antea Alopam (Ponti vrbem, vbi Pentheſilea nata dicitur) poſt demum Zeliam Phrygiae, aut forſan Lyciae (ſi eo vsque genus Sarmaticum graſſatum eſt) vrbem prodidit habitaſſe: *Palaephatus ex Amazonibus tunc Alopam, nunc vero Zeliam habitantibus Odium et Epiſtrophum cum exercitu veniſſe.* Primam quidem ad Thermodoonta ſedem deſignare viſus eſt *Herodotus* ***); certe ibidem victas, indeque abductas ſignificat, antequam ad Moeotidem eis proxima eſſet progreſſio. At vnde in Pontum atque ad Thermodoontis oras primum acceſſerint, hoc maxime quaeritur. Per Boſphorum Thracicum gelu concretum illo veniſſe *Hellanicus* tradidit †); quod, quantum ad transmittendi quidem modum attinet, parum fit veriſimile, quin tamen ea propter rem ipſam auſim temerare.

Porro Gargarenſes, ſe cum Amazonibus ex Ponto, ipſaque Themiſcyra in ea, quae deinceps coluere, loca narrant ††) profectos, ſed exorto poſtmodum diſcidio

 Thra-

*) Commentario in hunc *Curtii* locum.

**) Apud *Strabonem* lib. XII

***) In Melpomene, ſeu lib. IV.

†) Apud *Plutarchum* in Theſeo pag. 11.

††) Apud *Strabonem* l. XI.

Thraces Amazonibus adfuiſſe, quoad pax demum quibusdam conditionibus conficeretur. Quae omnia ſatis declarant, ex Thracia primitus digreſſas veniſſe in Aſiam (alioqui Boſphorum, vt prodit *Hellanicus*, ſuperaſſe non oportuit) variisque in Aſia erroribus circumactas ferme virorum fortunam ſecutas fuiſſe. Et receptus quidem in Thraciam per Boſphorum non adeo illorum praeſidio videri difficilis poteſt, ac dein per Sarmatiam vtramque in ſuperiores illas vltra Moeotin et Caſpium mare interceptas prouincias: nam ex Europaeis Moeotidis tractibus eas tranſiſſe *Hippocrates* ſignificat; quanquam et ex Ponto quid impediebat?

Iam vero genus ex Thracia ductum ſatis hactenus multa oſtenderunt indicia; in primis, quod Sauromatidas ac Sarmatarum feminas veterum ferme omnes conſtanter appellant: vnde et illas Gargarenſibus iunctas ſupra Ceraunios montes *Plinius* *) ac *Mela* **) diſerte inſignierunt, ne quis Sarmaticae ſtirpis eas fuiſſe dubitaret. Nos autem hanc gentem in Thracia ſitam, prognatamque ex Medica, iam ſupra monſtrauimus. Qua in re etiam *Bochartus* aliquid attigit, dum Sarmatas a שאר מדי, *Sar* vel *Sear Madai*, tanquam Medorum reliquias interpretatur, recte ille, quantum ad partem vocis alteram, niſi ad Medos Aſianos has, quas vocat, *reliquias* referret: quibus quidem ab hac notione minime rear factum nomen fuiſſe, ſed potius ab iis Thraciae populis, quos Phauorinus ſeu Fauorinus *Sauras* appellauit. Et vero Threiſſas Amazonas, ac propterea in fabulis Threiicii Martis filias rerum poeticarum tractatores non pauci ***) olim decla-

*) Hiſt. Nat. l. VI. c. 13.

**) De Situ Orbis l. III. c. 5.

***) *Valer. Flaccus* l. IV. *Seruius* XI Aeneid. *Lactant.* 5 Thebaid. *Auienus* ex Dionyſio.

declararunt. Hem ea de re *Dionyſii* verſus *), qui ad plura huius propoſiti capita queant pertinere:

Η τοι μεν λιμνης Μαιωτιδος αγχι νεμονται
Αυτοι Μαιωται τε και εθνεα Σαυροματαων
Εσθλον ενυαλιου γενος Αρεος etc.

At prope Moeotin Moeotae nomine degunt
Sauromataeque genus clarum Mauortis in armis,
Non citra cauſam, quod ſint inſignis amoris
Pignus Amazonidum; quo mixtae fortibus olim
Sauromatis fuerant; longis erroribus actae
Sedibus e patriis, et Thermodoontis ab vnda.
De generoſa igitur ſtirpe eſt generoſa propago
Immenſas habitans ſiluas, quas ſyrmate longo
Perlapſus Tanais Moeotis conditur vndis,
Europam atque Aſiam ſcindens, hanc ſolis ad ortum,
Solis ad occaſum cernens Europica regna.

Apud *Iornandem* **): *Pugnabat Hercules, et Melanes paene plus dolo, quam virtute ſubegit.* Quid hoc ſibi nomen velit, ſatis mirificum quibusdam viſum, vt etiam nomen corruptum ſuſpicarentur. Nobis plana omnia: nam ſinus quidem Melanes, qui *Plinio* ſaepius eodem in loco †) memoratur, Maediae, vnde Amazones oriundas diximus, paene circumfunditur. Praeterea et Melanchlaenae in Sarmatia *Ammiano Marcellino* ††) memorantur. Porro vt nomen *mad* in *maed*, *med*, vel *meth*, *mod*, vel *moth* varie ſit conuerſum, quemadmodum in aliis huiusmodi, facile intelligimus fieri et potuiſſe, et tot inter dialectos paene debuiſſe: cuius nominis in Thracicis appellationibus et loco-

*) In Perieg. pag. 89. vertente *Beccano.*

**) De Rebus Gethicis cap. VIII.

†) Hiſt. Natural. l. IV. cap. 11.

††) Rer. Geſtar. l. XXXI. cap. 5. etc.

locorum et hominum quamplurimis vestigia relegi queant; vt in Sauromatis, Iaxamatis, Thermodoonte etc.*). Imo et ipsum forte Amazonum nomen praeposita siue particula, siue articulo *a*, vel *ha*, vt in pluribus aliis factum obseruat *Hornius* **), compositum suspicemur licet ex *mad* et *son*; de quorum significatu tamen veteris Maedicae ignari diuinare non audemus: neque facile cuiquam fas erit. At certe si cum ceteris aliorum originationibus huius nominis compares: nihilo ista, etsi significatu cassa, videri deterior potest. Alii a dextera mamma, quae Graecis μαζος dicitur, ipsis exsecta: alii a μαζα, *pane*, quo caruerint, feris escis victitare solitae: rursum alii appellatas volunt ab ἁμαζην, tanquam in commune viuentes sine viris †). At profecto neque ex Graeco, neque ex Hebraico appellationis ratio est, sed multo verisimilius ex ipso genere. Nam etsi ab Scythis, *Herodoto* teste, Aeorpatae dicebantur, id est, virorum interfectrices, hostium scilicet, non maritorum: tamen nec Amazonum propria videtur ista appellatio, sed apposito similior nomini: nec sermo Sarmaticus idem, qui Scythicus (quanquam alioqui haec nomina saepe commiscentur) ipso id *Herodoto* significante ††): *Sauromatae putantur lingua Scythica soloecissare, id est, corrupte vti, quod eam ab initio non probe didicere Amazones.* Fuerat proin earum sermo saltem antea diuersus. Atque ita nos sane malumus *nomen* eis ex *generis* origine factum suspicari; cum hoc quidem satis iam certis tenere indiciis videamur, istud autem indidem duci queat. Non igitur Iaphetico Madai populosa posteritas defuit.

§. VI.

*) Apud *Ptolemaeum* Tab. VII. Europae, c. 5. et Tab. II. Asiae etc.

**) In Arca Noae pag. 52.

†) Cuiusmodi originationes ex *Eustathio* et *Stephano* conscriptas habes apud *Coelium* lib. X. c. 30.

††) In Melpomene, seu lib. IV.

§. VI.

De Medis Asianis ab Iaphetico genere probe segregandis.

Ad eas, quas iam supra, cur Medi Asiani Sarmatis nomen originemque dedisse censendi non sint, interserui rationes, ab situ horum populorum, ab societate, communitate rerum, morumue similitudine, foederibusque, quae illis nulla leguntur fuisse, itemque ab indiciis omnis reliquae historiae, quae nullas Medorum Asianorum illuc colonias, nullas causas migrationum vspiam ostendit, repetitas accedit et illud ad coarguendum sane grauissimum argumentum, quod *Herodotus* memoriae proditum reliquit, Mediam olim non hoc nomine appellatam fuisse, sed longe diuerso; vnde et generis auctorem a Madai longe diuersum, et rursum nominis multo posteriorem intelligimus agnoscendum. Atque ita illud, quod supra tanquam in rebus certis numerauimus, oppido confirmatur, scilicet Medum Iapheticum Semi posterorum nemini eam prouinciam praeripuisse; proinde huius primordia vltra Euphraten in Asia non quaerenda esse, sed propius ad Europam; sane quidem cum nulla Medorum nominis initia iam tum primitus in Asia penitiore, sed multo demum postea fuerint. Sic enim *Herodotus* de Medis refert *): *Illi quondam ab omnibus vocabantur Arii: sed vbi ad eos concessit ex Athenis Medea Colchis, immutauerunt et ipsi: ita de se ipsis Medi commemorant.* Quae sic prorsus itidem et *Pausanias* tradit **). Sed ita saltem referuntur, vt, si vel examussim vera essent, nemo posset, nisi admodum credulus, fidem habere. Itaque Medeam quidem, eiusque Medum filium, perinde vt in Persis Perseum et Persen, statim detrahemus. Sed Arios passim ab omnibus appellatos possumus, tanquam in re tum peruulgata, credere.

Ex

*) Lib. VII.

**) In Corinthiacis Lib. II.

Ex his autem illud coniecturae licebit excipere, aut ex vlteriore Perside Carmaniaue potuisse in Ariam primam aliam propaginem esse transgressam, et inde sua sobole laborantem, Mediam quoque implesse; aut e Media colonias in Ariam conterminam misisse, hisque iunctos alias etiam regiones Indiae proximas subegisse; quas deinde Arianes nomine ita comprehendere geographi, vt tamen ab Aria accurate eas distingui vellent: namque in Ariana Paropamisum, Bactrianam, Sogdianam, Parthiam, Arachosiam, Gedrosiam, Carmaniam etc. complexi sunt; Ariam vero iis conterminam cumque Media continentem ponunt, vt *Ioachimus Vadianus* ex priscis ostendit *). Subit igitur suspicari, cum Arii quidem gens fuerint obscura paene, cuiusque duces ac victorias nemo memoret, Medorum autem vires resque gestae et occupationes iam inde ab Arbace fieri nobiles coeperint, excitatiores deinde etiam sub Phraorte eiusque successoribus, omnes proinde ditiones illas, quae Arianes sub nomine Ariis tribuuntur, Medis esse tribuendas, qui Ariorum etiamdum nomen retinuerint, postmodum vero Medorum appellationem forsan ea ipsa ex re sibi asciverint; quod milites pugnacissimi ac bello inuicti essent.

Coniecturam hanc, etsi nouissimam, locus *Ezechielis* **) non nihil sustentat, vbi de Tyri magnificentia exponens recensere pergit, quales populos habeat aut mercimoniis sibi coniunctos, aut mercedibus stipendiisque deuinctos, in quibus paulo ante Persas, Lydios et Lybies enumerauerat, qui ornandae vrbis gratia scuta ac galeas suas in ea suspendere solerent, proximo versu subiungit: *Sed et*

Pygmaei

*) Commentar. in Lib. I. *Pomp. Melae* pag. 17 et 18. edit. Basil. 1522. et *Strabo* l. II. p. 122. edit. Basil. 1549.

**) Ezechielis cap. XXVII. v. 11.

Pygmaei, qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum: ipſi compleuerunt pulchritudinem tuam. Vbi Pygmaeos vertit *Hieronymus* et *Aquila*, qui hebraice גמדים, Gammadim vel Gamadim dicuntur. Neque tamen velim autumes, pygmaeorum nomine iſthic ab S. doctore homines denotari, quorum ſtaturae modus ſit iuſto breuior, ſed hoc vocabulo a Graecis repetito eandem exaequari notionem, quam vox hebraica ſubiicit: nam vt ait *Hieronymus* *): *Pygmaei dicuntur* απο τȣ πυγμης, *id eſt, a lucta et certamine.* Ac proin egregium bellatorem notat. Hebraica autem vox Gammadim a primitiuo עמד, amad, *conſtitit, perſtitit,* ducta videtur, vt proin fortem immobilemque praeſidiarium aut militem ſtationarium denotet; vnde et vir rerum iſtarum perſpicaciſſimus *Weitenhauerus* Pygmaeos in ſua explicatione *Praeſidiarios* conuertit.

Sed hic controuerſia varietasque inter interpretes aliqua naſcitur, quae a nobis quidem belliſſime conciliari poteſt, dum alii in *Gammadim* nomen *appellatiuum*, alii *gentile* accipiendum putant. Nam illi quidem, quos dixi, ipſos Tyriorum milites interpretantur; alii vero *Medos* reddiderunt; vt *Symmachus*, et LXX. Intt. Etſi enim *Cornelius a Lap.* ac *Sanctius* ab LXX. dicant verſum eſſe *Cuſtodes*: tamen in illa LXX. Interpretum editione, quam *B. Arias Montanus* iuſſu regio foras dedit, virorum circumquaque doctiſſimorum comprobationibus ornatam, non niſi Μηδοι leguntur. *Theodotion* in verſione ceu nomen proprium *Gammadim* retinuit. Paraphraſtes Chaldaicus,

*) Commentar. in Ezech. Conf. eadem de voce *Fullerus* in Miſcell. S. lib. VI. c. 3. *Dictericus* in Antiquit. Bibl ad l. c. *Ludolfus* Comment. ad Hiſtor. Aethiop. a p. 73. *Pfeiferus* in Dub. vex. ad l. c. et *G. A. Anthinus* in pec. Diſſ. de ſublecta των *Gammadim*, per *Pygmaeos* interpretatione.

daicus, credo, litteram *p* cum *m* commutatam ratus, *Cappadoces* appellauit. At vero conueniunt ſane in Medos res maxime duae: tum quod ibi veluti ſtudioſe non niſi exterarum gentium nomina recenſentur, vt proin et haec vox nomini proprio videatur multo ſimilior: tum quod Medorum conſuetudini belle congruunt, quae adduntur; namque et bellatores ea tempeſtate acerrimi habebantur Medi, quos *Horatius* quoque *horribiles* dixit *); et iam antiquitus quoque tales viſos oſtendit *Herodotus*, cum ait **): *Athenienſes primi omnium Graecorum — ſuſtinuerunt cernere Medica veſte indutos, cum antehac vel audire nomen Medorum Graecis terrori fuiſſet.* Porro ornatus ipſe illorum bellicus ſagittandi maxime vſum declarabat; vnde idem *Horatius* ***): *Decori pharetra Medi.* Quae quam opportune ad locum Ezechielis faciant, nemo eſt, quin videat.

At noſtra quidem coniectura neutram conuellit explicationem, ſed potius, cur iungi vtraque contexique debeat, cauſas affert ſatis idoneas; nam Medos quidem autumamus diutiſſime, ac paene ad illa vsque regum tempora Ariorum nomen retinuiſſe, ac forte primitiuum hebraicum *ammad* in ſermone etiam Medico ſuperfuiſſe; ſed ferme variatum non nihil immutatumque; forte etiam a quodam maiorum aut principum Medicorum non abſimilem ob cauſam iam adſcitum fuiſſe, aut alicui impoſitum. Ita nullo negotio ſententia vtraque componi poſſet, vt et gentem Medicam deſignet hoc nomen, et gens ipſa Medica ab eo ſit dicta, quod nominis notio declarat.

*) Carminum lib. I. Ode 29.
**) Lib. VI.
***) Carm. lib. II. Ode 16.

DE

DE
AMPLITVDINE
SCANDINAVIAE,
SEDIBVS ET ORIGINIBVS
SLAVORVM.

PRO ANNO MDCCLXXIV.

Redit ad dominum, quod fuit ante suum.

PER SCHLOSSERVM,

PAROCHVM PAGI PROPE VRBEM BONNAM SITI.

ELENCHVS.

PRAE-

PRAEFATIO.

Praeclaram admodum et summe singularem *Tullius* laudem historiae tribuit, cum eam *testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, et nuntiam vetustatis* appellat. Enimuero quid comperti nobis hodiedum esset de famosa veteri Scandinauia, nisi antiquissimorum ille *temporum testis* id ipsum nobis patefecerit? Aut qua ratione et nosse, et concludere liceret, fuisse quondam tot gentium, Vandalorum, Slauorum, Hunnorum, Bulgarorum, Saxonum, Danorum, Herulorum, Gothorum, aliarumque plurimarum migrationem, eamque toto orbe decantatam, nisi tam vera *vetustatis nuntia* eam ad nos retulisset? Praeterea horum populorum et maxime Slauorum originem, alioquin sat difficilem, adhuc multo difficiliorem esse arbitror, nisi *lux* illa *veritatis* efficeret, quo illa clarior orbi historico appareret. Ex hoc facile decernimus, eam esse *vitae magistram* historiam, quae inter tam periculosas humanae vitae varietates, et tanta inter discrimina rerum securum iter monstret, et, quid aut fugiendum, aut amplectendum, fideliter edoceat. Ad prudentiam aspiras, lege res gestas, euolue gentium annales, et (quod etiam Basilius princeps Leoni filio praecipue commendauit) *per historias veteres ire ne recusa. Ibi enim reperies sine labore, quae alii cum labore collegerunt, atque illinc hauries et bonorum virtutes,* et

Cicero Lib. 2. de Oratore ad Q. fratr.

Basilius ad Leonem, ed. Lipsii Cap. 56.

et improborum vitia; vitae humanae varias mutationes, et rerum in ea conuersiones, mundi huius instabilitatem, et praecipites imperiorum casus. Et vt verbo complectar, malorum facinorum poenas, et bonorum praemia, quorum illa fugies, ne in iustitiae diuinae manus incidas, haec amplecteris, vt praemiis, quae ea comitantur, potiaris. Quis igitur hanc excellentissimam *memoriae vitam* historiam omni laudum, omni scientiarum generi anteponendam non arbitretur, qua vno eodemque tempore et praeterita speculari, et praesentia examinare, et ex his futura licet praedicere? Si vtilitatem, si iucunditatem spectes, historia *nihil vtilius iucundiusque cogitari potest. Haec iuniores antiquioribus aequat prudentia, haec natu maioribus rerum experimenta subministrat, haec priuatos viros imperio dignos efficit, et omnium rerum series, quibus hominis felicitas paratur, tribui historiae debet.* Quare verissimum est, historiam esse ad reipublicae et laudem et vtilitatem rem praestantissimam; eamque rempublicam, in qua vigent historiae, merito felicissimam esse nuncupandam.

Diodor. Siculus in prooemio de vita Philippi et Alexand. M.

PROBLEMA HISTORICVM

IN TRES PARTES DIVISVM.

In prima accurate definiendum, quam late patuerit vetus Scandinauia, ex qua Slauos et Bulgaros quidam scriptores oriundos autumant, anque ad ostia Vistulae pertinuerit, decernendum.

In secunda ad origines Slauicas accuratius eruendas docendum, vtrum Slaui ab Albi in Dalmatiam, an ex Dalmatia ad Albim venerint.

In tertia indaganda et iudicanda opinio eorum, qui Slauicas et Danicas gentes a Dodanim deducunt.

DIS-

DISSERTATIO.

PARS PRIMA.

In hac accurate definiendum, quam late patuerit vetus Scandinauia, ex qua Slauos, et Bulgaros quidam scriptores oriundos autumant, et an ad ostia Vistulae pertinuerit, decernendum.

CAPVT PRIMVM.

Proponuntur varia Scandinauiae nomina, quibus veteres auctores de illo tractu disputarunt.

1) Scandinauiae nomine venit tractus ille magnus Europae septentrionalis, vastissimaque peninsula, cui magnitudinem incompertam veteres scriptores attribuerunt, quam etiam gentium officinam et vaginam, imo alterum quasi orbem cognominarunt.

2) Hanc peninsulam sicuti antiquiorum temporum scriptores modo ad Pontum, modo ad Oceanum septentrionalem statuerunt, modo etiam arctiorem, modo diffusiorem fecerunt, ita factum etiam fuit, vt non vno sub nomine de eadem antiqui scripserint. Plurimae eaeque vel sibi affiniores, vel etiam a se discrepantiores sunt illius compellationes apud veteres historiographos, quas ad clariorem incompertae tum Scandinauiae notionem hoc loco memorandas duxi.

3) Scandinauiam *Pomponius Mela* Codanouiam appellat, et insulam ad Codanum sinum fuisse indicat, a *Mela* Lib. 3.

 Teu-

Teutonibus habitatam, a quo Codanouiae nomen accepiſſe tradit. Quae ſi inſpiciantur et examinentur accuratius, facile intelligetur, Scandinauiam veterem fuiſſe ipſammet Cherſoneſum Cimbricam, vbi Teutonum olim ſedes erat.

4) Codanouia Codorum Gothorum, ſiue Iutarum inſulam ſignificat, vti Codanus ſinus ſinum Iutarum, qui etiam Anglo-Saxonibus et Septentrionalibus Geatae, vel Gautae, atque inde ſinus ipſe Gaudwick et corruptius Gandwick dictus eſt, quem cum Grandwic ſiue Cronio procedente tempore confuſum ex hiſtoriis nouimus.

5) Porro hanc Gandwici vocem *Solini* tempore in vſu fuiſſe putandum, praeſertim cum conſtet, *Solinum* pro Scandinauia Gangauiam poſuiſſe. Hinc vbi poſteris temporibus Haquinus, Norwegiae Rex, apud Snorronem omnia adminiſtraſſe dicitur inter Gotelbam et Gandwici oram, hoc interpretandum eſt, illum regnaſſe ab Albi ſupra Vplandiam in Bothnicum ſinum ſeſe exonerante vsque ad ſinum Codanum, hoc eſt, per Sueciam, Scaniam et Norwegiam.

6) Codanouiae nomen deinde paulatim corruptum eſt in illud Condanouiae, Scondanouiae, Scandanouiae et Scandinauiae, quod vltimum iam apud *Plinium* reperitur.

7) *Ptolemaeus* nomen Scandinauiae in Scandiam coarctauit, atque ex vna inſula quatuor facit, easque ad orientem Cherſoneſi Cimbricae collocat; maximam autem ipſarum et maxime orientalem iuxta Viſtulae oſtium poſitam eſſe refert.

8) *Iornandes* eandem paene, quam *Ptolemaeus*, de Scandinauia deſcriptionem facit, praeterquam quod eam mutato

mutato rursum nomine Scanziam appellet, et in modum cedrini folii formatam tradat. Omnia haec conueniunt insulae Gothlandiae.

9) *Paulus Diaconus* et multi ex posterioribus ex Scandinauia fecerunt Scaniam; quo autem iure hoc factum, ipsi viderint. Etenim si vocem Scaniae de septentrionali tantum aliqua Scandiae parte intelligamus, qualiter intellexerunt hi autores, etiam atque etiam a vero aberrabimus. Scania enim est Scandiae, seu Scandinaviae veteris pars singularis, quae Suecis hodiedum paret, nihilque commune habet cum illo Scandiae vel Scandinauiae nomine.

10) Sunt etiam alii ex veteribus scriptoribus, qui Scandinauiam appellant Baltiam, Beltiam, Basiliam. Sunt adeo, qui eam ipsam Thulen vel Tylen insulam fuisse referunt. Vnde mirum non est, multos etiam ex prudentioribus autoribus circa Scandinauiae situm, terras contentas et fines tam enormiter fuisse deceptos, multos quoque vero tam contraria, tamque portentosa de eadem posteris reliquisse. Quare in hac materia obscuritatibus tam inuoluta decertans mature sibi consulat caveatque, cum tam diuersa apud diuersos autores idem tamen significantia vocabula reperiat; atque haec diuersa earundem vocum significatio exactissime obseruetur, necessum est, quotiescunque occurrunt res tam abstrusae, et opus tam periculosa plenum alea.

11) His breuiter praetactis, quod caput rei est, ad propositae quaestionis elucidationem vt propiores euadamus, dispiciendum, quas terras, quos populos, situs finesque vetus Scandinauia complexa fuerit, ac quam late sese antiquitus extenderit. Equidem si vnquam in aliqua historia sibi contrarientur scriptores, in descriptione

 Scan-

Scandinauiae profecto sunt maximae illorum concertationes et disconuenientiae. Recentiores historiographi vnde hauserint opiniones suas, nisi ab antiquioribus? Et neque hi carent suis obscuritatibus. Optimum hic fuerit, nonnullorum, praesertim antiquiorum, sententias adducere, examinare, atque, si fieri possit, etiam conciliare. Quodsi hac ratione demta obscuritate clarior huic historiae lux allata fuerit, procul dubio acquiescendum censeo.

CAPVT SECVNDVM.

Adducitur et iudicatur sententia Plinii de Scandinauia, quam suo nomine Scandiam et Scandinauiam appellat.

Pontanus in descrip. rer. Danic.

12) Inter autores latinos antiquiores (*Pontano* teste) praecipue *Plinium* reperimus, qui Scandiae et Scandinaviae nomen vsurpauit. Ante eius vero aetatem etiam Graecorum monumentis celebratum Baltiae, et corrupte Basiliae nomen pro illo Scandinauiae in vsu fuisse idem *Plinius* manifestat verbis sequentibus: *Exeundum deinde est, vt extera Europae dicantur, transgressisque Riphaeos montes littus oceani septentrionalis in laeua, donec perueniatur ad Gades, legendum; insulae complures sine nominibus eo situ traduntur, ex quibus ante Scythiam, quae appellatur Baltia, abesse a Scythia diei cursu, in quam veris tempore fluctibus electrum eficiatur, Tymaeus prodidit.* Et statim deinde: *Xenophon Lampsacenus a littore Scytharum tridui nauigatione insulam esse immensae magnitudinis Baltiae tradit.* Eandem *Pytheas* Basiliam nominauit. Atque inde iterum ibidem: *Seuo mons immensus, nec Riphaeis iugis minor immanem ad Cimbrorum vsque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis, quarum clarissima Scandinauia est incompertae magnitudinis, portionem tantum eius,*

Plin. lib. 6. cap. 12.

quod

quod sit notum, Hilleuonum gente incolente, quae alterum orbem terrarum eum appellat.

13) Ex his verbis colligere licet, Scandinauiam quidem nominasse *Plinium*, sed insulam existimasse, cum tamen reuera perspectiore hodiedum orbe peninsula sit. Patet etiam, *Plinium* Baltiam quoque Graecorum in eo tractu cognouisse. Verum non video, vnde venerit, quod *Plinius* praeter dictam Scandinauiam adhuc aliam crediderit Scandinauiam; cum tamen hodiedum eam Scaniam appellant, et quae antiquitus Baltiae vocabulo, quod Graeci suggerunt, indigitata fuit, a Baltico, quo hodiedum alluitur, mari. Nam et huius etiam nominis appellatio superstes durat, cum mare istud, et maxime quod est inter Fioniam et Zelandiam, populariter ab indigenis Belt appelletur. Scania vero, vt etiam alias dixi, sumenda est pro aliqua Scandinauiae parte septentrionali et singulari, quae hodiedum Suecica prouincia est.

14) Sed iam ipsam Scandinauiae terram ingrediamur, et videamus, quae sit secundum veteres, et maxime hoc loco secundum *Plinium*, Scandinauiae magnitudo et diffusio. Primum verba *Plinii* satis ostendunt, Scandinauiam maximam autoribus proditam fuisse; cum a gente Helleuonum, quae portionem tantum eius incoluit, alter terrarum orbis sit indigitatus. Et quidam haec habitari, secundum *Plinium*, ad Vistulam vsque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scyris et Hirris tradunt. *Solinus* Scandinauiam e Germanicis insulis maximam facit, et nihil in iis magnum esse, praeter ipsam tradit. Neque etiam Graeci, et inter eos praesertim *Xenophon Lampsacenus* ab hac opinione dissensit, cum illam insulam esse immensae magnitudinis docuit. Neque *Tacitus* discrepare videtur, cum, caetera Oceano latos sinus et immensa spatia complectente amb-

ambiri referat. Quae facile quenquam induxerint ad credendum, Scandinauiae nomine id totum accipiendum esse, quod hodie Scaniae, Sueciae et Norvegiae regnis cum adiacentibus proxime Biarmiis, Lappiis et Finnomarchiis, vocabulo intelligimus.

15) Verum hic contrarius est *Plinius*, qui discernere videtur, cum Eningiam haud minorem esse Scandinauia ex opinione referat, atque inde aut ad duplicem Scandinauiam delabatur, aut saltem eam multo ampliorem, quam in praecedentibus posita fuit, statuat. Equidem sunt, qui velint, Eningiam esse Finningiam, id est, Finnmarchiam. Iam vero cum *Plinius* exaudisset vel legisset apud autores Schoningiae vocem, Schoningiam quoque aliam hoc tractu insulam statuit, quam librarii corrupte Eningiam protulere. Quamuis et suspicari quis possit, Eningiam, si *Plinio* pro Finningia sit posita, intelligendam fortasse Fioniam, quam *Adamus Bremensis* Finien appellat. Atque hoc intellectu Eningia, siue pro ea accipi debeat Finningia, id est, Finnmarchia, siue Fionia; ad Scandinauiam veterem pertinere dicenda est. Quod autem *Plinius* eam Scandinauiae similem magnitudine faciat, non video, quomodo cum aliis autoribus, qui etiam de Scandinauia scripserunt, hic conciliari possit. Ego quidem existimo, ignoscendum in hoc casu *Plinio*, quia ex sola opinione isthaec, non autem tanquam certa refert; forte enim factum est, vt, cum perceperit, Fioniam, aut altero nomine Eningiam, multis insulis refertam, quae numero nonaginta, et praecipue Lalandia, Falstria, Femera, sed omnes paruae sunt, omnes praegrandes autumarit. Atque hinc etiam pariter ex opinione *Plinium* dissertasse crediderim, quod vel Scandiam a Scandinauia distinctam, vtram-

vtramque vero immensae magnitudinis insulam, aut Scandinauiam duplicem statuerit.

16) Alio in loco de hac materia *Plinius* haec habet: *Sunt, qui et alias prodant, Scandiam, Dumnam, Bergos, maximamque omnium Nerigon: ex qua in Thulen nauigetur.* Atque hoc loco ex quorundam sententia diuersas Scandiam, Nerigon, Bergos et Dumnam facit insulas; quo et ire videtur *Tacitus*, latos sinus et insularum immensa spatia agnoscens, cum hodiedum Noruagia et Bergos cum Scandia coniuncta vnam eandemque continentem efficiant. Notandum autem in verbis *Plinii*, Nerigon proximo flexu ac sono id regnum dici, quod hodie vulgo incolis Norige, et contractius Norge appellatur; atque idem emporium Bergos nostris adhuc temporibus hac appellatione notum aut aetate *Plinii* aut ante pro insula habitum: sed earum omnium maximam esse Nerigon. Quod et ipsum haud omnino falsa relatione acceptum, cum adeo hodiedum Noruagia sola, si cum cetera, quam Scandia complectitur, continente exactius contendatur, paene paria faciat. *Plin.* Lib. 4. cap. 16.

17) Quod autem *Plinius* addat, ex ea, scilicet Noruagia, in Thulen nauigari, indicatum voluit, vetustissimo illo saeculo distinctam fuisse, ac aliam prorsus et Noruagia et Scandia habitam Thulen. Verum contra *Plinium* censuit multis licet post saeculis *Procopius*, qui Thulen pro ipsamet Scandinauia accipiendam voluit. Sed haec loco suo videbimus.

18) Suspicari hic aliquis posset, Dumnae vocabulum superius a *Plinio* proditum minus emendate positum esse, atque Daniam inde exsculpi non difficulter posse. Verum haec auferetur suspicio, si meminerimus, quam diserte illius mentionem faciat in tabula Europae prima *Ptolemaeus,*

maeus, qui vnam ex Orcadum insulis Dumnam nominat. Et vero hodiedum in quadam earundem insularum Frero dicta oppidum reperitur, quod Dumo dicitur. Iam vero Dumo et Dumna sibi maxime affinia esse vocabula, quis non videat?

19) Neque tam vere, neque tam feliciter, quam alii, de Scandinauia *Solinus* differuit. Is quidem maximam Scandinauiam fassus est, et totum complexum respexisse videtur, sed in ea nihil esse magnum praeter ipsam, cum addat, falsa pro veris fando accepisse verosimile est: id ipsum refellit ipsa gens Hilleuonum, quae alterum orbem terrarum, vt ex *Plinio* memoratum est, eam appellauit. Nam profecto terrarum alter orbis siqua dici mereatur regio; eam esse rerum varietate ac copia omni prorsus modo affluentem necesse sit, oppidoque felicem ac beatam. Et vero eiusmodi posteris saeculis fuisse, et etiamnum intelligi ac demonstrari Scandinauiam, tum aliunde patet ex aliis historiographis, tum etiam ex dissertationis progrediente nexu vlterius patebit.

20) Porro *Plinius* praeter iam dicta Seuonem hic insuper montem ostendit, cuiusmodi est hodiedum, qui a Suecia Noruagiam disterminat. *Saxo* Alpes Drofinas nominat. *Plinius* Seuonem montem ibi immensum, nec Riphaeis iugis minorem tradit, qui immanem ad Cimbrorum vsque promontorium efficiat sinum (cui nomen Codanus) refertum insulis, quarum clarissimam ponit Scandinauiam, cui incompertam magnitudinem attribuit. *Solinus* quoque eundem Seuonem nominans Riphaeis similiter collibus haud minorem facit, cum inquit: *Mons Seuo ipse ingens nec Riphaeis minor collibus initium Germaniae facit, hunc Ingevones tenent.* Vbi *Plinii* et verba et sensa per *Solinum* haud leuiter illustrari patet, cum Seuonem initium facere Ger-

Plin. Lib. 4. cap. 13.

Germaniae, et eum Ingeuones tenere dicat: ostendens ita *Plinium* loco praecedenti intelligendum, vbi inquit: *Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingeuonum, quae est prima inde Germaniae, Seuo mons ibi etc.* vt scilicet ab hac boreali plaga deduxisse Germaniae initium *Plinius* intelligatur.

21) Postremo hic apprime notandus *Tacitus*, qui hoc loco in positione Scandinauiae nobis Suiones et Sitones aperuit, qui *Plinio* haud vspiam nominati sunt: ait enim: *Suionum hinc ciuitates* (vltra nimirum Suecicum littus versus Boream) *ipso in Oceano praeter viros armaque classibus valent.* Et paulo post: *Suionibus Sitonum gentes continuantur.* Quodsi autem admittatur, Suiones et Sitones latuisse sub Hilleuionum vocabulo, quos *Plinius* agnouit in Scandinauia, facile hi duo auctores conciliandi sunt. Sed nunc ea, quae post *Plinium Ptolemaeus* et *Marcianus Heracleones* de hoc tractu scribant, audiamus. *Tacit.* de situ et morib. Germ.

CAPVT TERTIVM.

Adducitur et iudicatur sententia Claudii Ptolemaei de Scandia.

22) *Ptolemaeus* a Cimbrica Chersoneso facta digressione Scandiae, quam *Plinius* Scandinauiam vocauit, descriptionem paucis proponens ita exorditur: *Supra Cimbricam Chersonesum insulae aliae tres Alociae dictae. Ab orientali parte Chersonesi quatuor Scandiae nuncupatae, tres quidem paruae, vna vero, quae maxime orientalis, iuxta Vistulae fluuii ostia: vocatur autem haec proprie Scandia, et tenent ipsius occidentalia Chaedini, orientalia vero Phavonae et Firaesi; meridionalia Gutae et Dauciones; media autem tenent Leuonii . . .* *Ptolemaeum* proxime expressit *Ptol.* Lib. 2. cap. 12.

 Mar-

Marcianus Heracleones, cuius haec verba ſunt: *Supra Cherſoneſum ſitae ſunt inſulae tres, quae dicuntur Alociae: eſt ad eas a Cimbrica Cherſoneſo nauigatio ſtadiorum 550. ad ortum Cherſoneſi ſitae ſunt inſulae quatuor, quae vocantur Scandiae. Harum tres quidem paruae ſunt, eſt ad earum medium a Cherſoneſo interuallum ſtadiorum 2000, vna vero maxima maximeque orientalis, quae proprie vocatur Scandia, eſtque ambitus totius Scandiae ſtadiorum 225.* Ex quibus liquido conſtat, tam *Ptolemaeum* quam *Marcianum* incerta et infirma harum rerum cognitione imbutos haud ſimplice vice impingere. Nam primo, quod inſulas id omne putauerint, quod Boream et Ortum verſus vltra Cherſoneſum Cimbricam quam latiſſime patet, id erroneum omnibus hodiedum videri exiſtimo, qui ſciunt, totam cum Scania et Suediae regno Noruagiam, et ſiquae illis annexa ſunt, vnam cum proxima Moſcouia, et quae annectitur, Polonia, et Germania continentem efficere.

23) Vlterius, quas *Ptolemaeus* vocat inſulas Alociae, ſiue Aloſiae tres, et quatuor Scandias, quarum vna omnium maxima Scandiae praecipue nomen prae ſe ferret, eorum vix aliquid ad verum accedit, niſi quod inſulae quaedam Scandiae obiaceant, ſed plures quatuor, et ſuo quaeque non Scandiae vocabulo cognitae, vt dicetur alibi. Nam Alſae inſula, quae proxime ad Aloſiarum vocabulum videtur accedere, plane diuerſo a *Ptolemaei* Alociarum ſitu poſita eſt, ad interiorem ſcilicet Balthici maris ſinum, Holſatiae vero contigua; cum *Ptolemaeus* ſuas Alocias verſus Occaſum circa Cimbricae Cherſoneſi promontorium, ſiue extremitatem borealem collocet tabula quarta. Quamuis interea a *Plinio* non multum haec abire fateatur, qui, vt ſupra relatum, praeter Scandinauiam omnium maximam, aliam quoque Scandiam agnoſcit.

24) Sed

24) Sed nunc etiam diſpiciamus populos, quos *Ptolemaeus* iam ante nominarit, et in Scandia ſua collocarit. Quodſi eos attentius conſideremus, patet indicari Cherſoneſum Cimbricam, inſulasque adiacentes, et littus maris Balthici noſtrum, vsque ad Viſtulae latus vtrumque: etenim ſecundum *Ptolemaeum* occidentalia Scandiae tenebant Chaedini, qui videntur eſſe Kaedingi, qui in ſiniſtro Albis littore coluerunt. Qui orientalia habuerunt, Phauonae et Firaeſi, in Friſiis Holſatiae, ſiue Nortſtrandiis, ac nomine inſulae Fanoae, Ripenſi Iutiae dioeceſi adiacentis indicantur. Et forte legendum eſt Phanonae, cum apud *Ptolemaeum* legitur Phauonae. Poterit inſula olim maior fuiſſe, quam nunc eſt, ex quo Cauri flatibus irritatus oceanus tot illi littori ab antiquis temporibus detrimenta attulit. In meridionali Scandiae parte locati ſunt a *Ptolemaeo* Gutae et Dauciones, qui *Tacito* dicuntur Guttones, qui poſtea Gothi, Romani Imperii ſubactores, diuerſique omnino a Cimbricis Iutis, ſiue Gothis, quanquam eadem ſit nominis ratio a ſoli bonitate depromta. Dauciones interpretor Danciones, ſeu accolas ſinus Dantiſcani, vt adeo Dani iam ante *Ptolemaeum* nauigationibus celebres fuerint, atque ad ſinum hunc a ſe denominatum coloniam miſerint, quod recentiores autores in poſteriora tempora perperam reiiciunt, ab vrbis demum conſtructione nomen Danſwici ſiue Dantiſci arceſſentes. Media Scandiae *Ptolemaeus* attribuit Leuonis, quos Liuoniae habitatores credamus. Verum ſic non media, ſed extrema Scandiae Leuoni obtinuere, cum *Ptolemaeus* vlteriores alios populos non nominet. Quodſi autem Leuoni *Ptolemaei* de accolis Leobae Pomeranicae exponantur, qui *Tacito* dicuntur Lemouii, et ſi iidem ſumantur pro *Plinii* Hilleuionibus, omnia bene ſe habent;

atque haec explicatio genuior est omnium, quia *Ptolemaeus* Germaniam suam Vistula fluuio terminare videtur.

25) Verum hic etiam rursum *Tacitus* audiendus est, qui in eodem hoc tractu, quorum non *Ptolemaeum* modo, sed nec ipsum *Plinium* meminisse video, Suionum mentionem praeclare facit, vti et Sitonum, cum inquit: *Post memoratos circa littus maris Sueuici Rugios ac Lemouios, Suionum hinc ciuitates ipso in oceano praeter viros armaque classibus valent.* Et paulo post: *Ergo iam dextero Sueuici maris littore Aestiorum gentes alluuntur.* Et mox: *Et postea Suionibus Sitonum gentes continuantur etc. hinc Sueuiae finis.* Quibus ex verbis licet intelligere, *Tacitum*, etiamsi nec Scandinauiae, nec montis immensi Seuonis (quae tamen ex *Plinio* cognoscere haud difficulter potuit) mentionem vllibi faciat, id tamen vlterius prodere, quod in eadem peninsula Sueuiae, cuius in intima Germania initium statuit, hic finem faciat.

Tacitus Lib. de Germ.

26) An vero Suiones iidem dicendi sint cum illis, quos *Eginhardus* Sueones nominat, autores discrepant. *Tacitus* quidem *Eginhardo* aliquot centenis annis vetustior est, et *Venantius Fortunatus* supra ducentos annos eum praeit; sed vterque non Sueonum, sed Suionum nomine vtitur. Ille eos expresse in Cimbrica Chersoneso collocat: hic Saxonum socios in bello contra Francos facit. Praeterea hoc ipso tempore *Procopius* et *Iornandes* Scandiam describunt, nec tamen vllam Sueonum mentionem faciunt. *Iornandes* inter reliquos Scanziae suae populos Suethans et Suethidos promit; atque ex his Suionibus Suiones illos, qui *Taciti* tempore *classibus valuerunt*, qui a *Ptolemaeo* in plures populos diuisi, dein Saxones appellati, et demum a Danis ex Chersoneso pulsi, ex Suionibus, quales ante plerumque nominabantur, formatos esse, quamuis

Eginhard. in vita Caroli M.

quamuis aliqui dubitent, imo a vero abesse putent, ego tamen veritati consentaneum arbitror; praesertim cum littera η Graecorum, quae apud *Strabonem* habetur in voce hac: σȣηνων, apud Latinos tam vt *eta*, quam vt *ita* pronuntietur. Atque id ipsum multos autores in hoc historiarum passu dissertantes fecisse arbitror. Suffragatur *Cluuerius*, cum asserit, esse immensum montium iugum in septentrione Noruagiam hodie a Suedia dispescens, olim Seuo Romanis autoribus dictum, cui iam inde ab antiquissimis saeculis Suionum siue Sueonum (*Cluuerii* verba sunt) *magna gens affixa fuerit. Quanquam igitur temporibus antiquioribus Suionum nomen solum in vsu fuerit, nil tamen vetat dicere, illud postmodum in Sueones transiisse.* Atque inde quid consequitur aliud, nisi quod Suiones et Sueones, quos *Iornandes* Suethans et Suethidos appellat, pro vno eodemque vocabulo, atque quod caput est, pro vno eodemque Scandinauiae populo, scilicet pro Suecis, accipi debeant?

Cluuer. Lib. 3. cap. 24.

27) Sed nunc, qui Sitones et Suiones iam dicendi sint speciatim populi, videamus. Et quidem *Tacitus* Suiones et Sitones Cimbris adiungit. Et cum autores illi, qui ad *Tacitum* vsque de Cimbrica Chersoneso scripserunt, solos Cimbros nominent, ipseque *Tacitus* Suionum ciuitates in ipso Oceano fuisse memoret; vbinam gentium fuerint, in Cimbrica si Chersoneso non fuerunt, plane nescirem. Atque inde Cimbricam Chersonesum intelligendam pro ipsa Scandia, non obscure consequitur, cum Sitones et Suiones, qui reuera adstruuntur Scandiae populi, in Chersoneso Cimbrica collocentur. Porro num Sitones in particulari sint accipiendi pro Noruagiis, vt nonnulli voluerunt, dubitari potest. Interim nullus, vt opinor, inficiabitur, Suiones vel Sueones esse Suedos,

quos

Olaus Magn. Lib.13. c.13. quos etiam praeter alios autores *Olaus Magnus* aperte Suecos nominat. Atque, si secundum *Tacitum* Suionibus Sitonum gentes continuentur, cetera similes etc. ac his enumeratis finem Sueciae faciat, si quoque *Willichius* aliique Sitones Finnlandos statuant, qui Sueciae partem constituunt, cur non etiam Sitones dicendi sint Suedi? Horum autem quod neque *Mela*, neque *Plinius*, qui *Tacitum* tamen haud multum antecessit, mentionem iniecerit, iam non videtur mirandum. Etenim suspicari licet, hic cum *Ioanne Gotho*, et *Iunio Horuano*, vitium duntaxat esse scripturae, quod *Plinius* Hilleuones posuerit: intelligendos et exprimendos pro Hilleuonibus Suiones aut certe Sueuiones, quod Sueuis vel Suedis perquam affine vocabulum est. Multo adhuc corruptius haec vox apud *Melam* exprimitur, vbi inquit: *In eo sunt Cimbri et Teutoni; vltra vltimi Germaniae Hermiones*, qui an in Hillevones aut Suiones rescribendi sint, incertum; cum *Plinius* Hermiones in interiore Germania cum Hermunduris constituat. Nunc, quae proxime post *Ptolemaeum* de toto hoc tractu *Iornandis* est sententia, perlustremus.

Mela Lib. 3. cap. 3.

CAPVT QVARTVM.

Proponitur et iudicatur sententia Iornandis de Scandinauia, quam vocat Scanziam.

Iornandes de rebus Gothor. Lib. I. cap. 3.

28) *Iornandes* pro Scandinauia ponit Scanziam, et insulam similiter existimat. De situ illius et nationibus habet sequentia: *Ad Scanziae insulae situm, quam superius reliquimus, redeamus. De hac enim in secundo sui operis libro Claudius Ptolemaeus, orbis terrae descriptor egregius, meminit dicens: Est in Oceani arctoo salo posita insula magna, nomine Scanzia, in modum folii cedri, lateribus*

pandis

pandis post longum ductum concludens se, eius ripas influit oceanus. Haec a fronte posita est Vistulae, qui Sarmaticis montibus ortus in conspectu Scanziae septentrionali oceano trisulcus illabitur, Germaniam Scythiamque distermināns: haec ergo habent ab Oriente vastissimum lacum in orbis terrae gremio, vnde Vagi fluuius, velut quodam ventre generatus in oceanum vndosus euoluitur. Ab Occidente namque immenso circumdatur pelago, a Septentrione quoque innauigabili eodem vastissimo concluditur oceano, ex quo quasi quodam brachio exeunte sinu distento Germanicum mare efficitur. Et paulo post: *In Scanzia vero insula, de qua nobis est sermo, licet multae et diuersae maneant nationes, septem tamen earum nomina meminit Ptolemaeus. In cuius parte arctoa gens Adogit consistit.* Et mox: *Aliae vero ibi gentes tres Crefennae.* Et statim: *Alia vero gens ibi moratur Suethans.* Et deinde: *Sequuntur deinde diuersarum turba nationum, Theustes, Vagoth, Bergio, Hallin, Liothida, quorum omnium sedes sub humo plana et fertili, et propterea inibi aliarum gentium incursionibus infestantur. Post hos Athelnil, Finnaithae, Feruir, Gauthigoth, acre hominum genus et ad bella promtissimum. Dehinc mixti Euagerae Othingis, sunt ex his exteriores Ostrogothae, Raumarciae, Raugnaricii, Finni mitissimi, Scanziae cultoribus omnibus mitiores, nec non et pares eorum Vinouiloth, Suetidi, Cogeni in hac gente reliquis corpore eminentiores, quamuis et Dani ex eorum stirpe progressi, Erulos propriis sedibus expulerunt: qui inter omnes Scanziae nationes nomen sibi praecipuum ob nimiam proceritatem affectant: sunt quanquam eorum positura Grannii, Aganziae, Vnixae, Ethelrugi, Arochiranni.* Et statim Cap. 4. eiusdem libri subiicit: *Ex hac Scanzia insula quasi officina gentium, aut certe velut vagina natio-*

num cum Rege suo nomine Berig Gothi quondam egressi memorantur.

29) Quodsi iam verba *Iornandis*, maxime quae de populis Scanziae suae habitatoribus adfert, propius in examen vocentur, illico patet, Crefennorum, quas refert, nationes absque dubio esse Scritofinnos, Finnos et Finnemarchos, quorum illi ad Daniae Noruagiaeque regem, hi ad Suiones seu Suedos hodiedum spectant. *Tacitus* vna voce complexus omnes Fennos appellauit. *Plinius* regionem eorum notans, vt volunt nonnulli, Finningiam fortasse, et corrupte Eningiam dixit. Finnis deinde proximam gentem *Iornandes* facit eam, quam Suethans appellat; et cum paulo post eandem Suethidos vocat, absque haesitatione pro Suedis accipiendos opinor. Mox plures enuncians populos Theustes, Vagoth, Bergio, Hallin, Liothida, nominat, quorum Vagoth et Liothida quinam sint, non admodum sciri potest. Theustes equidem pro Tauestis et Tauestia in ipsa Finnlandia sumendos arbitror. Bergio in Noruagia collocanda, vbi hodie Bergi. Hallin Hallandia est, hodieque Scandinaviae notissimum territorium, regi Danorum vt et Berga subditum. Quae vero deinde sequuntur, Athelnil, Finnaithae, Feruir, Gauthigoth, eorum (excepto Gauthigoth, quod ad Gutos aut Gothos spectat,) nisi prima Saticundia Finnlandiae sit ditio, et cetera ad Scirros, et Samoithas, et Feruir ad Forrenses dictos referenda, quo reuera pertineant, ambiguum. Et obseruatu quoque dignum est, Gothlandos olim in rythmis Gutegutland appellasse, quod ad vocem Gauthigath proxime accedit. Neque clarescere magis Euageras cum Othingis et Raumarcis iudico, nisi intelligi eorum voce Tilemarcos dicamus, vel potius Romerigam, quae ditio est Noruagiae

satis

ſatis magna; vbi et Ringerige, qui fortaſſe antiquitus Ragnarici. Pariter Othingi Othenſeam Fioniae vrbem referre, aut ſaltem eius nomenclaturam in memoriam reducere videntur. Nam Oſtrogothi aut ſaltem Gutae etiam aliis poſt *Plinium* et *Tacitum* autoribus, et praeſertim *Ptolemaeo* inter antiquiſſimos ſatis noti fuere. Vinouiloth corrupte forſitan ſcriptum, et eo gens Vinulorum indicari haud obſcure videtur. Pro Suetidis Suedos accipiendos, ſatis patet. Cogenos vero cum reliquis praeſtare corpore dicat *Iornandes*; et Danos ex eorum ſtirpe progreſſos inter Scanziae nationes vniuerſas praecipui eſſe nominis, in eam facile cogitationem deueniam, vt pro Cogenis Chaedenos ſeu Thedenos ponendos, atque eſſe eos *Ptolemaei* Chedinos, et ex illis originem ac nomen Dancionum ſeu Danorum propagatum, et antiquiſſimis temporibus vſitatum ad poſteros eſſe delatum, exiſtimem. Vel etiam dicendum, Cogenorum vocem priſcae gentis referre vocabulum, cuius hodiedum vrbs Sialandiae haud inter poſtremas habenda, *Coge* ſeu *Coagium* dicta, veſtigium retineat. Sed iam quid autor aliquis prioribus poſterior, ſcilicet *Procopius*, de toto hoc tractu ſcribat, diſpiciamus.

CAPVT QVINTVM.

Luſtratur et iudicatur Procopii ſententia, quam habet de Scandinauia non ſub nomine Scandiae, nec Scandinauiae, nec Scanziae, ſed ſub nomine Thules.

30) Hactenus apud veteres autores aperte Scandiam, aut Scandinauiam, aut Scanziam audiuimus. Iam vero alius et prioribus poſterior autor, ſcilicet *Procopius* alio Scandinauiam nomine deſcribit. Thulen enim illam nominat.

minat. Acres quondam concertationes fuerunt inter historiographos de insula Thule, vt eam vocabant; adeoque nomen classicis scriptoribus notum fuit, oram aliquam insulamue Boream versus, extremam seu vltimam indicans, licet nuspiam, quod sciri posset, pro Scandia et Scandinauia veterum cuiquam proprie indicatum fuerit. Interim si quando Thulen accommodare Scandiae atque ea nomenclatura celeberrimam illam oram efferre libeat, ambiguitatis vitandae gratia, et quia *Procopius* primus et ferme solus id nominis vsurpauit, Thulen Procopianam dicemus, videbimusque, an et qua ratione Thule pro Scandinauia sit accipienda.

31) *Procopius*, vti iam dictum, Scandiam seu Scandinauiam nuspiam nominauit, sed eius loco intellexisse eum ac nominasse Thulen constat. Etenim postquam narrasset, deliberasse Gothos ac Herulos de nouis comparandis domi copiis, deque nouo rege in locum defuncti surrogando, secumque statuisse, in insulam Thulen mittendos legatos, refert, eos Istro transmisso multum exinde terrarum peragrasse, priusquam ad Varnos peruenerint, atque inde percussis Danorum nationibus oceanum postremo transmisisse. Quibus relatis continuo subiungit verba, quibus insulam Thulen pro Scandia nominando describit in modum sequentem: *Est autem Thule haec insula longe maxima, quippe quae decuplo maior sit, quam Britannia, a qua longius abest, vt in Boream sita. Hac ipsa in insula deserta pleraque sunt, et ingentibus vacua spatiis loca. Quae vero frequentiora aedificiis et hominum cultu, nationes tredecim numero incolunt; affluentissima quadam mortalium multitudine reges singulis nationibus praesunt.* Deinde refert non ex visu, sed auditu mirandum quid, contingere in eadem insula, quod nimirum circa solsti-

Procop. Lib. 2. Gothic.

Procop. Lib. 2. Gothic.

solstitiale sidus ad quadraginta dies sol nequaquam occidat, sed per omne id tempus supra terram existat ac videatur: et quod deinde non minore, quam mensium sex intervallo circa brumam eadem in insula per dies quadraginta sol nuspiam appareat, sed perpetua huic nox incumbat. Post haec refert, ex his, qui Thulen hanc insulam incolant, barbarorum nationem quandam ac solam, *qui Scritifinni vocentur, et belluarum in modum vitam ducant.* Procop. ibid.

32) Ex hac *Procopii* descriptione liquere potest, quod, cum Thulen suam decuplo maiorem faciat Britannia, ea penitus de Scandia aut Scandinauia, nequaquam autem de Thule, quam hodie Islandiam dicimus, accipienda sit. Et vero recte Thulen appellari Scandinauiam, Ioannem Gothum asseuerare *Pontanus* refert, quod e Britannia in Scandiam borealem nauigantibus statim primo littore occurrat terra Thulemarchia, quasi Thulensium patria dicta, vulgo Tellemarch, quae haud exigua est Noruagiani regni portio, Trundemo (hodie Drontheim) et ipsis Bergis (hodie Bergenhus) australior. Pontanus in chorographica Daniae descript.

33) Sed vt ante monstratum teste *Procopio*, non e Britannia, sed per Germaniam atque inde per Daniae peninsulam, insulasque in Scandiam transmisso mari devenerunt Herulorum hi legati, ita vt non statim Thylemarchia, sed Scandia sic proprie dicta, aut pars aliqua anterior Norwegiae illis occurrerit: nisi dicere libeat, Thylemarchiae oram peculiariter ab ipsis petitam, atque ea occasione vniuersam, qua patet, Scandinauiam vocabulo *Thules* eos insignisse. Nam alias tantum abest, vt Thule veteribus intellecta Noruagia sit, aut Scandia, vt potius e Noruagia in Thulen nauigatum demonstrarint. Diserte enim *Plinius* ait: *Maxima omnium Nerigon, ex qua in Thulen nauigatur.* Plinius lib. 4. c. 16.

34) Verum concedamus etiam, quod *Procopius* intellexerit Thilemarchiam, qua ratione reſpondebunt ſequentia, quibus indicat, omnibus huius Thules incolis circa ſolſtitium aeſtiuale ſolem non occidere. Atque ne hoc quidem Trunhemienſibus, hodie Dronthemienſibus, ac multo minus Bergenſibus, vt *Pontanus* innuit, accidit, qui tamen, vt dictum, Thulemarchicis ſunt borealiores. Et cum addit *Procopius*, quadraginta diebus circa brumam iisdem occultari ſolem; nonne et idem de extremis potius et vltra Trundemum habitantibus, Noruagianis ſcilicet aliisque accipiendum, quam de Thilemarchiis, quibus etiam circa brumam ſol conſpiciendum ſe exhibet. Profecto igitur, ſi verbis *Procopii* ſtricte inſiſtendum, nihil ad reliquam et anteriorem Scandinauiam, cuius Daniae Suediaeque regna pars haud vltima ſunt, iſta pertinere deprehendimus. Verum *Procopius* videtur haec ipſa conſideraſſe vt quaedam naturae aut ſupra naturam miracula, cum tam ordine quam certa ſphaerica caeli, ſolique ratione rato ſe modo habeant. Neque etiam arbitrandum eſt, quod *Procopius* extremos peninſulae huius Scandinauiae populos, quam perpetuo Thulen et inſulam appellat, ſolummodo voluiſſet intelligere; cum eam tredecim habitari nationibus, et totidem in ſe regna continere ſcribat, atque vltimo etiam Scritifinnos eosque ſeorſim depingat. Haec facies eſt Procopianae Thules, et haec de eadem dicta hoc loco ſufficiant. Atque nunc etiam lubet adducere, quid de Scandinauiae ſitu, magnitudine, populis, extenſione autor aliquis *Procopio* adhuc multum recentior, ſcilicet *Olaus Magnus*, ſcribat ac ſentiat.

CAPVT SEXTVM.

Sententia Olai, Magni de Scandinauia.

35) *Olaus Magnus* Scandinauiae deſcriptionem facit ſequentem: *Scandia ſeu Scandinauia eſt iuxta nominis interpretationem amoena ſeu pulchra inſula, vltra mare Germanicum, ſiue Gothicum ſinum ſita. - - Circumdatur fere tota mari vaſtiſſimo. Siquidem ab oceano occidentali per anguſtas fauces ingrediens Cimbricam Cherſoneſum (quae hodie regnum Daciae ſeu Daniae dicitur) a Scandia ſeparatam Saxoniae coniungit. Deinde auſtralem Gothiae plagam ſinu laxiore contingens duo ex ſe brachia porrigit: quorum vnum per orientalia littora Suetiae fertur in ſeptentrionem vsque ad emporium Thornae, hoc eſt, turritae inſulae; alterum vero brachium vsque in ſinum Venedicum verſus Aquilonem extenditur. Inter haec duo brachia clauditur ampliſſima peninſula, quae apud Plinium Finningia dicitur, a noſtris Finnlandia, hoc eſt, pulchra terra: ab imperitis autem, qui primam litteram mutauerant, Einingia appellatur. Meridianam Scandiae partem tenent auſtrales Gothi, qui Gutae a Ptolemaeo dicuntur: quibus praecipua vrbs eſt Calmarina: cui polus ad 57 gradus eleuatur, longitudo vero 37 gradus continet. Occidentalia Scandiae occupat oppidum Bergenſe, praecipuum regni Noruegiae emporium: quod in latitudine habet gradus circiter 63, in longitudine 24; orientalia non ſolum Scandiae, verum etiam Finningiae ſiue Finnlandiae et totius Sueonici principatus tenet caſtrum et oppidum Viburgenſe in limitibus Moſcowitarum, vbi longitudo eſt 63, latitudo vero 67 graduum. Continet haec ampliſſima inſula tria maxima regna: Gothiam, Sueoniam ſiue Sueciam, et Noruegiam, quae in plures regiones ſeu principatus diuiduntur. Gothia, vt diximus, auſtraliora tenet, quae*

Olaus M. l. 1. c. 2.

a

a meridie, ortuque et occasu Gothico sinu alluitur. Caeterum ab eius aquilonari latitudine Noruegia et Suetia velut duo rami ex vnius arboris stipite prodeuntes, vsque ad septentrionalem oceanum, qui glacialis dicitur, pariter excurrunt. Atque cum Noruegiam occidentalia et montosa littora tenuisse, et porro ab initio regnorum Gothos et Suecos in vnum quasi populum coaluisse retulisset, singularem Gothiae descriptionem instituit, quam ob sui amplitudinem in multos et amplos principatus diuisam, et hos demum in regiones, et illas rursum in praefecturas distinctas asserit: in quibus primam ponit Ostrogothiam, orientalium Gothorum patriam, qui vulgo quondam Ostergethe dicebantur: quae complexa fuerit Thiustiam, Brauichiam, Kindhiam, insulam Gothlandiae, et plures alias regiones terris ac ciuibus refertissimas, vrbesque complures. Et praecipue Lincöpiam. Deinde collocat occidentalem Gothiam, Vestrogetharum patriam, eamque ab orientali per vastum lacum Vether separari, in eaque ad septentrionem Daliam Vermelandiamque sitas dicit. Praeterea ad australem Vestrogothiae partem ponit Kindiam, Marchiam, Faloniam, Vasbogiam, Riduegiam, Frochiniam, Gudhemiam, Kachinniam, Vartoptiam, aliasque plures regiones. In occidentali Gothia versus meridiem Hallandiam, Schoningiam, Blechingiam, Daniam excludit Scandinauia: hanc enim a Danis brachio maris interiacente separat. Itaque Danis ad occidentem solem relictis Smalandias ab oriente scribit exsurgere, quas nonnulli Gothiam meridionalem appellent. Has rursum in multa territoria distingui refert, ac prae aliis Verentiam nominat. Ab orientali Verentiae latere exprimit amplam terram Moringiam, littoribus Moringiae adiungit paruo maris sinu interiecto insulam quandam Elandiam nomine,

nomine, demum complures adhuc regiones, in terris Smalandiarum sitas, asserit. Sed iam relicta Gothia, quid de Suetia sentiat *Olaus*, videndum.

36) Cum *Olaus* statuerat, desinere Gothiae extensionem circa 64 gradum latitudinis apud Wermelandos, deinde Suetiam seu Sueoniam latissimo terrarum tractu vsque ad gradum 90 porrigi asserit. Huius amplitudinem dimetitur ex Pliniana Scandinauiae descriptione, in qua idem *Plinius* scribit, clarissimam insularum Germaniae esse Scandinauiam, magnitudinis incompertae, habitamque illius tantum portionem a quingentis Illeuionum gentibus. Atque hoc loco portentose corruptum *Plinium Olaus* asseverat; contenditque, quod *Plinius* a principio sine dubio scripserit *Sueuionum*, non *Illeuionum* gentem, quae vtique plus quam ad quingentos pagos seu territoria dilatetur. Atque ex hoc fonte tantopere Suetiam seu Suevoniam *Olaus* extendit, vt illa non modo Gothiam ac Noruegiam, sed omnia etiam septentrionalia regna et multitudine populorum, et fortitudine, diuitiarumque ac prouentuum copia longe superet. Huius iam Suetiae seu Sueoniae praecipuam a septentrione regionem Biarmiam suppolarem collocat, in vlteriorem et citeriorem diuisam, quae olim, vt *Saxo* testatur, regni titulum habuerit. Ad huius Biarmiae orientale latus vastissimam dicit esse Scrifinniam. Deinde versus Austrum vtramque Lappiam coniungit; post quas duae Bothniae, orientalis et occidentalis, longo terrarum tractu diffusae succedunt; quarum australiores partes teneat Angermannia in borealem et australem diuisa. In huius occidentali parte ponit Iempthiam, Noruegiae et Sueciae affinem. Huic Medelpadiam versus meridiem connectit. Deinde sequitur principatus amplus latusque Helsingiae, in borealem et

 austra-

auſtralem diuiſus. Auſtralia Angermanniae contingi Geſtritia refert. Hanc inſequuntur tres Folchorumlandiae, id eſt, terrae, quae vulgo Tyundia, Otthundia, Ferungia vocantur. Deinde in Boream procedentibus occurrere dicit multas terras Dalacarlorum, quae in Oſtrodalias, Veſtrodalias et Sordalias diſtinguantur: quas inſequatur Aroſia pariter verſus Boream. Poſt Aroſiam verſus Septentrionem conſtituit lacum Meler, ab Occidente regionem Veſtermanniae, et poſt illam in eodem tractu Neritiae principatum, et demum Sudermanniae regionem extenſiorem.

Olaus eodem lib. et cap.

37) Deſcripta nunc etiam Suecia ſingularem quoque Finningiae ſiue Finnlandiae deſcriptionem inſtituit *Olaus*. Hanc forma triquetram refert, et in occidua parte Finningiae duplicem collocat Finnlandiam, aquilonarem et auſtralem. Illam late in ſeptentrionem circa littora maris Suetici extendit: hanc vero in meridiana Finnlandiae littora deducit, a cuius orientali latere prouincia Neolandiae principium ſumens, circa littora Venedici ſinus vsque ad occidentales limites Moſcowitarum verſus Orientem porrigatur, pariterque cum ſinu Venedico, (quem a Vennis, id eſt, a Vandalis repetit) terminetur. Exinde ponit Careliam, quae a Meridie habeat ſinum Venedicum, quamque verſus Aquilonem vsque ad Scrifinniam et oceanum Scythicum extendit, relicta Moſcouia ad Orientem, et Suetico principatu (cui paret) ad Occidentem; in mediterraneis Finnlandiae partibus ſtatuit regiones latiſſimas, praecipue Taueſtiam, Saticundiam, aliasque complures. Atque haec facies eſt deſcriptionis, quam *Olaus* de Scandia confectam nobis reliquit, in qua duo praecipue notanda veniunt. Primum, quod *Olaus* nullam Daniae mentionem faciat, quam alii tamen vel integram,

tegram, vel secundum aliquam saltem partem ad veterem Scandinauiam pertinuisse scribunt. Alterum, quod etiam Vistulam omnino taceat, ad cuius ostia tamen *Ptolemaeus*, vti etiam nonnulli alii, Scandiam extenderunt. Superest igitur, vt antefatorum autorum de Scandinauia, de situ, magnitudine, populis ac limitibus eius sententiae combinentur atque exactius trutinentur, vt ita saltem, quoad id assequi possimus, solidam aliquam ac veram veteris Scandinauiae positionem, ac fide dignam descriptionem ex sequentibus eruamus et assequamur.

CAPVT SEPTIMVM.

Danos antiquitus ad Scandinauiam nequaquam pertinuisse monstratur.

38) Varia nunc, vt vidimus, autorum antiquiorum circa Scandinauiae positionem adducta sunt systemata, variae allatae descriptiones et populorum, et terrarum, et situs, et finium: quae licet in multis conuenire dicendae sunt, tamen etiam in aliquibus, et quidem obscurioribus et principalioribus, a se inuicem descriptiones discrepant. Si vero nonnulla ipsus in iam ante conscriptis Scandinauiae systematibus statuisse videar, ac determinasse; ea me non tam pro mea, sed pro istorum autorum sententia, vt verum dicam, collocasse monuerim; ne aliquis, me mihimetipsi contradicere, arbitretur.

39) Equidem satis compertum nostra habet aetas, Scandinauiam reuera esse peninsulam, sub nominibus Biarmiae, Lappiae, Finnomarchiae, Bothniae (*Cluuerius* addit Suediae) ac Noruagiae. Quodsi vero plures Scandinauiae partes, quam quae iam dictae sunt, ab autoribus

 profe-

proferuntur, eae ſub iam expreſſis contineri dicendum. Verum circa has magis notas partes non eſt controuerſia. At haec maxime diſcutienda et perpendenda ſunt: Primo: An ad ſtatuendam aliquam veram Scandinauiam vel integra Dania, vel aliquae tantum illius portiones, vel nullae penitus ipſius partes quondam pertinuiſſe dicendae ſint? Secundo: An etiam in antiquae Scandinauiae poſitione reuera ſtatuenda ſit Suecia, vel, vt alii, Suedia? Tertio: An vetus Scandinauia ad Viſtulae vsque oſtium pertinuerit, an vero Scandinauia in ſe ipſa arctior, atque a Viſtula remotior extiterit? Et quarto demum: An Gothi revera quondam Scandiae habitatores fuerint, ex illaque ſint egreſſi? Circa haec, quae magis vera videri poterunt, et quae mihi ſententia magis probetur, iam ſtatuere neceſſum erit. Eamque non ex inani verborum congerie, ſed ex antedictorum autorum maiori vel minori conuenientia deſumam.

40) Pro maiori autem claritate ea, quae tam de Danis, quam de Suedis, de Viſtula, de Gothis hoc loco dicenda ſunt, ſeparatim monſtranda exiſtimo.

Et primo quidem quod Danos attinet, eos in *Plinii* circa Scandinauiam poſitione nequaquam exprimi, nequaquam collocari video. Codani tamen ſinus meminit in ſequentibus: *Seuo mons ibi immenſus, nec Riphaeis iugis minor, immanem ad Cimbrorum vsque promontorium efficit ſinum, qui Codanus vocatur, refertus inſulis, quarum clariſſima Scandinauia eſt incompertae magnitudinis.*

Plin. lib. 4. cap. 13.

41) *Claudius Ptolemaeus* in Scandia ſua pariter non meminit Daniae nominis expreſſe, poſuit tamen nomen Iutarum et Daucionum, quod, vbi cum illo Codani ex *Plinio* (vt nonnullis videtur) imo et cum Danico affinitatem

tem aliquam habeat, hinc ab eo illi Danicum desumtum credunt. *Ptolemaei* verba sunt sequentia: *Vocatur autem haec proprie Scandia, et tenent ipsius occidentalia Chaedini, orientalia vero Phauonae et Firaesi, meridionalia Iutae et Dauciones, media autem tenent Leuonii.* *Ptol.* lib. 2. cap. 12.

42) *Iornandes* in Scanziae suae descriptione, quam in modum folii cedrini contexuit, expressam Danorum mentionem habet. Cogenos quippe refert (aliter etiam Cognos) ex quorum stirpe Danos progressos aperte contendit. Ipsius verba sunt sequentia: *Sunt ex his exteriores Ostrogothae, Raumaricae, Raugnarizii, Finni mitissimi, Scanziae cultoribus omnibus mitiores, nec non et pares eorum Vinouiloth, Suetidi, Cogeni, in hac gente reliquis corpore eminentiores, quamuis et Dani ex eorum stirpe progressi Erulos propriis sedibus expulerunt. Qui inter omnes Scanziae nationes nomen sibi praecipuum ob nimiam proceritatem affectant.* *Iornandes* de rebus Gothor. lib. 1. cap. 3.

43) *Procopius* in Scandia, quam insulam Thulen credidit, non pronuntiat aperte Danos tanquam ad eam pertinentes, dicit tamen, deliberasse Gothos Herulosque de nouis comparandis domi copiis, deque nouo rege in locum defuncti surrogando, secumque statuisse in insulam Thulen mittendos legatos, eosque Istro transmisso multum exinde terrarum peragrasse, priusquam ad Varnos peruenerint, atque inde percussis Danorum nationibus oceanum postremo transmisisse. Quodsi iam hanc *Procopii* relationem examino, videtur ille Danos adhuc facere maritimos, et Germaniae si non incolas, saltem contiguos, et quod inde colligitur, Vistulae proximos constituere. *Procop.* lib. 2. Goth.

44) Porro in descriptione Scandinauiae illius, quam *Olaus Magnus* habet, nihil quoque de Danis legitur; tamen Cimbricae Chersonesi meminit, quam (hodie Da-

niae regnum esse dicit) a Scandia separat. Verba illius sunt sequentia: *Circumdatur fere tota (Scandia) mari vastissimo. Siquidem ab oceano occidentali per angustas fauces ingrediens Cimbricam Chersonesum (quae hodie regnum Daciae seu Daniae dicitur) a Scandia separatam Saxoniae coniungit.* Quodsi haec *Olai* dicta perpendantur, videtur ille haec intelligere de Daniae regno ad Cimbricam Chersonesum pertinente, cum Dani non amplius in Germaniae continente habitarunt, sed in Cimbricam Chersonesum, emigrantibus inde Saxonibus, profecti erant.

Olaus Magn. Lib. I. c. 2.

45) Verum nunc res tota pendebit ex eo, an Dani, nomenque Danicum ex *Plinii* verbo: *Codanus*, adeoque a sinu *Codano* deducendum sit; an vero Dani a *Daucionibus Ptolemaei*, aut an a *Cogenis Iornandis* originem sumserint, quales populi fuerint, atque demum an Dani reuera ad Scandinauiam veterem pertinuisse dicendi sint, nec ne?

46) Quod inprimis illi, qui a *Plinii* sinu Codano Danicae gentis nomen deducunt, a vero penitus aberrent, exinde satis liquet, quod *Plinii* (qui circa annum Christi 80 floruit) temporibus sane nihil adhuc de Danico nomine aut Danicae gentis origine auditum fuerit. Neque etiam aetate *Ptolemaei*, quae fuit sub Antonino imperatore, aliquid vnquam de regno Daniae, de populis Danicis, aut de Danis in Scandia consistentibus auditum fuisse, satis et rerum historicarum, et annorum, et circumstantiarum collatae rationes indicant. Vnde corruat etiam sententia illorum necesse est, qui Danicas gentes a *Ptolemaei* Dancionibus progressas autumant. Si Cimbri, si mox Suiones, si postea Saxones in Cimbrica Chersoneso et insulis circa fuerunt, Dani ibidem esse non potuerunt: si Danciones in Scandia fuerunt, in Cimbrica Chersoneso non fuerunt: si *Plinius* et ante eum inter Graecos *Timaeus*

Timaeus et *Xenophon Lampſacenus*, ſi partim ex Latinis, partim ex Graecis autoribus et quidem *Solinus*, et *Tacitus*, et *Ptolemaeus*, et *Marcianus Heracleotes* Scandiae cognitionem conſecuti ſunt, per illam tamen Sueonum, Noruagiorum et Danorum ampliſſima regna, reges tam inclitos, bella per Germaniam terra marique geſta, denique res vbique tam celebres ignorauerunt; quid tum de monumentis eorum ſentiendum erit? Atque illud eo dixerim, vt oſtendam, quam inania, quam inualida ſint *Saxonis Grammatici* commenta, quam falſa ſcripta, qui Danorum, ſiue in Scandia ſiue in Cimbrica Cherſoneſo, perinde ſit, tamdiu ante Chriſtum natum mentionem, regnum, res geſtas absque omni ſufficiente ratione conſtituit. Si *Tacitus* totam Germaniam compertam habuit, num Danorum regna nomenque, ſi extitiſſent, ignoraſſet? *Ptolemaeus*, vt ſcimus, Danciones collocauit in Scandia, et ſi Dani quoque, Danorum nomen et regna Danica in Scandia quoque viguiſſent, nunquid eadem etiam velut ad Scandiam pertinentia cognouiſſet, deſcripſiſſet ac ſtatuiſſet? Igitur clariſſimum eſt ex tam praeclaris autoribus, quorum meliores non nouit antiquitas, Danos neque *Plinii*, neque *Taciti*, neque *Ptolemaei*, neque aliorum illis coaetaneorum autorum temporibus vel in Scandia, vel etiam in Cimbrica Cherſoneſo fuiſſe; videant igitur, quam falſa ſcribant, qui res Danicas, quando nec dum exiſtebant, deſcripſerunt.

47) Siue autem Danici nominis origo ex *Plinio* et *Tacito*, et maxime ex *Ptolemaeo*, *veluti autore confeſſione omnium, ſiue fidem ſiue vetuſtatem ſpectemus, egregio, claſſico, omninoque ſequendo, ſiue ex Pomponio Mela plus: quam ſaeculo ante Ptolemaeum Daniae vocabulum, cum ſinum Baltici maris Codanum, et certum in eo diſtrictum Codanoniam diceret,*

Pontan. in Chorograph. descript. Daniae.

diceret, *satis indicante* (vt vult *Pontanus*) aut sumatur, aut potius omni vi torqueatur; nunquam tamen Dani aut *Plinii* aut *Ptolemaei* aut priori *Melae* tempore, sed postea demum et non prius, quam dum mari eadem via, qua Franci et Saxones omnia circa Belgicam, Galliam, et Britanniam maria infesta fecerunt, res gerere, Belgicae, Galliae et Britanniae innotescere coeperunt, et vacua a Saxonibus nunc in Britanniam, nunc ab Attila, nunc ab Albuino, nunc ab aliis in militiam excitis, nunc sponte in Germaniam interiorem illorum temporum more progressis, loca occupauerunt, auditi sunt.

48) Sed quid pluribus opus est isthaec refutare? Totam hanc monstrationem, omnes et Latinorum et Graecorum historias omnibus illis, qui tuentur vel longe ante Christum natum Danos in Scandia extitisse, vel ex Codani nomine, quod habent *Plinius* et *Mela*, vel ex *Ptolemaei* Dacionibus Danos inaniter eruere contendunt, et sine omni autoritate aut alio quouis testimonio ad veterem Scandinauiam pertinuisse fabulantur, illis, inquam, omnibus obiicio. Atque in dictis historiis cum ante *Procopium* et *Iornandem* nulla Danorum mentio fiat, et quanquam a Daucionum gente Danorum originem sumere quis velit, cum tamen ante *Ptolemaei* tempora *Daucionum* nemo mentionem faciat, hic vero circa *annum Christi 155 floruerit*, *et Dauciones* nec in Cimbrica Chersoneso, nec in insulis circa, sed in *Scandia* et huius *meridionalibus* collocet: Danorum vero nomen neque adhibeat, neque exprimat, vtpote posterioribus demum temporibus et quidem in Germaniae continente penes Vistulam cognitum factum; hinc nullis adhuc momentis euinci potest, Danos Scandiae veteris nationibus annumerandos esse.

Ptolem. lib. 2. cap. 9.

Idem.

49) Quodsi

49) Quodsi tam *Iornandis*, quam etiam *Procopii* de Scandinauia textus diligentius examinetur, apertum est, a *Iornande* Danos, quos a Cogenis progressos dicit, inter Scandiae populos recenseri; a *Procopio* vero in Germaniae continente collocari, cum asserit, *Herulorum* regem ex Scandia habere cupientium legatos, primo *ad Varnos populos se contulisse, post hos ad Danorum nationes pertranseuntes ad oceanum mare cum peruenissent, nauibus ad insulam Thulen* (id est Scandinauiam) *delatos fuisse.* Alter asserit, *Herulos a Danis propriis sedibus expulsos fuisse.* Alter, legatos istos non, nisi *Danorum nationes pertransissent, ad oceanum mare peruenisse.* Quare circa hos textus occurrunt admodum difficilia, cum inter se contrarii esse, et alii Danos in Scandia, alii in Germaniae continente innuere videantur, et hinc in illis conciliandis summa nascatur difficultas. Sed videndum, quo circiter adhuc anno Herulos in propriis sedibus, nempe in Scandia, adhuc fuisse deprehendamus. *Procopius* ait, *cum illorum legati ex Thule insula quendam Datim nomine abduxissent, et hunc Aordus frater, et ex Herulis, qui Thulis erant, ducenti iuuenes secuti fuissent, interea Belisarium et Narsetem, ac alios Romanorum praefectos circa Firmium* copias *iunxisse.* Id vero cum *anno 538 acciderit, et hoc tempore Narses homo eunuchus, sed acer et prudens, cum quinque Graecorum et duobus Herulorum millibus a Iustiniano Belisario auxilio missis in Italiam venerit, et cum eo ad oppidum Firmium copias iunxerit;* consequitur euidenter, circa iam dictum 538 annum quandam adhuc Herulorum partem in Scandia fuisse, et tantam rerum conuersionem inter eundem hunc annum, quo ex *Procopii* sententia Dani necdum in Scandia, sed in Germaniae continente adhuc fuerunt, et inter illum annum, quo *Iornandes* suum de

Procop. lib. 2. Goth.

Procop. de bello Goth. N. 12.

Sigon. de imperio occid. lib. 18. sub ann. 538.

Iornandes ibid. rebus Geticis commentarium scripsit, quoque *Herulos ex propriis sedibus* (id est ex Scandia) *a Danis expulsos* affirmavit, euenisse: nescitur quidem, quo anno *Iornandes* commentarium suum scripserit, et hunc quidem ab ipso *anno 540, quo Vitiges Gothorum Italicorum rex a Belisario Ravennae inclusus et captus est, finitum* existimant: sed hi ita intelligendi sunt, non quod *Gothicam historiam* tunc exararit, sed quod rerum narrationem cum capto Vitige abruperit.

Gordon. in rerum gest. serie.

50) Quodsi enim *Iornandis* et scripta et tempora examinentur, patet, eum diu postea haec monumenta elaborasse, vti conuincunt paene vltima illorum verba sequentia: *Inde Vitiges pari tenore frustratus fugatusque Ravennam se recepit, et obsessus; nec mora, vltro se ad partes dedit victoris cum Mathasuentha iugali, regiisque opibus. Et sic famosum regnum, fortissimamque gentem diuque regnantem, tandem deinde millesimo et trecentesimo anno victor gentium diuersarum Iustinianus imperator per fidelissimum consulem vicit Belisarium, et perductum Vitigem Constantinopolim Patricii honore donauit. Vbi plus biennio demoratus, imperatorisque in affectu conuictus, rebus excessit humanis; Mathasuentham vero iugalem eius fratri suo germano patricio coniunxit imperator, de quibus postumus patris Germani natus est filius, item Germanus. In quo coniuncta Anitiorum gens cum Amala stirpe spem adhuc vtriusque generis domino praestante promittit.* Ex quibus patet, a *Iornande* commentarium illum non solum post Vitigis, sed etiam post Germani fratris illius mortem, et sic diu post annum 538, quo quaedam Herulorum pars a *Procopio* in Scandia, quam ipse Thulen appellat, adhuc fuisse affirmatur, scriptum, et Herulorum calamitatem, qua per Danos ex propriis sedibus (id est ex Scandia) eiecti fue-

Iornand. de rebus Getic. c. 60. et vltimo.

fuerunt, interea illis illatam, et a Danis expeditionem in Scandiam ſuſceptam, nec hos citius in Scandia, nedum in Cimbrica Cherſoneſo, quae a Saxonibus adhuc cum inſulis circa poſſidebatur, fuiſſe.

51) Ex his rurſum infero, non eſſe credibile, quod Dani vel a Daucionibus, vel Danſcionibus, vel Chaedinis orti fuerint, maxime cum *Iornandes* eos a Cogenis ortos affirmet. Atque hoc demum modo verum eſſe poteſt, Cogenos per Danum, Humbli filium, nomen mutaſſe, et deinceps Danos nominatos fuiſſe. Porro quia etiam non ſolum *Chauiones*, ſed etiam *Heruli barbarorum* quidem *primi viribus*, verum in tanta Germaniae latitudine *locis vltimi* expreſſe affirmantur, ex eo, *Sidonium* pariter de mari Baltico locutum, et eius, qui circa *annum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſecundum Epiſcopus Aruerniae creatus putatur*, ex eo, inquam, tempore Herulos magnam circa maritimas res famam adhuc habuiſſe neceſſe eſt. Inde autem nulla amplius Herulorum circa maritima mentio auditur. *Sidon. Apollinar.* in Epiſt. ad Lamprid.

52) Poſt hanc igitur vltimam Herulorum memorationem Danicum nomen audiri aliquantisper coepit; quanquam adhuc tam obſcure, vt nihil certi vel de nomine eorum, vnde coortum ſit, vel de ſedibus, quas primo habuerint, vel de migrationibus, quas in Scandinaviam fecerint, definiri poſſit. Priſci quidem Cosmographi dicunt, *orientalia circa Albim fluuium Bonochnemas tenuiſſe, ſupra quos Batinos, ſupra quos etiam ſub monte Aſciburgio Corcontos, et Lutos, Buros dictos, vsque ad Viſtulam fluuium. Sub iis vero primos Sidones, poſt Cognos fuiſſe.* Ab his vero Cognis ad *Iornandis* Cogenos tranſiri, et quod Cogeni, Cognorum poſteri, ſicut *Procopius* Danos in Germaniae continente collocat, ita etiam, vt dixi, *Ptolem.* lib. 2. cap. 9.

Cogeni adhuc magis in ea fuerint, et ex hac in Scandiam traiecerint, argumentum ſat certum duci poſſe teſtantur. Sed hic non tantum *Ptolemaei*, ſed etiam *Procopii* et *Iornandis* textum ſedulo perſpiciendum cenſeo. Ex *Ptolemaeo* Cognos Germaniae, et quidem haud procul a Viſtula populos, ex *Iornande* Cogenos Danorum conditores, ex *Procopio* Danos circa annum 538 adhuc in Germaniae continente, et poſt paucos annos in Scandia iam fuiſſe ex *Iornande* conſtat. Sed circa annum 472 Danicum nomen haud quaquam celebre extitiſſe, ex *Sidonio Apollinari*, qui Herulos tantum et Saxones circa maritimae rei peritiam extollit, perſpicue conuincitur. Quodſi igitur tempus, quo vel Cogni, vel Cogeni Danicum nomen acceperint, definiendum eſt, id ſolide aliter, quam inter annum 472 et annum 538 afferri non poterit. Si denique de migratione eorum in Scandiam diſſerendum erit, cum anno 538 in Germaniae continente adhuc fuerint, de ea nequaquam citius diſcernetur, ſed haec ad ſequentes annos referenda eſt. Quodſi nunc poſtremo haec iam allata, vti et illa, quae in parte ſecunda de Danorum ex Germaniae continente migratione, et Slauorum in horum loca ſucceſſione diſſerentur, ad calcem examinentur; ſponte fluet haec concluſio, quod Dani ad veterem Scandinauiam nequaquam pertinuiſſe dicendi ſint, ſed quod ex Germaniae continente, quam reuera primitus inſederant, accepto a Cognis vel Cogenis nomine, ſequentibus demum poſt annum 538 annis in Scandiam deuenerint.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Suecos, siue aliter Suiones, ad antiquam Scandinauiam pariter non pertinuisse ostenditur.

53) Quemadmodum secundum praecedentia Danos veteri Scandinauia exclusi, ita etiam hoc loco Suecorum seu Suionum sedes antiquitus in Scandia non fuisse monstrabo. Sueciae quidem nomen et *Tacito*, et *Melae*, et *Solino*, et *Ptolemaeo*, et *Procopio*, et *Iornandi*, imo et *Paulo* ignotum, et omnes illas res, quae ante illorum tempus ab aliis fabulose narrantur, ipsis nullo modo compertas fuisse, facile deprehendimus, si illorum de Scandinauia in hac prima parte adducta systemata inspiciamus: quare res istas a Suecis post *Taciti*, *Plinii*, *Melae*, *Solini*, *Ptolemaei*, *Procopii* et *Iornandis* tempora, quia eas ignorauerunt, gestas, imo quia et *Paulum* latuerunt, adhuc obscuras fuisse necessum est.

54) Suecos, aut Suiones, aut Sueuos, aut Suedos Germanicam quondam fuisse nationem ex veteribus autoribus satis patet: id enim de Sueuis loquitur *Tacitus*: *Nunc de Sueuis dicendum est, quorum non noua, vt Cattorum Tencterorumque gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam adhuc in commune Sueui vocantur.* Atque vbi idem *Tacitus* in descriptione Cimbricae Chersonesi sequentia refert: *Genera Germanorum quinque: Vindelici, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones; alterum genus Ingaeuones, quorum pars Cimbri, Teutoni Chaucorum gentes. Proximi autem Rheno Istaeuones, quorum pars Cimbri mediterranei; Hermiones, quorum pars Sueui, Hermonduri, Catti, Cherussi. Quinta pars Peucini, Basternae, supra dictis contermini Dacis;* vti et aliis in locis Sueuos aperte Ger-

Tacitus in descript. Germ.

Tacitus ibid.

Germanos facit. Quodsi hos *Taciti* Sueuos cum eiusdem Suionibus, de quibus dicit: *Suionum hinc ciuitates ipso in oceano, praeter viros armaque, classibus valent*; et mox: *Nec arma, vt apud caeteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem seruo, quia subitos hostium incursus prohibet oceanus*; conferamus aduertamusque, quod *Tacitus* Suiones collocet *ipso in oceano*, qui a Sueuis Sueuicus dictus fuit, et quod *subitos hostium incursus* hic ipse oceanus prohibeat; quis inficiabitur, *Tacitum* loqui, ac intelligi debere de Suecia? Et quanquam *Pontanus*, *Tacitum* hoc loco Suiones pro Sueuis non habere, et haec verba: *Hic Sueuiae finis*, non de Suionibus et Sitonibus, sed de Aestiis intelligenda censet; ex eo huiusmodi sententia probari nequit, quia *Tacitus*, cuius ergo gentis Suiones, an ex Cimbris, an ex Chaucis, an ex Frisiis, si alii dicendi sunt, fuerint, non adiecit. Neque etiam procul dubio mare a solis Aestiis, quos tamen magis Britannos *Tacitus* existimabat, Sueuicum dicere, nec eos dextro huius littore, nisi apud Suiones sinistrum fuisset, allui asserere, nec Sueuiae descriptionem, antequam ad finem peruenisset, relinquere, nec a Gothonibus mare traiicere, et inde a Suionibus et Sitonibus ad Aestios, nisi vnius gentis fuissent et ad eandem descriptionem pertinuissent, reuerti voluisse censendus est.

Tacitus ibid.

55) Sed quia *Tacitus* Suiones Gothonibus, quam Aestiis viciniores iudicabat, et Aestii finem faciebant, postremo de ipsis veluti de his, qui regionem claudebant, et non de iis, apud quos necdum ad finem peruenisset, dicere voluit: quod necessitatem attulit, vt prius de Suionibus loqueretur, nisi finita per Aestios descriptione illam deinde contra decorum repetere voluisset; tum *si Quinto Metello Celeri, C. Afranii in consulatu collegae, tum in Galliis* pro-

Plinius lib. 2. c. 67. *Mela* lib. 3.

proconsuli Indos quosdam, qui ex India commercii causa nauigantes tempestatibus ex Indicis aequoribus abrepti quaeque intererant, immersi, tandem in Germaniae continente exierant, a Rege Sueuorum dono datos, praeterea *Sueuos mare nauigasse*, postremo vastum illud mare *Sueuicum mare* appellatum, et in eo omnium maxime *Suiones classibus valuisse*, constat; tot argumenta, quin Suiones Sueuis aut Suecis accenseri debeant, nullum dubium relinquunt.

Tacitus in Iulii Agric. vita.

56) Quanquam autem nunc Suecia singulare regnum constituat, et nemo eam Germaniae assuere velit; hoc tamen loco non in hodiernis, sed *Taciti* temporibus, non in hodierna, sed *Taciti* Germania versamur, atque ex his allegatis quis non illico concluserit, Suionum aut Suecorum sedes antiquitus non in Scandia, sed in Cimbrica Chersoneso quaerendas esse? Quod igitur Sueci seris demum temporibus in Scandia fuisse dici debeant, inde probatur, quod etiam posteriores autores Suediae vel Sueciae nomen tanquam adhuc obscurum ignorauerint, et adeo *Paulus Diaconus* suis temporibus hanc peninsulam nequaquam Suediam vel Sueciam, sed, sicut veteres fecerant, *Scandinauiam* appellauerit. Suediae itaque vel Sueciae nomen tum demum, cum Sueci Scandiam occupassent, auditum fuisse dicendum est. Atque illud prius, quam Saxones in Germaniae continentem, et Suiones in Scandiam abiissent, et Dani Cimbricam Chersonesum insedissent, fieri non potuisse, nec id ad commodius aliud tempus, quam hoc, circa quod nunc versamur, nimirum annum circiter 560 inuestigari ac statui posse, congrue erit deprehendere; et tandem, Suecos antiquae Scandiae populis nunquam fuisse adnumeratos, iudicare.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Veterem Scandinauiam ad ostia Vistulae non pertinuisse decernitur.

57) Examinatis nunc et collatis inter se autorum, quae de veteris Scandinauiae positione producunt, systematibus, vna aliqua generalis antiquae Scandinauiae, quoad populos eam quondam inhabitantes, illiusque secundum prouincias conclusio statuenda erit. Vbi singulas autorum antiquiorum de hac re sententias opposui, ibi quoque easdem, quoad fieri potuit, dispexi, trutinaui, et obscuriora occurrentia, prout dabatur ex autoribus, explanaui, non tam secundum meam, quam potius secundum huius vel istius, quem adduxi, autoris opinionem. Quae igitur veteris quondam Scandinauiae facies fuerit, qui illius populi, quae regiones, quique limites, in dictis autoribus partim aperte, partim etiam occulte et obscure habentur. Sunt, qui nomine communi Scandiae seu Scandinauiae antiquitus appellatas velint *Groenlandiam*, *Islandiam*, *Orcades*, *Lapponiam*, *Noruegiam*, *Sueciam*, *Bothniam*, *Gothiam* et *Finnlandiam*. Sunt, qui antiquae Scandinauiae nomine comprehendant *Biarmiam*, *Lappiam*, *Finnmarchiam*, *Bothniam*, *Sueciam* et *Noruegiam*. Alii *Scaniam*, *Sueciam* et *Noruegiam*: alii rursum *Sueciam*, *Gothiam* et *Noruegiam* constituunt. Alii denique praeter iam enumeratas adhuc Daniae quasdam regiones Scandiae attribuunt. Verum nihil regni Danici, nihil etiam Suecici quondam ad Scandinauiam pertinuisse in decursu monstratum est. Reliqua vero, Gothis tamen etiam exceptis, pro communiori autorum explicatione, ac pro maiori vel minori illorum consensu, vt singulorum produnt systemata, tenuerim.

Iacob. Zieglerus in sua Scondia.

Cluerius Germ. antiq. lib. 3. c. 38.

Ad. Bureus

Pontanus in descript. Scaniae.

Stiernhielm in differtat de Goth.

58) Sed

58) Sed quid tandem cum Viſtula? Num Scandia quoque pertigerit illius oſtia? Equidem ad me quantum attinet, affirmare nequaquam auſim, Scandinauiam quondam ad oſtia Viſtulae pertinuiſſe. Etenim monſtraui, Danos quondam Viſtulae accolas fuiſſe, in conterminis illius prouinciis haeſiſſe, et exinde in Cimbricam Cherſoneſum Saxonibus ex illa cedentibus migraſſe, antequam demum in Scandiam peruenerint, cuius etiam Danorum in Scandiam aduentus ſuo loco et tempore poſitionem adhibui. Suecos pariter, quos aliqui (quod mihi tamen credibilitatem parere nequit) in Scandia conſtituunt, extra illam, et quidem in extremis Germaniae oris pariter ad Viſtulae accolas referendos, conſtitui, ſiue, vt potius dicam, in Cimbrica Cherſoneſo cum *Tacito*, non vero in Scandia collocaui; et qua nunc ratione Viſtulae oſtia Scandinauiae contigua fuiſſe dicam?

59) Quodſi aliquis me vrgere velit ad credendum, Scandinauiam veterem vsque ad Viſtulae oſtia collocari debere, atque *Plinii* textu: *Quidam haec habitari ad Viſtulam vsque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scyris et Hirris tradunt*: id ſeſe putat euincere; quaero ego ex eo, quos illos fuiſſe populos credat? Si omnes Sarmatas, nullo modo populi hi in Scandia quondam habitarunt, nullo etiam modo Scandinauia ad oſtia Viſtulae pertinuit. Nam nullus autor Sarmatas populos in Scandia collocauit. Si omnes Germani fuerint, pariter ad Scandiam non ſunt referendi, quia nullo modo pars aliqua veteris Germaniae, quae Viſtula terminabatur, ad Scandiam pertinebat. Hic autem bene attendendum, quod *Plinius* hunc textum non ex propria ſcientia, ſed aliena et ex auditu habeat. *Tradunt*, inquit, *haec habitari ad Viſtulam vsque a Sarmatis etc.* Et idcirco mirum non eſt, quod ita de Scandia ſcripſerit.

Plinius lib. 6. c. 12.

Neque tamen idcirco carpendus est *Plinius;* nam tam illi, quam etiam aliis, et praesertim Latinis scriptoribus extrema versus Boream, mare Balticum, et Vistulam Germaniae fuerunt incognita, vt de se ipsis etiam fatentur; adeoque multo minus vera aliqua de Scandia scire potuerunt.

60) Quodsi etiam *Iornandis* textus: *Haec* (scilicet Scanzia) *a fronte posita est Vistulae*, obiiciatur, illud telum facile retundi potest, si aduertimus, quod *Iornandes* sinistram pariter notitiam habuerit de Scandia. Nam cum eam putauerit esse insulam, cum tamen reuera peninsula sit, satis manifestat, necessariam et conuenientem Scandiae notitiam sibi defuisse. Forte is Scandiam pro aliqua circa Cimbricam Chersonesum insula habuit, et sic mihi sufficit, *Iornandi* in Scanziae suae positione nequaquam tute credendum esse. Atque ideo, cum autorum veterum, quibus sufficiens Scandinauiae notio defuit, testimonio in hac parte credi non possit; illi vero, qui clariorem eius habuere notitiam, in descriptione Scandinaviae ostiorum Vistulae nequaquam meminerint, manet indubitatum, Scandiam veterem nunquam ad ostia Vistulae pertinuisse.

61) Quod supra dixi, scilicet *Iornandem* pro vera Scandia aliquam Chersonesi Cimbricae insulam forte putasse, multo iam mihi credibilius euadit, si eiusdem Scythicam descriptionem intuear. Ex hac enim aperte liquet, quod Scandia a fronte Vistulae nunquam posita, nec vnquam etiam ponenda fuerit. Nam ibidem *ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia Slauinos et Antes* positos esse pronuntiat. Deinde ita prosequitur: *Ad littus autem oceani, vbi tribus faucibus fluenta Vistulae fluminis ebibuntur, Viridarii resident, ex diuersis nationibus aggregati,*

Iornand. de rebus Getic. c. 5.

Idem.

post

post quos ripam oceani Itemesti tenent, pacatum hominum genus omnino, quibus in Austro adsedit gens Agazzirorum fortissima, frugum ignara, quae pecoribus et venationibus victitat. Ecce nunc ostia Vistulae, verum vbi contigua Scandinauia? Recensentur ab ortu ad ostia Vistulae populi Slauici et Scythici, quos tamen neque *Iornandes*, neque alius ex veterioribus autoribus Scandianos efficit. Praeterea cum veterum autorum testimonia Scythiam et Sarmatiam mediante Vistula disterminari dicant a Germania, vbi, quaeso, Scythia, vbi Sarmatia, si ad ostia Vistulae ponenda sit Scandinauia?

62) Quodsi secundum *Tacitum* consideremus veterem Germaniam, patebit, huius fines ab illo adeo trans Vistulam collocatos fuisse, cum ait: *Germania omnis a Galliis, Rhaetiisque et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur.* Atque per hunc textum sine dubio *Tacitus* mentem suam testari voluit, vt Germania ab illo Dacorum et Sarmatarum latere nequaquam fluminibus, et inter ea nec Vistula a Sarmatis, sed solo mutuo metu separetur. Nam Vistulae flumen si limitem, sicut Rhenum et Danubium versus Gallias, Rhaetias et Pannonias, ita a Sarmatarum parte constituisset, mutuum metum abstulisset: cum igitur *Taciti* tempore Germaniae fines adeo trans Vistulam se extenderint, neque hoc flumine terminati fuerint, et cum post Germaniam a veteribus aut Sarmatia aut Scythia statuatur, consequitur euidenter, nullo vnquam tempore veterem Scandinauiam ad Vistulae ostia pertinuisse.

Tacit. in descrip. Germ.

63) Quodsi etiam adeo Vistulam velut certum quondam inter Sarmatiam et Germaniam limitem admittamus, nihil tamen penitus contra nos inferri potest. *Ptolemaeus* ait: *Sarmatiam, quae in Europa fuerit, a septentrionibus*

Ptolem. lib. 3. cap. 53.

oceano Sarmatico iuxta Venedicum, et terrae incognitae partem, ab occasu vero Vistula fluuio et linea, quae est inter caput ipsius et Sarmaticos montes, et a meridie Iazigibus Metanistis, ab australi Sarmaticorum montium fine vsque principium Carpathi, et adnexae Daciae, terminari. Atque per hanc descriptionem, sicuti et alias veterum autorum Germaniae, Sarmatiae et Scythiae delineationes, quae tandem euidentior inferri potest sequela, quam quod Scandinauia, quae nec in veterum historicorum Germania, nec Scythia, nec Sarmatia memoratur, neque etiam iuxta Germaniam, nec iuxta Scythiam, nec iuxta Sarmatiam ponitur, antiquioribus temporibus nunquam ad ostia Vistulae pertinuerit. Et si hic repeto, quomodo Dani ex propriis ad Vistulam sedibus, in quibus primum vna cum Slauis circa annum 538 innotuerunt, in Cimbricam Chersonesum, et ex ea post demum in Scandiam migrauerint, quam longe tunc Vistula cum ostiis suis a Scandia remanet? et quomodo iam Scandiam quis a fronte Vistulae vere positam esse credat?

Mela lib. 3.

64) Porro quodsi *Mela Sarmatiam intus, quam ad mare latiorem, ab iis, qua sequitur, et Vistula amne discretam faciat*, et memoratis Sarmatia et Vistula neque in hoc neque in aliis scriptis suis Scandiae mentionem faciat; iterum a parte mea stat ius inferendi, quod cum veteres autores Sarmatiae et Vistulae mentione facta Scandinauiam penitus omittant, Scandinauia etiam ad ostia Vistulae nunquam pertinuisse dicenda sit. Verum ea, quae nunc de Danis, Suecis et Vistulae ostiis extra Scandiam ponendis disserui, magis adhuc clarescent in capite sequente, vbi de Gothis acturus sum.

CAPVT

CAPVT DECIMVM
ET VLTIMVM.

Gothos nec vnquam e Scandinauia progressos, nec ad illam pertinuisse demonstratur.

65) *Iornandes* post descriptionem Scanziae, quam superius attuli, tandem subiungit: *Ex hac Scanzia insula quasi officina gentium aut certe velut vagina nationum cum rege suo nomine Berig Gothi quondam egressi memorantur.* Quid per hunc textum *Iornandes* velit innuere, satis patet, nempe quod, cum Gothos ex Scanzia profectos dicat, eosdem Scandiae populos constituat. Eandem sententiam inierunt plerique recentiores, Gothiamque ad Scandinaviam pertinuisse contendunt. *Iornand.* l. 1. c.4. de rebus Goth.

66) Gothorum primam mentionem habemus apud *Tacitum* in sequentibus: *Erat inter Gothones nobilis iuuenis nomine Cadualda, profugus olim vi Marobodui, et tunc dubiis rebus eius vltionem ausus. Is valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem irrumpit regiam, castellumque iuxta situm.* Atque hic *Taciti* textus ad deducendam Gothorum ex Gothonibus originem admodum memorabilis est, in qua, quoniam autores recentiores *Tacitum* et vetustiores non attendunt, grauissime desudantes ad enormes errores delapsi sunt. *Tacitus* lib. 2. annal. sub anno 772.

67) Porro Gothos inter antiquae Germaniae populos recensendos *Suffridus* ex *Tacito* asseuerat sequentibus: *In Germanis consimilis aut certe non admodum dissimilis ratio quaerenda est: cum enim diuersae gentes in Germania multae sint, veluti Gothi, Sueui, Cimbri, Teutones, Saxones, Frisii, Franci, Bructeri, Sicambri, Bataui, et complures aliae, quarum aliae aliis latius imperarunt, singulae tamen* *Suffridus Petrus* de origine Frisiorum l. 1. c. 14.

 suis

suis quibusdam finibus limitatae fuerunt, ideoque nulla inter eas est, cuius lingua toti Germaniae ita communis fuerit, vt sub ea reliquae veluti species continerentur, Teutonicam linguam solam excipio, de qua mox dicturus sum. Procopius Gothos Sarmatas facit, cum expresse tradit: *Honorio Occidenti praesidente barbaros imperium illius inuasisse. Qui vero fuerint, et quomodo dicendum est? Gothicae gentes multae quidem, et aliae priores fuere ac nunc: omnium autem maximae et potentissimae Gothi, et Vandali, et Viso-Gothi, et Gepedes iam dudum et Sarmatae et Melanchlaeni appellati.*

Procop. l. 3. Hist. Goth.

68) Hos iam Gothos *Iornandes* quondam ex Scandia egressos memorat. Verum Scandiam non solum *Straboni* omnino incognitam, verum etiam *Plinio*, *Tacito*, *Ptolemaeo*, *Melae*, *Solino* et *Procopio* non bene cognitam indicant manifeste eorum de Scandia positiones, et scripta; et tamen *Iornandes* ex ea regione, quam ipsemet ignorauit, Gothos deducere audet, et quidem eo tempore, quo Scandia fortassis necdum habitata fuit. *Iornandem* sequitur *Pontanus*, eandem tuens sententiam, cum *veluti coronidis vice semel ponendum* contendit, *Gothos Ptolemaei adhuc aeuo haud alibi, quam intra Scandiam constitisse, quod eos nec in Dacia, aut inter Getas Germanosque vel ipse aut ante ipsum quispiam agnoscat. At vero statim exinde, id est, post tempora Antonini Philosophi, sub quo Ptolemaeus, anno circiter Christi centesimo quinquagesimo, claruerit*, et de Gothis necdum quidquam sciuerit, *hos e patriis, vt videtur, sedibus profectos, cum eiusdem aerae annus centesimus nonagesimus flueret, inter Getas et Dacos Danubio obiectos primitus notos et nominatos fuisse.*

Pontanus in chorograph. Daniae.

69) Sed quantopere aberrauerit *Pontanus*, egregie nunc intelligemus. Si enim verum esset, Gothos post

Marci

Marci Antonini tempora ex Scandia profectos esse, et in Dacia finitimisque Getarum prouinciis anno Christi circiter centesimo et nonagesimo consedisse, sequeretur profecto, et necessum esset, Maximinum Caesarem, qui, quando obiit, annorum *sexaginta et supra* fuit, non in Thracia, *Cuspinian.* sed in Scandia natum esse. Quod quia contra omnes sub Maximino. autores est, demonstratur perspicue ex eo, *Pontani* sententiam subsistere nequaquam posse. Et illud ipsum argumentum, quo eam confirmare nititur, contra eundem magis valere: nec Gothos ex Scandia circa hoc tempus profectos, *ex eo liquere, quod Antoninus Caracalla, qui* Idem. *Antoninum Philosophum circa id tempus in imperio subsecutus sit, cum fratrem Getam occidisset*, et iam Germanici, Arabici et Parthici titulos gestaret, Heluio Pertinaci risum mouerit, et hic ea de causa *non tantum Germanici,* Idem. *Arabici et Parthici, sed etiam Getici maximi*, veluti *qui* Idem. *fratrem Getam sustulisset, et Gothi Getae dicerentur, nomen eius titulis adscribi debere ioco dixisse memoretur*; sed potius hinc euidenter conuinci, quia *Caracalla* circa *annum 216*, *Caluis.* quo *in orientem* profectus est, *Gothos tumultuariis praeliis* Idem. *deuicit*, et ob hanc victoriam ei per iocum Getici nomen *Sparcian.* attribui potuit; Gothos diu ante Caracallae tempora in sub Caracalla. Dacia et finitimis prouinciis fuisse. Praeterea quia Maximinus Caesar circa annum Christi 176 natus est, cum *anno Christi*, quo interfectus est, sexagenario maior fuerit, et in Thracia patre Gotho genitus est; nemo inficiari poterit, eum sub Marco Aurelio Caesare natum, atque si Gothi quidam iam in Thracia amicitia inter Romanos et Gothos contracta iure fuerunt, alios Gothos multo magis in Dacia fuisse, et hanc sententiam, qua Gothi Maximini Caesaris tempore adhuc in Scandia haesisse dicuntur, nullo modo defendi posse, quod etiam atque etiam notan-

notandum est. Praeterea quantopere *Iornandes*, *Ioannes Magnus*, *Paulus Diaconus*, *Lazius*, aliique huic popularium opinione innixi decepti sint, ostendit tempus profectionis ex Scandia, in quo dicti autores nullatenus convenire possunt. Etenim *Iornandes*, *Ioannes Magnus*, et similes ad Aborigenum et veterum Scytharum, qui cum Aegyptiis de antiquitate certarunt, aetatem, *Lazius* ad Scyllae dictatoris, *Pontanus* post Marci Aurelii Caesaris, *Paulus* circa Theodosii et Arcadii tempora, et annum Christi 393, *Prosper* ad annum 379 referunt.

70) Quid igitur inconuenientius ab historico proferri potest, quam Gothos, aut etiam Danicas, Slauicas, Sueuicas, Bulgaricas aliasque iis affines gentes ex insula Scanzia deductas in Scythiam anno mundi conditi 2660 (vt ante adducti huius sententiae fautores volunt) ante Romam conditam 532, ante Christum natum 1288 invehere, quo fortassis tempore nulli adhuc in Scanzia cultores fuerunt? Ipsos potius Scythas, quid de se et de origine sua senserint, audiamus, *cum non minus illustria initia, quam imperium habuerint, nec virorum imperio magis quam foeminarum virtutibus claruerint, viri Parthos Bactrianosque, foeminae autem eorum Amazonum regna condiderint, prorsus, vt res gestas virorum mulierumque considerantibus incertum sit, vter apud hos sexus illustrior fuerit.* Praeterea dubium non *est, Scytharum gentem antiquissimam semper habitam*, et hanc opinionem inter ipsos adeo viguisse, vt cum *Aegyptiis de vetustate generis diu contentionem habuerint.* Imo tanta inter Aegyptios et Scythas argumentorum, quibus gens vtraque innitebatur, gratia fuit, vt eorum pondere *Aegyptiis superatis antiquiores semper Scythae visi sint*, semper, inquam, non ab orbe solum condito, sed apud Aegyptios, apud Graecos, apud Roma-

Iustin. lib. 2.

Idem.

Idem.

Idem.

Romanos, apudque eos omnes, qui gentium origines indagare solebant. Numquid illi de antiquitate gloriari potuissent, si Gothorum filii et posteri fuissent? Deinde *Scythae imperium Asiae ter quaesiuere, ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut inuicti mansere.* Idem.

71) Videant igitur, qui Gothos, Suecos, Danosque e Scanzia aut Scandia progressos volunt, videant, inquam quot erroribus dicta sua scateant. Talia profecto non tam cito probari possunt, quam dici, propterea quod iisdem plane contraria in vetustioribus autoribus et sine controuersia melioribus leguntur. Videant quoque tam illi, quam etiam alii autores, quantopere a veritate deuient, quod Scandinauiam veterem ad Vistulae vsque ostia pertinuisse asserant, cum tam Danicos, quam alios huius gentis populos illis temporibus, et quidem trans, alios cis Vistulam habitantes non aduerterint, neque etiam satis examinarint, Danos non a *Ptolemaei* Dansciónibus, sed a Cognis aut Cogenis ortos fuisse, neque etiam sufficienter inspexerint, Scythiam primo, et deinde etiam Scythiae extincto nomine Sarmatiam ad Vistulam vsque pertinuisse, et vtramque mediante Vistula antiquae quondam Germaniae affinem extitisse. Igitur, vt saepe contendi, longe alior Scandinauiae veteris positio statuenda est, quam aut ab aliquibus antiquis autoribus collocata est, aut etiam a nonnullis recentioribus adhucdum statui nouimus. Quare Danos, Suecos, et maxime Gothos ex Scandia nunquam progressos asseuero, quia ex praecedentibus probationibus, et autorum fide digniorum testimoniis illos populos nunquam in antiqua Scandia fuisse constat. Vnde apertum est, illos, quia hodiedum in Scandia existunt, posterioribus primum tempori-

bus in Scandiam ingressos esse. Itaque vetus Scandinavia constabat Noruegia cum partibus suis, deinde Lapponia, Finnlandia, Bothnia, demum Groenlandia, Islandia, Biarmia et Orcadibus insulis. Vistulae vero ostia perquam longe a Scandinauia distasse credo, et haec etiam per decursum demonstrata sunt. Atque haec, quae monstraui, quaeque etiam satis credibilibus autorum in hac parte veriorum et fide digniorum testimoniis sunt fulcita, sunt ea, quae de peninsula Scandinauia scripsi, sensi, tenui.

DIS-

DISSERTATIONIS

PARS SECVNDA.

In hac ad origines Sclauicas accuratius eruendas docendum, vtrum Slaui ab Albi in Dalmatiam, an ex Dalmatia ad Albim venerint.

Noua quaestio nouas parit difficultates, et hae rursum noua gignunt certamina; quae quidem in hac parte tanto reor acriora, quanto abstrusiora sunt, quae impraesentiarum in conflictum vocantur. Decernendum quippe, vtrum Slaui ab Albi et finitimis Germaniae prouinciis in Illyricum et Dalmatiam, an vero ex Dalmatia ad Albim venerint. Quaestio profecto intricatissima, quae in hunc vsque diem acerrime historicorum diuexat ingenia. Ego quidem optimum hic iudico, ab exordiis, imo ipsis incunabulis Slauorum per singula capita successiue et distinctim dissertare, adiuuantibus me fide dignioribus historicis; et quorsum tandem materia isthaec decidenda sit, demonstrationis et cursus et exitus edocebunt.

CAPVT PRIMVM.

In hoc praeuie monstratur, quod Sarmatarum, qui extinctorum Scytharum posteritas fuerunt, et ex quibus postea Sclauici populi pullularunt, vltima mentio anno Christi 473. facta fuerit.

1) Ab Augusti Caesaris temporibus nullam amplius Scytharum historiam, nullas res gestas, nulla bella, nullas mi-

grationes proditas atque manifestas fuisse, communis omnium historicorum consensus affirmat. Quare et locorum, et populorum, et nominum maxime Scythicorum miram varietatem ac mutationem exortam fuisse, necessario tenendum. In quae autem populorum vocabula dehinc transierint Scytharum nomina, prae aliis autoribus sat clare *Plinius* indicat, cum ait: *Scytharum nomen vsquequaque transiit in Sarmatas atque Germanos. Nec aliis prisca illa durauit appellatio, quam qui extremi gentium harum, ignoti prope caeteris mortalibus, degunt.* Vnde factum, vt veteres historiographi res omnes tam circa Danubium, quam circa Pontum gestas, vel de Sarmatis, vel de Germanis, vel de Dacis commemorarint. Pariter his postremis a Traiano deletis, totum Scytharum nomen interiit, nisi quando illud ab antiquitatis et veterum nominum studiosioribus non ad bellicas, sed historicas certationes adornandas renouatum fuit.

Plinius lib. 4. c. 12.

2) Extinctis ergo Scytharum nominibus praecipue Sarmatas nominatos audiuimus. Verum neque Sarmatas hic in examen accersemus, neque prolixam de illis historiam texemus, ne a scopo quaestionis aberremus. Sed hic necessariam iudicaui mentionem Scytharum, quia ex Scythis, vt supra attigi, orti sunt Sarmatae: necessariam etiam mentionem Sarmatarum duxi, quia ex illis Slauos originis, et nominis, et stirpis rationem et initium duxisse percipiemus. Vltimam duntaxat Sarmatarum compellationem hic statuemus, vt ita non ex abrupto, sed strata aliquantulum via ad Slauos deueniamus.

3) Igitur si attentius consideremus, quo tempore, imo quo anno Sarmatarum mentio vltima ab historiographis antiquis facta fuerit, sine dubio concludendum, eum esse annum Christi 473, quo inter reliquos autores solus et vnus

Iornan-

Iornandes Sarmatarum adhuc meminit, cum ait: *Theodomirus cum suis Saum amnem transierat, et Sarmatis militibusque eorum, si quis ei obstaret, bellum interminatus fuerat.* Nimirum cum Theodomirus, alter Ostrogothorum rex, *secundum Sidonium*, Illyricum et Thessaliam inuasit: cum etiam Leo imperator Orientis mense Ianuario annum imperii decimum septimum iniret; et in occidente Glicerius Rauennae imperator quinta Martii coronaretur. Vnde praeter alia memoratu digna, quae eodem hoc 473 anno contigerunt, non minus memorabile opinor, *quod*, vt cum *Vorburgico* loquar, *hoc (nimirum 473) anno Sarmatarum mentio vltima, nec tam celebre nomen apud autores amplius auditum, sed a Bulgarorum et Slauorum nominibus absumtum sit. Hactenus* (pergit idem *Vorburgicus*) *ex Sarmatis populi singulares praeter Alanos, qui tamen postremo in Germanorum mores et nomen transiuere, nominati sunt. Sed in genere omnes Sarmatae dicebantur. Mox generale hoc nomen euanescet, et alia plura praecipue in Vinitas, Bulgaros et Slauos diuisa huic succedent.* Haec igitur est vltima Sarmatarum mentio apud historicos, nisi quod, vt supra de Scythis habui, per antiquitatis et antiquorum populorum eorumque nominum indagatores etiam recentissimis temporibus deleta Sarmatarum nomina excitata et ad certamina historica renouata fuerint. Verum nunc relictis Sarmatis intendenda erit mentis acies, qua ratione nunc Slauos eruere possimus.

Iornand. cap. 56.

Vorburgic. volum. 5. p. 314. ad annum 473.

CAPVT SECVNDVM.

Deleto Sarmatarum nomine, licet Sclauicum nomen tunc non ſtatim auditum fuerit, auditi ſunt tamen Bulgari, ſpeciales Slauorum populi, primo 489. ſecundo 499. tertio 503 et 504. quarto 530.

4) Obſoleto nunc et extincto Sarmatarum nomine, vlteriori paſſu progrediendum ad inueſtigandam quoque Sclauici nominis originem et exiſtentiam; atque ad illam non obſcure perueniri poſſe reor, ſi primum in hoc capite Bulgarorum nominatio aperta ac manifeſta fiat. Etenim cum Bulgari, et Slaui, et etiam Antae, velut Sarmatarum certa poſteritas atque propago, eandem et moribus et lingua et reliquis populorum notis gentem effecerint, atque in vniuerſum Slaui vocati fuerint (vt ex currente diſſertatione ſufficienter patebit) ſeruata duntaxat nominationum diſtinctione; cur ibi Slaui lateant, vbi aperiuntur Bulgari, Slauorum ſocii? Atque vbi Bulgaros aperte in lucem prodidero, etiam poſtmodum tanto et facilius et manifeſtius Sclauicum nomen indigitare potero. Praeterea idcirco etiam ante Slauos de Bulgaris agendum, quia Bulgari ex Slauicis Sarmatiae populis primi fuerunt, qui in Sarmatia poſtmodum notiore auditi, primi etiam ex illis populis, qui cogniti ac deſcripti ſint ab hiſtoricis. Verum ne ab hiſtoricae veritatis et credibilitatis tramite aberrem, ne pariter etiam confuſionibus inuoluar, de temporibus et annis, quibus Bulgari in orbe noti facti ſunt, diſtinctim ſum acturus.

5) Igitur pro primo tempore, quo Bulgarorum et populus et nomen audita ſunt, ſtatuo conuenientius veritati annum Chriſti 489, quo ipſo anno autores ſtatuunt bellum, quod Theodoricus Amali filius rex Italiae cum

Gepidis et Bulgaris geſſit. Etenim *Sigonius* refert: *Tranſillam Gepidarum et Buſam Bulgarorum reges ſiue ſua ſponte impulſos, ſiue ab Odoacre rege tantam molem a ſe auertere cupiente ſollicitatos, inſidias Theodorico regi paraſſe, atque ipſum, antequam iter ingrederetur, adortos fuiſſe.* Atque cum hic ambiguus haereret Theodoricus, vtrum Gepidas, an Bulgaros primo adoriretur; in illos primum, quam hos tendere maluit ſecumque decreuit. Huius rei cauſam manifeſtam reddit *Caſſiodorus* ſcribens: *Tum temporis Bulgaros toti orbi terribiles dictos fuiſſe.* Hic vero toti orbi incuſſus terror inde ortus fuit, quod, teſtante *Sigonio, Bulgari, quia tum gens noua, atque paulo ante ex Scythia profecta dicebantur, fama maiores fuerint.* Hic igitur habemus pro prima Bulgarici nominis exiſtentia et cognitione plura teſtimonia. Primo enim Theodorici cum Gepidis et Bulgaris bellum accuratam habet cum tempore et anno poſito conuenientiam. Deinde, Bulgari populi dicebantur toti orbi terribiles, quales neque ante hoc tempus ipſimet Bulgari, neque hoc etiam tempore alii populi dicti fuerant. Tertio, cauſa huius terroris prima fuit, quia Bulgari habebantur gens noua: iam vero quae alia dici poteſt gens noua, niſi quae hactenus neque audita, neque cognita, neque viſa, neque armis tentata fuit? Altera cauſa fuit, quod Bulgari paulo ante ex Scythia dicerentur profecti; et quid, non dicam Scythicis armis, ſed adeo Scythico duntaxat nomine tunc temporis orbi terribilius eſſe potuit? Quod autem Bulgari dicantur profecti ex Scythia, non intelligendum eſt de terra Scythica, ſed de nomine Scythico, quod apud autores manſit, licet Scythia, vt in capite primo teſtantibus autoribus oſtenſum eſt, dudum ante illa tempora in Sarmatiam deſierit, et populis a Sarmaticis habitata fuerit.

Sigonius de Imperio occident. l. 15.

Caſſiod. var. l. 8. epiſt. 10.

Sigon. l. 15.

6) Pro

6) Pro altero tempore, quo Bulgarorum nomen auditum fuit, iure ſtatuitur annus 499, quo, dum Anaſtaſius imperator papam Symmachum grauiſſime affligeret, Bulgarorum impetus Danubium ſuperantium, et in Thraciam excurrentium, atque Anaſtaſii exercitum profligantium diuinitus immiſſus credebatur, vt teſtantur ex *Baronio* ſequentia: *Ita autem cum populo ſimul et principe delinquente Deus barbaros in eum* (Anaſtaſium) *mouet. Hoc enim anno gens ignota nomine ex intimis borealibus finibus palabunda progreſſa, timenda cunctis, violento agmine ſeſe infudit in Thracias, fuerunt hi barbari Bulgari nominati, de quibus Romanos ſuperantibus ita ſub huius anni conſulatu Marcellinus ſcribit: Ariſtus Illyricianae ductor militiae cum quindecim millibus armatorum, et cum quingentis viginti plauſtris, armis ad praeliandum neceſſariis oneratis, contra Bulgaros Thraciam deuaſtantes progreſſus eſt. Bellum iuxta fluuium Zeuitam conſertum, vbi plus quam quatuor millia noſtrorum aut in fuga, aut in praecipitio ripae Liccae, et ſine flumine interemta ſunt. Ibique Illyriciana virtus militum periit, Nicoſtrato, Innocentio, Tanco, et Aquilino comitibus interfectis.* Per hanc victoriam Bulgari famam ſuam adeo dilatarunt, vt nunc toti orbi *terribiles*, nunc *omne, quod vellent, habere poſſe dicerentur*; et ipſe Anaſtaſius imperator ferro ab illis victus non amplius his armis eos, ſed auro ſuperare contenderit, et huius ingenti vi perſoluta ad tempus graſſationem illam redemerit, et iam, quomodo eosdem in Theodoricum concitaret, animo agitare coeperit.

Baronius num. 12.

Caſſiod. var. lib. 8. ep. 10.

7) Pro tertio tempore, quo Bulgari auditi, verius ponitur annus 503 et 504, quod exinde conuincitur, quod, dum aeque imperator Anaſtaſius, ac etiam rex Theodoricus nouam et toti orbi terribilem Bulgarorum

gentem

gentem pertimesceret, *Anastasius Bulgaros*, quos vincere alias admodum difficile erat, *magna pecunia iis persoluta ab oriente in occidentem* conuerterit, et per hos grauissimum contra Theodoricum bellum commouerit; ita, vt quem propriis armis ausus non erat lacessere, alienis et aggrederetur, et implicaret. Quantus tunc Bulgarorum impetus fuerit, patet ex eo, quod Theodoricus exercitum ad signa conuocare, sub his in Pannoniam mittere, et pro Sirmio recipiendo atrox cum Bulgaris bellum gerere coactus fuerit.

Baronius sub ann. 502. n. 39.

8) Bulgari cum itaque suasu Anastasii ex Thracia in Pannoniam penetrassent, omnia hostili tumultu replessent, et Sirmium oppidum occupassent; Theodoricus Petzam comitem cum expedito exercitu ad Bulgaros misit, qui bellum magna dexteritate gessit, Gepidarum et Bulgarorum regem trucidauit, et Sirmium recepit opera Vitigis, qui post regnauit, vti docent *Caluisius* et *Sigonius* ad hunc 504. annum. Et profecto quanti eodem tempore nominis fuerint Bulgari, partim colligitur ex antecedentibus, partim etiam ex sequentibus: *Sequens Christi annus quingentesimus quartus vnius consulis Caethei nomine notatur a Cassiodoro et Marcellino: sed puto pro Caetheo Detego restituendum, quod Romanum est nomen; et hoc tempore claruisse reperitur Romae eiusdem nominis senator amplissimus, ad quem extant litterae Ennodii Ticinensis: sub quo quidem consule, inquit Cassiodorus, virtute Domini nostri regis Theodorici victis Bulgaribus Sirmium recepit Italia.* Profecto rem non parui fuisse momenti, quod Bulgari a Theodorico debellati fuerint, idem *Cassiodorus* fatetur his verbis: *Egit* (Theodoricus) *de Hunnis inter alios triumphum, et emeritam laudem primis congressibus auspicatus neci dedit Bulgaros toti orbi terribiles.* Ex quibus profecto constat, quod

Caluis. et *Sigon* ad annum 504.

Baron. n. 1. et 2.

Cassiod. variar. lib. 8. ep. 10.

quod, ſi temporum rationes, populorum bellorumque circumſtantiae conferantur, Bulgari non tantum anno 503 et 504 tertio auditi ſint, ſed etiam, quam terribiles toti orbi apparuerint.

9) Pro quarto tempore, quo Bulgari ſunt auditi, certioribus ex indiciis aſſignatur annus 530; quo ſecundum *Sigonium* imperator Iuſtinianus inſtitutiones iuris et digeſta legum curauit conficienda. Quo etiam Certicius rex in Anglia auſtralium Saxonum vicit Britannos, et inſulam Vectam cepit. Atque hoc ipſo anno Bulgaros rurſum infeſtaſſe Thraciam, rurſum etiam ingenti clade affectos fuiſſe, teſtatur *Marcellinus* ſequentibus verbis: *Mundo militiae magiſter Getas Illyricum incurrentes vincit, et paulo poſt etiam Bulgaros, qui Thraciam infeſtabant, multis eorum occiſis.* Atque ex his omnibus indiciis et probationibus aperte conſequitur, veritati maxime conformia quatuor eſſe tempora in hoc capite allegata, quibus Bulgarorum in orbe mentionem, nominationem, vti etiam res geſtas et bella, deſcripſimus. Verum iam etiam aliquando inquirendum in Sclauici nominis originem, vt ita, quod caput eſt, ad propoſitae quaeſtionis ſcopum proximius collineemus.

Marcell. ad annum 530.

CAPVT TERTIVM.

Slauorum nomen exortum et primum auditum fuit anno 538. unde falluntur, qui eos, eorum nomen, res geſtas, regiminis formam vel ante, vel ſtatim poſt Chriſti natiuitatem extitiſſe ſcribunt.

10) Factis nunc tam prima, quam vlterioribus Bulgarorum mentionibus nunc tandem etiam operae pretium erit, vt, quomodo Sclauicum quoque nomen coortum ſit,

ſit et Sarmatico ſucceſſerit, et quandonam prima Slauorum apud veteres hiſtoriographos memoratio facta fuerit, paululum diſſeram et indagem. Id quippe hoc loco maxime neceſſarium arbitror, vt hoc modo pariter exinde liquere poſſit, qua ratione Sclauicum nomen (vt poſtmodum audiemus) et in Germaniam, et in Illyricum promotum fuerit. Non deſunt ex autoribus, qui Sclauicam gentem immediate ex Scythia progreſſam velint. Ita *Sigonius* Slauos conſiderat *velut gentem nouam, et paulo ante ex Scythia profectam.* Gentem nouam fortaſſis nullus inficiabitur, vtpote cuius nomen antea inauditum orbi nunc primum cognitum factum eſt. Sed Slauorum gentem ex Scythia profectam vix aut ne vix quidem deprehendet is, qui Scythiae a veteribus autoribus proditae atque deſcriptae faciem, ac ſitum et populos intuetur. At ſiquis Scythiam modo et intellectu latiſſimo velit ſumere, et ad eam, quidquid extra Germaniam fuit, olim pertinuiſſe contendat, non admodum videtur culpandus, propterea quod etiam poſteris temporibus Scythicum nomen apud hiſtoricos in vſu fuit. Quanquam reipſa tunc Scythia in Sarmatiam tranſierat, vt innui Cap. primo, vbi circa Augusti tempora Scythiae vltimam mentionem factam, et dehinc Sarmatiae nominationem ſubſecutam monſtraui.

Sigon. de imperio occid. lib. 15.

11) Hoc modo ſumtam a *Iornande* Scythiam cenſendum, cum eam anno Chriſti 538 deſcripſit; quae hic eo conuenientius inſerenda, quo eſt ſuccinctior, et quo apertius in ea circa ipſum 538 annum Slauorum prima facta fuit mentio. Sic enim *Iornandes* ſcribit: *Scythia ſiquidem Germaniae confinis terrae, eatenus vbi Hiſter amnis oritur, vel ſtagnum dilatatur Myſianum tendens vsque ad flumina Tyram, Danaſtrum, et Vagoſolam, magnumque illum Danubium, Taurumque montem, non illum Aſiae, ſed*

Iornandes de reb. Geticis.

sed proprium, id est Scythicum, per omnem Maeotidis ambitum, vltraque Maeotida per angustias Bosphori vsque ad Caucasum montem, amnemque Araxem, ac deinde in sinistram partem reflexa post mare Caspium: quae in extremis Asiae finibus ab oceano Euroboreo in modum fungi primum tenuis, posthaec latissima et rotunda forma exoritur, vergens ad Hunnos, Albanos et Seres vsque digreditur. Haec, inquam, patria, id est Scythia longe se extendens lateque aperiens habet ab oriente Seres, in ipso sui principio ad littus Caspii maris commeantes, ab occidente Germanos, et flumen Vistulae ab arctoo, id est, septentrionali circumdatur oceano, a meridie Perside, Albania, Hiberia, Ponto, atque extremo alueo Histri, qui dicitur Danubius, ab ostio suo vsque ad fontem. In eo vero loci latere, quo ponticum littus attingit, oppidis haud obscuris inuoluitur, Borysthenide, Olbia, Callipode, Chersone, Theodosia, Pareone, Mirmycione et Trapezunte, quas indomitae Scytharum nationes Graecos permisere condere, sibimet commercia praestituros. In cuius Scythiae medio est locus, qui Asiam Europamque ab alterutro diuidit, Riphaei scilicet montes, qui Tanain vastissimum fundunt intrantem Maeotida, cuius paludis circuitus passuum millia centum et quadraginta quatuor nusquam octo vlnis altius subsidentis. In qua Scythia prima ab occidente gens sedit Gepidarum, quae magnis opinatisque ambitur fluminibus. Nam Tisianus per Aquilonem eius corumque discurrit, ab Africo vero magnus ipse Danubius, ab Euro fluuius Tausis secat, qui rapidus ac verticosus in Histri fluenta furens deuoluitur. In his, quae iam sequuntur, praeprimis notandum et accurate attendendum, qua ratione in hac *Iornandis* Scythiae descriptione prima Slauorum (quorum hactenus nominationem nusquam vidimus,) mentio fiat. Sic enim pergit *Iornandes: Introrsus illi* (nimirum Scythiae)

Dacia

Dacia est ad coronae speciem arduis Alpibus emunita, iuxta quorum sinistrum latus, quod in Aquilonem vergit et ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia venit, Vinidarum natio populosa consedit, quorum nomina licet nunc per varias familias et loca mutentur, principaliter tamen Slauini et Antes nominantur; Slauini a ciuitate noua, et Slauino Rumunnense, et lacu, qui appellatur Musianus, vsque ad Danastrum et in Boream Viscla tenus commemorantur. Hi paludes siluasque pro ciuitatibus habent. Antes vero, qui sunt eorum fortissimi, qui ad Ponticum mare curuantur, a Danastro extenduntur vsque ad Danubium, quae flumina multis mansionibus ab inuicem absunt. Ad littus autem oceani, vbi tribus faucibus fluenta Vistulae fluminis ebibuntur, Viridarii resident ex diuersis nationibus aggregati, post quos ripam oceani Itemesti tenent, pacatum hominum genus omnino, quibus in Austro adsedit gens Agazziorum fortissima, quae pecoribus et venationibus victitat. Vltra quos distenduntur supra mare Ponticum Bulgarorum sedes, quos notissimos peccatorum nostrorum mala fecere. Exinde *Iornandes* adhuc commemorat Hunnos, quorum alii sint Aulziagri, alii Auiri, et denique Hunugaros, quorum mansionem primam dicit fuisse in Scythia sola, secundam in Moesia, tertiam supra Pontum, et quartam rursum in Scythia collocat. . . . Quid ad rem nostram hic praestantius et clarius hoc testimonio *Iornandis* de prima Slauorum nominatione? Commemorantur iam in ipsius descripta Scythia praeter Bulgaros et Antes etiam ipsimet Slaui, quos tamen hucusque neque ad aliquem annum, neque apud aliquem alium fide dignum autorem reperire quisquam potuit. Paucis, ante hoc tempus et ante hunc 538 annum nondum auditum, nondum lectum fuit nomen Sclauicum; adeo, vt circa ipsum hunc annum prima nomi-

nis Sclauici compellatio et commemoratio ſit iure ſtatuenda.

12) Verum ſunt tamen, qui Slauorum mentionem antiquiorem faciunt, quam eadem iam ante poſita eſt. Sunt, inquam, qui (vt ex *Cromero* patet) *cum Flauio Blondo Foro-Liuienſi Arcadii et Honorii tempora perſequentes* inter haec ipſa *Slauorum* meminerunt; ſed id tanto cum errore, vt, cum nullus ab iis huius ſententiae autor oſtendi poſſit, aut fictum videri debeat, aut illos magnum illud inter Honorii et Iuſtiniani tempora interuallum nequaquam bene perſpexiſſe et examinaſſe, credendum ſit. Verum nunc eo diſſertationem perueniſſe reor, quo nunc etiam, quid reuera de prima Slauorum ſede ſentiri ac ſtatui debeat, diſpiciendum ac docendum erit.

Crom. de Polonicis lib. I. c. I.

CAPVT QVARTVM.

Slauorum origines ac primae ſedes veroſimilius petendae ſunt ex Sarmatia incognita, atque hanc, in qua Slaui primum ſederunt, incognitae Sarmatiae portionem nunc per Lithuaniae et Moſcouiae et circumiacentes prouincias, priſcis auctoribus adhuc ignotas, deſcribi et manifeſtam fieri debere monſtratur.

13) Nacti nunc ſumus et memorationem Sclauicam, et nomen Slauicum, et populos aperte Slauos appellatos, quorum ante 538 annum ne vllum quidem indicium ac veſtigium in aliis autoribus deprehendere licuit. Illos in Scythia fuiſſe, *Iornandes* aſſerit, ſed vnde in eam profecti ſint, non addit; atque inde eorum originem plane in obſcuro relinquit. Vnde igitur ad Slauorum primas ſedes et primordia deueniemus? Scythiam Auguſti temporibus extinctam tranſiiſſe in Sarmatiam, et exinde nonniſi Sarmatarum nomen a veteribus hiſtoricis memoratum

fuiſſe

fuiſſe monſtraui: Sarmatarum vero nomen poſtmodum in Slauorum compellationem conuerſum iam etiam oſtenſum eſt; et tamen aut ex quibus orbis angulis repetenda, aut ex quibus latebris eruenda ſint incunabula Sclauica, prorſus ambiguum eſt, incertum et obſcurum. Atque cum in hac parte veterum hiſtoricorum neque certa teſtimonia, neque ſolida momenta ſuppeditari video, profecto in re tantis obſcuritatibus obnubilata certi quidquam ſtatuere nonniſi difficillimum arbitror. Verum eſt tamen adhuc aliqua euadendi via, et Slauorum origines aperiendi modus, qui ſi recte obſeruetur et adhibeatur, ex his nihilominus obſcuritatibus ad credibilitatis ſpeciem perueniri poterit.

14) Igitur ſequentem exorno monſtrationem: Ad veri ſimilitudinem proximius accedit, quod aſſeram, Slauorum origines ac primas ſedes eſſe repetendas ex Sarmatia incognita: etenim nouimus ſatis ex hiſtoriis, *Procopium* et *Iornandem* primos fuiſſe, qui Slauorum et Antarum meminerint. Cum igitur ante *Procopii* et *Iornandis* tempora Sarmatiae incognitae populi penitus latuerint, neque etiam aliquid tunc de Slauorum et Antarum nominibus exauditum fuerit, ſimulque, vt in ſequente capite dicetur, poſtmodum cum Sarmatia cognita in lucem prodierint et orbi manifeſtati ſint Slauorum populi; vnde iam repetendae eſſent origines Sclauicae, ſi ex Sarmatia incognita non repetantur? Equidem Bulgarorum ex *Caſſiodoro* et *Ennodio*, vt ex capite ſecundo patet, altior eſt memoria, ſed tamen ſine vllo originis et certarum ſedium indicio. Praeterea diuus *Hieronymus*, cum populos omnia vaſtantes commemorat, *et Gothos*, *Sarmatas*, *Quados*, *Alanos*, *Hunnos*, *Vandalos*, *Marcomannos*, *Gepidas*, *Herulos*, *Saxones*, *Burgundiones et Allemannos* nominat, nullam

D. *Hieron.* Epiſt. adAgeruchiam et Heliodor.

nullam tamen vel Slauorum in genere, vel Bulgarorum in ſpecie mentionem facit; ſed Sarmatarum nomen tunc adhuc auditur, et Slauorum nomen ſub illo conditum latere dicendum eſt. Ita etiam ſub Attilae regno, in quo tot populi tanguntur, Slaui omnino ſilentur. Vnde ſic infero: Igitur origines Sclauicas conſequi nequaquam poſſumus aliunde, niſi ex Sarmatia incognita: non ex Scythia, quam occupatam iſtis temporibus incolebant Hunni: non ex Dacia, quam poſt Viſi-Gothos et Hunnos tunc Gepidae tenebant: non ex Sarmatia cognita, in qua nulla antehac Slauorum memoria extitit. Praeterea quis non videt, in eadem Sarmatia cognita a *Ptolemaeo* equidem deſcripta, a *Strabone* parumper tacta, ab aliis autem cum Scythia confuſa Slauos nullibi poni, nullibi nominari, nullibi innoteſcere? Quapropter, ſi Slauos ex incognita Sarmatia erupiſſe, et hoc modo primum orbi cognitos factos eſſe dicam, nihilominus tamen credibilem ſententiam ſtatuero.

15) Verum ne me tamen omnino in hac parte deſtitutum autoritatibus prodam, etiam illis adiuuantibus ea, quae hic in quaeſtionem vocantur, non parum confirmare in animo habeo. Etenim, quod dixerim, Sarmatiam eam fuiſſe incognitam, in qua primas Slauorum origines ſtatui, non obſcure quoque ex veteribus hiſtoriographis colligendum. Nam ne quidem vniuerſa Germania quondam autoribus patuit, quemadmodum fidelis

Strabo lib. 7. teſtis eſt *Strabo*: *Ea*, inquit, *regio Germanorum, quae ad Aquilonem vergit, ad oceanum pertinet. Cogniti ſunt autem, qui ab exitu Rheni vsque ad Albim initium capiunt, e quibus celeberrimi ſunt Sugambri Cimbrique. Ea vero plaga, quae trans Albim oceanum ſpectat, nobis prorſus eſt incognita. Nullum enim priorum ad orientem vsque Caſpii maris oſtium*

hanc

hanc peregisse navigationem accepimus: neque Romani Albim ipsum transcenderunt, nec vlli similiter iter pedestre suscepere. Incognita itaque fuit antiquitus Germania transalbina, neque etiam Romanos Albim vnquam transcendisse iam nouimus; et quomodo iidem antiquissimae Sarmatiae, quae adhuc vltra Germanos fuit, cognitionem aliquam habuerint, cum eo certissime nunquam deuenerint? Audiamus *Polybium* his super egregie differentem: *Europa in Septentrionem versa ab oriente vtrique* (nimirum Asiae et Africae, de quibus locutus fuerat) *opponitur, extenditurque vsque ad Occasum. Eius praecipua pars* (quae tunc Germaniam et Sarmatiam conficere debuisset, si cognitae fuissent) *septentrionem spectat intra Tanaim et Narbonem fluuium, qui non longe distat ab ore Massiliae ac Rhodani ostiis, quae in Sardoum influunt mare. Hanc omnem regionem Galli habitant vsque ad Pyrenaeum montem, extenditurque a mari nostro ad oceanum. Reliquam Europae partem a Pyrenaeo ad occasum, hoc est, vsque ad columnas Herculis, ab latere circuit mare nostrum, ab altera oceanus. Ora, quae mari nostro abluitur vsque ad columnas Herculis, Hispania vocatur. Pars, quae oceanum spectat, commune quidem nomen non habet, vt quae recens in cognitionem venit, sed longe lateque a barbaris colitur, de quibus suo loco particulariter dicemus: nam quemadmodum ea regio, quae iuxta Aethiopiam est, vbi Asia atque Africa iunguntur, vsque in nostram aetatem ignota est, nescitur-que, vtrum perpetua sit et continens, an claudatur pelago, ita* (quod bene notandum) *omne id, quod intra Tanaim atque Narbonem ad septentrionem vergit* (et quod postea partim Sarmatiae, partim Germaniae nomen obtinuit) *vsque in praesentem diem* (quo *Polybius* vixit, nempe circa annum ab vrbe condita 600 et vltra) *ignoratur; somniant-*

Polybius l. 3.

que (quod vel maxime notetur) *ſiqui de iis vel loquuntur aliquid, vel ſcribunt.* Haec igitur fuit illa quondam omnibus paſſim autoribus incognita Sarmatia, in qua Slauos primum haeſiſſe dicendum eſt, et ex qua poſtmodum in cognitam eruperunt.

16) Quoniam autem haec incognita Sarmatia praeter Germaniam, cui contigua fuit, ampliſſimam Europae portionem effecit multis ac variis tam prouinciis, quam populis refertam; hinc inquirendum, in qua determinata illius parte primum Slaui conſederint, et in quam terrae portionem ex illa migrauerint. Atque hic cum nulla adſint veterum hiſtoricorum teſtimonia, ego cum *Vorburgico* ſtatuo, Slauos ex illis Sarmatiae incognitae regionibus, quae hodie Lithuaniae et Moſcouiae nomen obtinent, in Sarmatiam cognitam erupiſſe, atque Sarmatarum nomen extemplo abſorpſiſſe. Etenim conſtat ſatis, Lithuaniam et Moſcouiam a nullo veterum ſcriptorum fuiſſe inueſtigatam; adeo, vt ne ipſi *Iornandes* et *Procopius* ſuis temporibus earum notitiam habuerint, et nil penitus de illis commemorauerint, quod tamen nequaquam omiſiſſent, ſi illarum notitiam habuiſſent. Secundo, in nullis momentis extat Lithuaniae et Moſcouiae memoria. Tertio, id ipſum conuincit Tanais, quem *Iornandes* ex Riphaeis montibus deiici contendit ſequentibus: *Tanaim vero hunc dico, qui ex Riphaeis montibus deiectus adeo praeceps ruit, vt cum vicina flumina ſiue Maeotis vel Boſphorus gelu ſolidentur, ſolus omnium confragoſis montibus vaporatus nunquam Scythico dureſcit algore. Hinc inter Aſiam Europamque terminus famoſus habetur. Alter eſt ille, qui montibus Chrinnorum oriens in Caſpium mare delabitur.* Qui ergo vnius et alterius Tanais fontes, qui nec in Riphaeis, nec in Chrinnorum montibus, ſed in plano et Moſcouiae lacubus

Vorburg. ad annum 538.

Iornand. de rebus Getic. c. 5.

cubus inueſtigandi ſunt, ignorauit, illum etiam regiones circa eos, et ſic tam Lithuaniam, quam Moſcouiam ignoraſſe, et iſtam Sarmatiae partem adhuc incognitam habuiſſe, euidenter conſequitur. Quarto, commemorantur paſſim ab autoribus recentes Slauorum ſedes, verum absque vlla origine, et absque vllo progreſſu. Quare legitime concludo, quod Slaui ex Sarmatia incognita, vbi nunc Lithuania et Moſcouia eſt, in cognitam et apertam Sarmatiam, in qua veteres Sarmatae, Alani et Roxolani iam conſumti erant, et ex qua Germani, qui hanc dudum occupauerant, atque cum Dacia et Scythia coniunxerant, diſceſſerant, magna multitudine eruperint. Ex hac vero cognita Sarmatia quo vlterius Slaui progreſſi ſint, in capite ſequente videbimus.

CAPVT QVINTVM.

Slauos ex Sarmatia cognita primum progreſſos ad Viſtulam, deinde etiam in Germaniae continentem et regiones inter Viſtulam et Viadrum ſitas, easque auitis ſedibus ſuis adieciſſe monſtratur.

17) Slaui, cum iuxta praecedentem oſtenſionem nunc Sarmatiam cognitam in poteſtate haberent, nouis atque nouis ſemper migrationibus intenti ad ſedes vlteriores capeſſendas ſeſe accinxerunt. Sed quorſum eos ex Sarmatia cognita progreſſos aliquis exiſtimet? Procul dubio ad faciliora aditu ſe pararunt. Atque illos hoc modo regiones inter Viſtulam et Viadrum, antequam Germaniam vlteriorem attingerent, occupaſſe dicendum. Ad quam poſitionem ſtabiliendam nihil manifeſtius eſſe poteſt, quam ſupra allatum *Iornandis* teſtimonium; vbi ipſe contendit, quod *Vinidae* (id eſt Slaui) quos ante ex Sarmatia incognita in cognitam erupiſſe diximus, *ab ortu Viſtulae fluminis per immen-*

Iornandes de rebus Getic. c. 5.

immensa spatia, familias et loca vagarentur, et ex his, qui Slauini praecipue dicebantur, a ciuitate noua et Slauino Rummunense, quae verba *Fridericus Lindenbrogus* ita legit: *Slauini a ciuitate noua, et Auense, et lacu, qui dicitur Nursiano* (sed forsan melius sic: *a ciuitate noua, et fluuio Rummunense*) *et lacu, qui appellatur Musianus vsque ad Danastrum et in Boream Viscla;* vel potius vt paulo ante pronuntiauerat: *Vistula, tenus commorarentur, et paludes siluasque pro ciuitatibus haberent;* atque procul dubio Poloniam a plano nominarent, nec, donec Lechus in eam venerit, expectarent. Quanquam autem *Iornandes* Poloniam quidem expresse non nominet, neque id nominis tunc notum fuisse constet; attamen teneri debet, Slauos, postquam has regiones occupassent, eas extemplo Poloniae nomine insigniuisse; vt ita nouum harum regionum nomen cum nouis habitatoribus, nimirum Slauis, simul exordium sumsisse dicendum sit. *Pole* enim, a qua voce Slaui dixere Poloniam, in lingua Slauica planitiem significat.

18) Vt vero etiam id ipsum, quod assero, Slauos nimirum ad Vistulam et Viadrum progressos esse, maioribus momentis, quod in hac parte praecipue necessarium est, firmetur; hinc etiam hoc loco singulariter atque amplioribus cum circumstantiis differendum de populis, qui ante Slauorum in dictas terras aduentum in regionibus circa Viadrum et Vistulam sederunt; quo scilicet hi populi nomine notati fuerint, quid de iis memoratu dignum, quid eosdem ad has deserendas habitationes impulerit, et quam speciatim terrae portionem exinde post discessum suum petierint repleuerintque, ac qua demum ratione Slaui vacuas istorum sedes occupare potuerint, et reuera etiam occuparint.

 19) Quo

19) Quo tempore cum Sarmatia cognita Slaui sese nobis patefecerunt, ingentes motus, varias populorum confinium migrationes, discessus, occupationes exortas fuisse, extra dubium esse debet. Neque minus verum esto, alios simul variosque populos, quorum nomen antea nondum auditum fuerat, tum, cum Slaui in apertam Sarmatiam progressi dicuntur, autoribus primum cognitos euasisse. Hoc itaque modo considerari simul debent cum Slauis exorti Dani, Saxones et Allemanni; quorum omnium nomen sedesque ac migrationes apud nullum penitus scriptorem classicum ante hanc Slauorum ex Sarmatia incognita eruptionem auditae vnquam fuerunt. Considerandi quoque sunt praeter iam numeratos et Varni, Heruli, Longobardi, Sueui, Boioarii (quorum sunt vetustiora nomina) aliique complures, eorumque simul et sedes et migrationes, vt ita illud, quod de Slauis hoc maxime loco in quaestionem vocatum est, magis atque magis dilucidetur et inclarescat. Etenim quis erit tam coecus in historiis, qui Slauos velut ex improuiso ad Vistulam et in conterminis Vistulae regionibus audeat collocare, et, quod caput est, nequaquam decernat, vtrum Slaui ibidem vacuas etiam sedes repererint, qui ibidem populi consederint ante eorum aduentum, et quorsum illi migrauerint, quis, inquam, dissertaturus talia tamque inconuenientia statuet? Omnium igitur praetactorum populorum cohaerentes circumstantiae simul cum Slauicis expeditionibus ad tractum Vistulanum factis examinari conferrique maxima cum diligentia debent, siquid historicae veritati consentaneum, siquid certum, verum ac fide dignum velimus eruere.

20) Non solos se mouisse, nec etiam solos migrationibus suis hoc maxime tempore, de quo agimus, ce-

lebres fuisse Slauos, euidenter conuincunt motus ac migrationes etiam a Danis et Saxonibus susceptae, et hoc loco praeprimis ponderandae. Atque si quocunque modo circa hanc et Slauorum, et Danorum, et Saxonum, et praeterea etiam huc pertinentium Francorum Sueuorumque migrationem adiuncta contemplari libeat, patebit profecto, ex istis nunquam et nullum certius atque verius credibiliusque tempus erui ac statui posse, quam illud, quod hic iam statuo, nimirum annum Christi quingentesimum sexagesimum; quod tempus alii exordiuntur ab anno quingentesimo quadragesimo octauo, et extendunt vsque ad quingentesimum sexagesimum. Ante hunc annum, aut certe ante paucos annos Danos necdum fuisse in Cimbrica Chersoneso et insulis circa, Suiones necdum in Scandia, Saxones necdum inter Rhenum et Visurgim, Francos necdum circa Moenum, Slauos necdum in Germaniae continente consedisse, liquet ex omnibus veteribus historicis, quorum nullus omnino ante hoc tempus praedictos populos ad ante tacta loca collocare legitur. Tum autem haec variatio certior erit, quando praecipue Cimbrica Chersonesus vel Iutia cum insulis circa Dania, regio inter Rhenum et Visurgim Saxonia, regio a Vistula ad Albim Slauia, vti etiam Scandia, Suecia, et regio circa Moenum Ostro-Francia vocabitur.

21) Cum necessario hoc loco statuendum sit, Danos earum regionum ad Vistulam, in quas ab illis vacuas relictas Slauos ingressos superius asserui, antea habitatores fuisse, et exinde vero in Cimbricam Chersonesum esse profectos; noua simul suboritur disceptatio de Saxonibus, quos ante Danorum aduentum Cimbricae Chersonesi habitatores statuunt veteres historici. Atque equidem Saxones Cimbricam Chersonesum antea inhabitasse,

cer-

certum satis est inde, quod ab autoribus ex eadem Cimbrica Chersoneso, siue vt aliter dicitur, Iutlandia vel Iutia pulsi referantur. Id tamen nescio, quomodo admittendum sit, quod aliqui autores Saxonici, et praecipue *Cranzius* et *Saxo*, Saxones ante natum adeo Christum a Danis ex sede sua pulsos dicant, id equidem, cum anno 448. primum factum ab historicis veteribus narratur; praeterea cum vna cum Slauis et Danis quoque Saxones primum patefactos nouimus, eorum omnium migrationes simul exortas legimus, nescio sane, quomodo Saxones origine sua et vetustate adhuc eo vetustiores fieri, imo diu ante Christum nominari, poni, et circumduci a talibus suae gentis autoribus, dicam. Verum mei non est instituti nec propositi, de hac re cum istis longius et quidem ex professo disputare, cum in apertam quaestionem non sit vocata. At bonum tamen est, quod scriptores aliqui Saxonici, vtcunque demum quandoque fabulis ludant, Saxonum in Cimbrica Chersoneso degentium historiam, et Danorum a Vistulanis sedibus in loca Saxonum discessum satis clare et credibiliter nobis aperuerint reliquerintque. Quos simul non absque bellis loca sua et habitationes mutasse, *Cranzius* ex *Saxone Grammatico* egregie testatur sequentibus: *Bella intercessisse Saxonibus et Danis, inde certum est, quod Iutia, quae est Chersonesus Cimbrica, nunc parens Danis tum Saxonum ditione tenebatur: quo tamen duce et quo tempore Saxones eam ceperint, non tenemus: sed tempora, et regem, qui illam prouinciam Saxonibus ademit, tenemus, et in commemorationem vocabimus, si rem, quae praecessit, prius attingamus.* Bonum igitur est, quod Saxones Cimbricam Chersonesum, quam *Cranzius* Iutiam vocat, possidere fateatur, quanquam quo tempore eam occuparint, ignorare se non neget.

Cranzius Saxoniae lib. I. cap. I.

22) Cum

22) Cum autem id ipſum vlteriori autoritate certius ac verius fieri perſpiciam, nequaquam omittendum exiſtimaui, quin eam etiam ad maiorem fidem obtinendam adhibeam, ad monſtrandum, Saxones reuera, et quidem circa hunc annum 560 in Cimbrica Cherſoneſo conſediſſe. Ita enim pergit *Cranzius: Tenebant autem Saxones tum Cherſoneſum Cimbricam, quae eſt Iutia, vt facile Danos, ſi in Phinnos mouerent, a tergo adorirentur, Daniamque adeo facerent infeſtam, vt ſuis rebus Dani conſulere coacti hoſtem Phinnum obliuiſcerentur. Sed tum nuptiae in Phinnia apparatae regio luxu ferueſcebant, cum ſuperueniens Gram, Daniae rex, nihil metuentibus conuiuis, omnia diſturbabat: nam exercitum, quem in Noruagiam armabat, in Phinnos conuertit.* Et ſtatim poſt: *Haec prima in Danicis antiquitatibus Saxonum mentio. Cum autem idem rex Daniae ſuſceptum in Noruagios bellum proſequeretur, Saxones iniuriarum occiſi regis animo voluentes, arma iunxere Noruagiis, non tam illorum caritate, quam occiſi regis ſui vltione. Quo in bello Saxonum praecipue armis idem rex Daniae oppreſſus occubuit: nec enim erat difficile, Saxonibus iam nautico populo Iutiam tenenti in Noruagiam illi non longinquam arma conuertere.* Habemus iam ſatis ſuperque monſtratum, quomodo Dani cum Saxonibus conflixerint. Habemus etiam reges tam Saxonum in Cimbrica Cherſoneſo, quam Danorum in inſulis circa conſiſtentium; quas tamen *Ptolemaeus* partim Alocias, partim Saxonicas appellat. Atque ad maiorem rerum harum dilucidationem optimum fuiſſet, ſi vel *Cranzius* vel *Saxo Grammaticus* explicaſſet, quas inſulas Dani, an dextri vel ſiniſtri lateris, an vero omnes incoluiſſent. Nobis autem ſufficere debet, quod ex communi hiſtoricorum veterum conſenſu Dani ante ſuam in Cimbricam Cherſoneſum migrationem

Cranzius ibidem.

nem ad Vistulam consederint, et Slauis vacuas sedes reliquerint. Verum iam attendenda rerum conuersio, et bene considerandum, quando Saxones ex Cimbrica Chersoneso pulsi fuerint, et Dani in vacuas istorum habitationes successerint. De his ex *Cranzio* habentur sequentia: *Hudingus, Sifridi filius, rem Saxonum administrabat, quo tempore Danis regebat Roe, is, qui Roschildiam, suo de nomine claram quondam Daniae vrbem, fundabat: cuius regis germanus Helgo maris imperium sortitus victricem vbique classem cum circumtulisset, per Albim fluuium ascendens Saxoniam ipsam ferro flammisque vastabat. Hudingus, Saxonum princeps, inopinato hostis aduentu turbatus, tumultuarias vires contraxit, quas Danis opponeret. Apud Stadium exercitus conuenere: stabant parati in armis, et copiam pugnandi fecerunt vtrinque. Tum rex Daniae ferocior animo: Quando, inquit, in magnis exercitibus praeclara virtus saepe non eminet, tecum ego, Hudinge, manus consero: spectent vtrinque exercitus pugnantes duces suos, et illorum se fortuna metiantur, vt victum se sciat exercitus, cuius dux superatur. Non erat decorum detrectare; nam ignominiae tum supremae habebatur, si euocatus recusaret. Conuenere paribus armis in circum medio campo designatum, acribus odiis incurrunt, sed tum cessit Saxonum ductor: victoria Danorum erat. Vnde factum est, vt Iutia decedere Saxones cogerentur.* Videmus iam, dimicasse Danos cum Saxonibus, et hos ab illis deuictos cedere sede sua, scilicet Cimbrica Chersoneso, coactos, Danos autem illico in eandem irrupisse; adeo, vt haec saltem, qua ratione Dani ex regionibus Vistulanis in Cimbricam Chersonesum deuenerint, expulsis inde Saxonibus, vti et, quod sedes suas ad Vistulam Slauis vacuas, iisque in illas libe-

Cranzius lib. I. c. 4

ram irrumpendi facultatem reliquerint, in dubium vocari nequeant.

23) Sed quorſum deinde Saxones iuerint, aut quam terrae partem petierint? Procul dubio ex Cimbrica Cherſoneſo et inſulis adiacentibus paulatim in mediterraneam Germaniae plagam progreſſos Saxones primo inter Viſurgim et Albim, antequam Viſurgum traiicerent, conſediſſe dicendum eſt. Etenim imprimis ipſa dictat ratio, quod Saxones ex Cimbrica Cherſoneſo venientes prius inter Albim et Viſurgim ſedes ponere, quam hunc extemplo ſine vlla refugii ſpe traiicere voluerint. Deinde

Aimonius cap. 27. id ipſum etiam oſtendit vis ſub *Theobaldo Francorum finibus aſſiduis excurſionibus* illata, quae ex Cimbrica Cherſoneſo valde difficilis fuiſſet. Demum etiam confirmat,

Idem. quod anno 559. praecedente *Saxones ſuper Wiſeram fluvium ſubacti fuerint.*

24) Quod vero nulli Saxones in Cimbrica Cherſoneſo et inſulis adiacentibus remanſerint, ex eo conuincitur, quod hae regiones Daniae nomen, Scandia Sueciae nomen a Suionibus, et regiones inter Albim et Viſurgim, inter Rhenum et Viſurgim Saxoniae nomen acceperint, et adeo omnis Saxonici nominis memoria in inſulis deleta ſit, vt *Saxo Grammaticus* eos nunquam in inſulis, imo etiam a Danis e Iutia pulſos fuiſſe, ſcribere auſus ſit. Quod, nempe Saxones a Danis vi armorum ex Cimbrica Cherſoneſo et inſulis circa eiectos eſſe, et ego pariter, ſed ita conceſſerim, vt id nequaquam ante Chriſtum natum, ſed hoc bello, quo a Francis contra eos ſollicitati fuerant, et poſt illam de Chlotario victoriam Saxones pariter vires ſuas in Danos vertere voluerint: ſed res demum interuentu communium amicorum ad ſingulare duorum ex vtraque parte ipſorum maxime ducum certamen dedu-

deducta, et ob amplitudinem regionum, quas Saxones inter Rhenum et Visurgim occupare poterant, in has leges, vt Dani Cimbricam Chersonesum et insulas circa retinerent, Saxonibus regiones inter Albim et Visurgim relinquerentur, facile composita sit.

25) Verum nunc rursum ad Slauos redeamus, quos, vt supra innui, *Iornandes* adhuc trans Vistulae flumen circa hunc 561 annum, quo id ipsum de Slauis scripsit, collocat. Atque eos hoc tempore se necdum mouisse, sed potius Danorum ex locis cis Vistulam in ipsa Germania sitis abitum expectasse, sat clare inde perspicitur. Et abeuntibus nunc Danis, et sedibus suis cis Vistulam vacuis relictis, quid retinere Slauos potuerit ab ingressu in Danorum vacuas habitationes? Quid verosimilius exinde licet concludere, quam quod Slaui etiam Vistulam transierint, loca a Danis relicta occuparint, in Germaniae continentem irruperint, simulque sese ad Viadrum vsque diffuderint? Certum enim est (et haec certitudo etiam ex sequenti dissertationis nexu aperte manifestabitur) Slavos circa annum 626 et sequentes in Germania modo fuisse, et ex his partem imperio Francorum paruisse, et Deruanum horum praefecturam obtinuisse. Ergo consequenter eos inter hunc annum 561 et 626 in Germaniam venisse, et sedes cis Vistulam cepisse necessum est. Et Slauos, praecipue eos, quos *Iornandes* Winidas vocat, ex regionibus trans-Vistulanis sedes suas in ipsam Germaniam transtulisse, exinde liquet, quod Slaui Germanici a *Fredegario*, *Aimonio*, *Sigeberto*, *M. Adamo*, *Helmoldo* aliisque Winithi appellentur: ii vero, qui cis Vistulam et in Sarmatia manserunt, maxime vel Bulgari, vel Russi, vel Poloni dicti sint. Lithuanorum enim et Moscouitarum nomina tunc necdum innotuerant.

26) Quid? Slaui Vistulam non traiecerint, qui, vt in decursu monstrabitur, postmodum Danubium traiecerunt, atroces in imperium Romanum excursiones fecerunt, trans Danubium repulsi hucusque ab imperio Romano abstinere coacti fuerunt, illi Vistulam non traiiciant? illi nec quid rerum cis Vistulam geratur, spectabunt, nec ex illis consilium sibi capessant? praesertim cum et nunc Dani et mox etiam Sueui suis ex sedibus discessissent, et regiones in Bohemia, et inter Vistulam, Viadrum et Albim vacuas reliquissent. Quis ergo dubitabit, Slauos vel nunc, vel intra paucos annos, aut sponte, aut ex occasione, aut ab aliis inuitatos Vistulam traiecisse? idque intra hunc 561 annum, quo adhuc, *Iornande* teste, trans *Vistulam per immensa spatia* fuerunt, et annum 626, quo quosdam ex iis populos iam cis Vistulam et per Germaniam longe lateque reperimus, factum esse? imo quosdam ex illis citius in Germania quam Illyrico fuisse? Quid enim facilius est, Vistulamne proximam et a fontibus tenuem, quam longinquos, latissimos et altissimos fluvios Danubium, Sauum et Drauum, vicinasque hisce Alpes superare?

Iornandes de rebus Getic. cap. 5.

CAPVT SEXTVM.

Slauos a Vistula longius progressos ad Albim et ad mare Balticum peruenisse, Bohemiam etiam occupasse, et ad Danubium vsque sedes suas extendisse demonstratur.

27) Veritati iam maxime consonum esse, Slauos traiecisse Vistulam, et regiones circa illum et Viadrum occupasse, tum prolixe iam ante monstraui, tum etiam adhuc vlterius patefiet ex sequentibus, vbi de vlterioribus Slavorum in Germania progressibus sat acriter disputandum erit.

erit. Deinde etiam necessario sequetur conclusio, Slavos citius fuisse in Germania, quam Illyrico; quia cum Vistulam traiecissent, et illam Germaniae sui iuris fecissent, eam ad caeterarum Slauicarum prouinciarum distinctionem *Slauaniam* nuncuparunt, ita, vt ista Germaniae pars prius, quam altera ex Illyrici prouinciis hoc nomen acceperit. De quo tamen suo loco dicendum vberius. Cuncta suo ordine, recta serie, candida fide, et accurata rerum, vt fieri poterit, partitione et dilucidatione discutienda suscipiemus.

Adamus et *Helmoldus* de rebus Slavicis.

28) Slauos, quod idem de Danis et Saxonibus intelligendum, ante Christum natum diutissimis extitisse temporibus, asserere nil aliud est, nisi totam aliquam historiam deprauare, et vniuersum illius ordinem inuertere: et quid distortius dici potest, quam vt Slauorum nomen iam ante Christum natum auditum, et regio quaedam Slauia nuncupata fuerit? Sicut necessarium foret, *si Helgo rex duodecimus Scalcum maritimis copiis lacessitum oppressisset, ac Slauiam deinde* in formam prouinciae redegisset, vt ab eo adhuc duodecim alii reges ad Christi natales numerentur. Verum ego quemuis et claritatis et veritatis maxime amantem historicum interrogo, num existimet, teneat, credatque, Slauiam modo ante Christum natum fuisse maritimam, quae etiam anno 538 necdum mare attigit. Nunquid circa eum ipsum annum a *Iornande* Slaui adhuc ponuntur trans Vistulam? *Vinidarum*, inquit, *natio populosa consedit ab ortu fluminis Vistulae*; quorum alios dicit vocari Slauos, alios Antes. Et vbi iam *Iornandes* Slauos facit maritimos? Nisi quis velit ineptire et falso contendere, veteres fide dignissimos historicos, qui de rebus Slauicis tam egregie, tam veritati conformiter, tamque expresse scripserunt, vti praeprimis id *Iornandes*

Pontanus in Histor. lib. I.

praestat, pariter vel ante, vel circa, vel statim post Christum natum extitisse et scripsisse historias suas; cum tamen satis constet, *Iornandem* anno primum 561 haec de Slavis dissertasse.

Procopius ibidem.

29) Quod Slaui anno 538 nondum fuerint maritimi, etiam exinde satis colligitur, quod eodem tempore, qui ad illud mare contendere volebant, ex Slauis siue *Slavinis* primo *in loca deserta euadere, deinde ad Varnos populos se conferre, post hos ad Danos* (tunc adhucdum trans Vistulam considentes) *transire*, et sic tandem *ad oceanum mare peruenire debuerint.* Ergo si Slaui circa annum 538 necdum in Germania pedem posuisse legantur, quomodo Scalcus, eorum rex, centenis aliquot ante Christum annis ab Helgone viribus maritimis lacessi opprimique, et Slauia in prouinciae formam redigi potuit? Vbi autem illa Slauia tot centenis ante Christum annis fuerit, an in Sarmatia, an in Germania? Si in Sarmatia, quomodo ad tale mare, vt Dani eam per nauales expeditiones in prouinciam redigere potuerint? Si in Germania, cur eius *Iulius Caesar*, *Velleius Paterculus*, *Strabo*, *Tacitus*, *Plinius*, *Mela*, *Ptolemaeus* aliique plures nullibi meminerint? Illud tamen inficiari nemo potest, quod soli Slaui fuerint, qui de occupata magna Germaniae parte, quod nec Romanis, nec vllis aliis contigit, gloriari possint, et, quanquam ex multis locis denuo pulsi, in aliquibus tamen adeo fortiter et constanter restiterint, vt illas sedes, quas ceperant, hodie adhuc tueantur, et per Bohemiam vicinasque aliquot regiones florentissimam Germaniae partem efficiant.

30) Ex certa Slauici nominis origine et expeditionum ac migrationum, quas in Germaniam fecerunt, et per quas sibi in hac longe lateque sedes comparauerunt,

tempore ad ipſum Helgonis inter Danos regis duodecimi et Scalcum Slauiae regem opprimentis tempus argumentari poſſumus. Siue enim Slauici nominis origines, ſiue horum populorum ſedes in Germania captae conſiderentur, illae non prius, quam circa annos *Arcadii et Honorii,* quorum *tempora Flauius Blondus Foro-Liuienſis perſequens Slauorum meminit*, deprehenduntur, et ſic etſi *Blondum* ſequi velimus, certum eſt, *Slauorum et Slauinorum nomen* (vtroque enim modo enunciatur) *admodum antiquum non eſſe*, quanquam et de hac antiquitate non parum dubitetur, eo quod neſciatur, quam autoritatem *Blondus* ſecutus ſit *et primus Procopius Caeſarienſis, itemque eius aequalis Iornandes Alanus eorum mentionem faciat*, et hac ratione Slavicum nomen tam vetuſtum eſſe nequeat. Cum ergo tam recens ſit Slauicum nomen, nec diligentiſſimus rerum Slauicarum inueſtigator altiorem illius memoriam eruere potuerit; quando et quo tempore Slauos in Germaniam migraſſe, occupatas quasdam huius prouincias a ſe Slauiam nuncupaſſe, et Scalcum huius regem fuiſſe dicemus? Verum cum Danos circa annum 538 adhuc in Germaniae continente, Slauos vero necdum in Germania fuiſſe ex *Procopio* compertum ſit; conſequitur, Slauorum quosdam populos diu poſt hunc Chriſti annum in Germaniam primum migraſſe, et deinde per aliquot annos in eadem manſiſſe, donec occupata ab ipſis prouincia Slauiae nomen obtineret.

Martin. Cromerus de rebus Polonic. lib. 1. c. 1.

31) Atque nunc totum huius capitis inſtitutum ac contentum erit demonſtrare manifeſte, quod Slaui reuera in interioribus Germaniae regionibus primum conſederint, antequam in alia et quidem Illyrii loca deuenerint, quod vltimum tamen poſtmodum demum ſtabiliendum ſuſcipiam. Atque dum contendo, Slauos ex locis trans-

viſtu-

vistulanis in ipsam Germaniam sese recepisse, non nimiopere decernendum puto, Slauorum in Germaniam aduentum praecise anno 561 contigisse, sed aut hoc, aut inter hunc et 642, quo iam adeo inter Albim, Viadrum et Vistulam coaluerant, vt Thuringiam incurrere, et ipsis Francis terrorem iniicere potuerint. Neque etiam affirmo, quod Slaui vnica profectione, vna migratione, vnisque motibus et impetibus simul et iuncti in Germaniam venerint, sed nunc hos, nunc illos in Germaniam perrexisse, et cum quidam populi id feliciter tentassent, alios postmodum subsecutos arbitror, sed ita, vt anno 642 iam vsque ad Albim, Viadrum, et Vistulam, et mare Balticum prouincias occuparint, atque etiam Bohemiam tenuerint.

32) Ex annis 538 et 539 clare indicatur (vti et ostensum est) Slauos necdum in Germania, sed Danos atque Varnos vltimos illius populos fuisse. De Danis multa antea, vti etiam de Saxonibus disserui, de Varnis proferam sequentia; nimirum quod *anno tertio Childeberto in Burgundia regnante eius exercitus cum Varnis, qui rebellare conabantur, fortiter dimicarit, et ita Varni trucidati ac victi sint, vt parum ex ipsis remanserit*; atque cum vtrimque viriliter *conflixissent*, isti *paene vsque etiam ad supremum exitium dati fuerint*. Varnae Slauinorum et Danorum vicini, et abeuntibus in Cimbricam Chersonesum et insulas circa Danis, Saxonibus vero ex his ad Albim, Visurgim, et postremo vsque ad inferiorem Rhenum migrantibus, hos procul dubio Slauis a tergo vrgentibus secuti fuerant. Sed cum omnibus per Germaniam regionibus vel a Slauis, quos fugiebant, vel a Danis, quos sequebantur, vel a Saxonibus, vel a Thuringis, vel a Francis, vel a Boioariis, vel a Sueuis et Allemannis

Fredegar. in Annal. c. 15.

Aimonius ibid.

occupatis ipsi vbique excluderentur; a Longobardis et Hunnis, vt cis Rhenum inter saeuas illas Francorum regum discordias sedes quaererent, monitos et incitatos fuisse, probabile est. Quod prisci illi autores conspicati, nec tamen, quomodo Francorum vel ciues vel socii essent, recordati eos *rebellare tentasse* dixerunt, per quos Childebertus bellum contra eos gesserit, et vtrum ipsi ad Rhenum peruenerint, non constat. Verosimile tamen est, Varnos in Germania profligatos, atque etiam, quoniam haec memoria eorum cum anno sexcentesimo concordans vltima est, deletos, atque nunc demum Slauos firmas per Germaniam sedes accepisse.

33) Iam vero rem ita se habere, Slauos nimirum circa annum 642 firmas inter Vistulam et Albim sedes habuisse, autores confirmant sequentibus: *Dagobertus Saxonibus contra Winidos sibi auxiliantibus annuum quingentarum vaccarum tributum indulget.* Quae verba circa annum 1110, quo Sigebertus vixit, conscripta sunt. Et eaquidem Saxonum scriptores sic explicant: *Cum Vandali* (quo nomine Slauos vocant) *qui fluuiorum Haueli et Sueui accolae erant, magna multitudine effusi diriperent Thuringiam, et eam eripere Francis pararant, Saxones sponte obtulerunt suam operam Thuringis, tum regibus Francorum subditis, si efficerent, vt tributo et oneribus aliis leuarentur. Id gratum accidit Franco, qui eis prolixe pollicitus est animum gratum. Itaque Saxones contra Vandalos* (id est Slauos) *fortissime pugnant, eosque partim occidunt et spoliant, partim ad sua redire compellunt. Talis beneficii gratia rex Francus tributa eis remittit, quae iam annos circiter octoginta penderant. Saxones cum regno Francico Thuringiam seruassent, et propinquas nationes a populationibus prohibuissent, e tributariis liberi regumque socii atque*

Sigebertus sub ann. 642.

Fabritius sub ann. 642.

amici facti sunt, sua magna cum gloria. Atque per haec expresse significant autores, regiones inter Vistulam et Albim hoc tempore a Slauis iam occupatas fuisse.

34) Idem etiam ex autoribus vetustioribus *Sigeberto*, qui circa annum 1110 vixit, colligitur; dum scilicet
Fredeg. c.48. *quendam hominem nomine Samonem, natione Francum, de*
Aimonius l. 4. cap. 9. *pago Senonago*, vel potius *Senonico*, ex Francia *plures nego-*
Fredeg. ibid. *tiantes ad negotium exercendum abduxisse, et in Slauos co-*
Aimon. ibid. *gnomento Vinidos anno regni Chlotarii 40*, et Christi *626*,
Iordonus in rerum gestarum serie. magna *quaestus* spe *perrexisse* testantur. Et quia *Fredegarius* circa annum 768, *Aimonius* circa annum 855 vixit, autores vetustiores, qui de Slauis in Germania loquantur, non habentur. *Iornandes* quidem et *Procopius*, veluti huic aetati aequales, vetustiores sunt, et de Slauis, quos Slavinos vocant, multa passim commemorant, sed eos, qui in Germaniam migrauerunt, non attingunt. Imo ex his, quae de illis adferunt, magis colligitur, Slauos illo tempore, quo scripserunt dicti bini autores, necdum in Germania fuisse, vt constat ex anno 538.

Aimon. ibid. c. 23. 35) Iam vero ex sequentibus, nimirum quod *Slaui anno Dagoberti regis nono,*
qui est
Fredeg. c.68. *Christi 640,*
cum
Iordon. sub ann. 640. *Francos Austrasios,*
qui
Aimon. ibid. *Vogastrum castrum,*
Fredeg. ibid. *et Slauos Vinidos, qui in hoc confugerant, obsidione clause-*
Iidem. *rant, castra cum tentoriis deserere et auffugere* coegissent, ipsi deinde hac *victoria animosiores redditi in Torin-*
Iidem. *giam et circumiacentes Francorum terras sese effuderint*, et
Iidem. *ita Deruanus dux, qui Slauorum vrbibus, quae vsque ad id tempus*

tempus Francis paruerant, praeerat, rebus desperatis ad caeteros Slauos se transtulerit, et quod *praefatus Dagobertus anno, postquam regnare coeperat, decimo, Slauorum in suos malitiae memor lectam e Franciae bellatoribus scaram, quam nos turmam vel cuneum appellare possumus, collegerit*, et cum hoc exercitu *ad capiendam ex inimicis vltionem properarit, sed Saxones contumeliarum, quae Francis illatae erant, si tributo, quod regiis exhibebant vsibus, leuari meruissent, vindices fore se spoponderint:* postremo quod *cum sequenti etiam anno assiduis Slauorum incursionibus Toringia laboraret, Dagobertus filium suum Sigebertum Austrasiis praeposuerit*, et *deinceps, quamdiu Sigebertus vixit, studio ac industria Austrasiorum irruptiones refranatae sint Vinidorum, ex hoc*, inquam, perspicue demonstratur, Slauos Thuringorum et Saxonum vicinos fuisse, et omnes inter Vistulam, Viadrum et Albim regiones iam occupasse, vt ita de hac veritate dubitari non amplius posse, merito iudicem.

Aimon. ibid. cap. 26. *Fredeg.* c. 74. Iidem. Iidem *Fredeg.* c. 57. Iidem.

36) Quod etiam Slaui illis, queis tot Germaniae prouincias foedarunt impleueruntque, perturbationibus ac tumultibus, armisque ipsam Bohemiam infestarint, hoc loco monstrare operae pretium existimaui. Etenim ex anno 594, teste *Vorburgico*, intelligimus, quod Thassiloni, Bauarorum regi, negotium datum fuerit, vt Slauis, qui Hunnorum partes contra Romanos armis adiuuabant, extemplo bellum inferret, domi manendi et sua defendendi necessitatem imponeret. Quem officio suo impigre functum, et *mox cum exercitu Slauorum prouinciam introeuntem parta victoria maxima cum praeda ad solum proprium remeasse*, testantur plures etiam prisci autores, et Bauarici scriptores idem confirmant sequentibus: *Anno quingentesimo nonagesimo quinto Euinus, Garibaldi Boiorum* quon-

Vorburg. ad annum 594. *Paulus Diac.* ibid. l. 4. c. 7. *Aimon.* ibid. c. 7. *Brunnerus* ibid. n. 10.

quondam regis gener, dux Tridentinus; est mortuus. Idem annus felici Boiorum expeditione, quae Thassilonis regis auspiciis in Slauos suscepta est, nobilitatus. Primi Slauorum diserte Procopius Caesariensis et Iornandes meminere; e Sarmatia et trans-Istranis regionibus Iustiniano imperante in Illyricum, aliasque Romani iuris prouincias irrupisse, iisdem autoribus constat: eosque hoc ipso tempore, Gregorius Magnus lamentatur, per Istriae aditum Italiae incubuisse, vt creditu facile sit, eos Noricum, qua parte ad Adriaticum sinum vergit, infestos carpsisse: hos igitur Thassilo bello aggressus vicit, insignemque victoriae fructum, maxima omnis generis parta praeda tulit. Equidem circa annum disceptare nolo, quia fortassis circa 595 annum haec expeditio fieri potuit. Verum vtrum expeditio eadem haec contra *Slauos illos*, qui *Noricum, qua parte ad Adriaticum sinum vergit, infesti carpserint*, inita sit, apud me non exiguum dubium relinquitur, propterea quod prisci autores eam regionem, in quam Boioariorum exercitus ductus est, *Slauorum prouinciam* appellent, et ex ea *Thassilonem maxima cum praeda ad solum proprium remeasse* affirment, et hac de causa stare non possit, quod Slaui ex regionibus ad mare Adriaticum versis, in quibus nullas adhuc sedes, nullam prouinciam habebant, Noricum infestum fecerint, et illi, qui tunc Hunnis militabant, eos in Thraciam contra Romanos secuti sint. Praestat igitur credere, fuisse Slauos hos, qui ex Sarmatia incognita, vbi nunc Lithuania et Moscouia, non solum in Sarmatiam cognitam, sed etiam in Germaniam progressi, vacuas inter Albim, Viadrum et Vistulam vsque ad mare Balticum et sinum Codanum Germaniae regiones occupauerant, atque in illis, vbi nunc Bohemia, Morauia, Lusatia et Silesia, fixas iam sedes habebant, et ex his ad Auares militatum ibant.

Brunnerus ibid.

Paulus ibid. *Aimon.* ibid. Iidem.

ibant. Quos ab Hunnis auertere, et domi, ne vel cum his Romanos incurrerent, vel Longobardos iuuarent, continere necessarium visum fuit.

37) Verum vt ea, quae hoc loco de Slauis protuli monstrauique, clariora, veriora ac certiora euadant, peropportunum existimaui, fusiorem autoritatem (qua in hoc dissertationum genere nil firmius, nilque inuincibilius) adferre. Equidem scriptores, Saxonici praesertim, non designant tempus, quo tanti nominis Slauorum in Germaniam migratio facta sit; sed tamen insessas a Slauis per Germaniam terras describunt sequentibus: *Operae pretium existimo, in huius conscriptionis initio aliqua de Slavorum prouinciis, natura, moribus, historico praelibare compendio, quantis scilicet ante conuersionis gratiam errorum nexibus impliciti fuerint, vt per quantitatem morbi facilius agnoscatur efficacia diuini remedii. Slauorum ergo populi multi sunt, habitantes in littore Baltici maris. Sinus huius maris ab occidentali oceano orientem versus porrigitur, appellatus ideo Balticus, quod in modum baltei longo tractu per Scythicas regiones tendatur, vsque in Graeciam. Idemque mare barbarum, seu pelagus Scythicum vocatur a gentibus, quas alluit, barbaris; hoc mare multae circumsedent nationes, Dani siquidem ac Sueones, quos Northmannos vocamus, septentrionale littus et omnes in eo obtinent insulas. At littus australe Slauorum incolunt nationes, quorum ab oriente primi sunt Ruzi, deinde Poloni, habentes a septentrione Pruzos, ab austro Boiemios et eos, qui dicuntur Morahi, siue Carinthi, atque Sorabi. Quodsi adieceris Vngariam in partem Slauoniae, vt quidam volunt, quia nec habitu nec lingua discrepat, eousque latitudo Slauicae linguae succrescit, vt paene careat aestimatione.* Et paulo infra sequentibus: *Carinthii con-*

Helmoldus presb. in anal. Slauor. l. 1. c. 1.

Idem cap. 2.

confines sunt Bauaris, homines diuino cultui dediti, nec est vlla gens honestior, et in cultu Dei, et in sacerdotum veneratione deuotior. Bohemia habet regem et viros bellicosos, plena est ecclesiis, et religione diuina in duos disterminatur episcopatus, Pragensem et Olomucensem. Polonia magna Slauorum prouincia, cuius terminum in Ruziae regnum dicunt connecti. Et diuiditur in octo episcopatus. Quondam habuit regem, nunc autem ducibus gubernatur. Et iterum sequentibus: *Vbi ergo Polonia finem facit, peruenitur ad amplissimam Slauorum prouinciam, eorum, qui antiquitus Wandali, nunc autem Winithi siue Winuli appellantur. Horum primi sunt Pomerani, quorum sedes protenduntur vsque ad Odoram. Est autem Odora ditissimus amnis Slauicae regionis, et oritur in profundissimo saltu Marahorum, qui sunt ab oriente Bohemiae, vbi et Albia sortitur principium. Nec longis ab inuicem distant spatiis, sed diuerso currunt meatu. Albia enim in occasum ruens primo in impetu Bohemos alluit cum Sorabis, medio cursu Slauos dirimit a Saxonibus, nouissimo Hamburgensem diuidens parochiam a Bremensi victor oceanum ingreditur Britannicum. Alter fluuius, id est, Odora vergens in Boream, transit per medios Winulorum populos, diuidens Pomeranos a Wilzis; in cuius ostio, qua Balticum alluit pelagus, quondam fuit nobilissima ciuitas Vinneta, praestans celeberrimam stationem barbaris et Graecis, qui sunt in circuitu.* Et magis post pauca sequentibus: *Sunt et alii Slauorum populi, qui inter Albiam et Oderam degunt, longoque sinu ad Austrum protenduntur, sicut Heruli vel Heueldi, qui sunt iuxta Habolam fluuium et Doxam, Leubizi, et Wilini, Stoderani cum multis aliis. Post Oderae igitur lenem meatum, et varios Pomeranorum populos ad occidentalem plagam occurrit Winulorum prouincia, eorum, qui Tholenzi siue Redarii dicuntur. Ciuitas*

Idem eodem cap.

Idem cap. 2.

Ciuitas eorum vulgatiſſima Rethre, ſedes idololatriae. Et mox: *Deinde venitur ad Circipanos et Kyzinos, quos a Tholenzis et Redaris ſeparat flumen Panis, et ciuitas Dimine. Kyzini et Circipani cis Panim, Tholenzi et Redari trans Panim habitant. Hi quatuor populi a fortitudine Wilzi, ſiue Lutezi appellantur; vltra illos ſunt Lunguones et Warnaui; hos ſequuntur Obotriti, ciuitas illorum Mikelinburgk; inde verſus nos Polabi, ciuitas eorum Racisburgus; inde tranſitur fluuius Trauena in noſtram Wagirenſem prouinciam. Ciuitas huius prouinciae quondam fuit Aldenburg maritima. Sunt et inſulae Baltici maris, quae incoluntur a Slauis, quarum vna Wemere vocatur. Haec oppoſita eſt Wagiris, ita vt videri poſſit, Aldenburgus. Altera inſula longe maior eſt, contra Wilzos poſita, quam incolunt Rani, qui et Rugiani, gens fortiſſima Slauorum, qui ſoli habent regem, extra quorum ſententiam nihil agi de publicis rebus fas eſt: adeo metuuntur propter familiaritatem Deorum vel potius Daemonum, quos maiori prae caeteris cultura venerantur. Hi ergo ſunt Winulorum populi, diffuſi per regiones et prouincias maris.* Colligamus nunc omnes capitis huius monſtrationes, conferamus etiam autorum in re tam ardua fidem omnem facientium teſtimonia, et elucebit illico haec veritas, quod Slaui ex Sarmatia incognita proruentes Germaniam occuparint; imo quod neceſſario ſtatuendum ſit, Slauos citius in Germania fuiſſe, citiusque omnes inter Viſtulam, Viadrum et Albim regiones inhabitaſſe, quam demum in Dalmatiam deuenerint.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Slauos ab Albi et finitimis Germaniae prouinciis, Danubio superato, in Illyricum, siue in Dalmatiam, Croatiam, Slauoniam reliquasque Illyrici prouincias venisse, solide demonstratur.

38) Ex praecedentibus iam Slauos modo, quo statui, in Germaniam venisse, et in illa regiones inter Vistulam, Viadrum et Albim occupasse, et in Bohemia consedisse conuinci quemuis posse arbitror. Atque eosdem per multos annos in Germania mansisse, antequam exinde in alienas migrarent terras, satis etiam manifestum sit ex eo, quod insessae a Slauis Germaniae regiones vno nomine, vt passim ex autoribus liquet, Slauiam vocatam, eo modo varie descriptam, ac orbi toto celebratam legamus; quod nequaquam tam cito contigisset, neque etiam noua istarum regionum compellatio tam subito extitisset, si Slaui velut in transitu eas intrassent, et non tam diu tenuissent. Etenim non nisi longior populi cuiusdam in nouis sedibus habitatio pristinas abolere compellationes et nouas introducere potest.

39) Verum quorsum iam Slauos ab Albi et conterminis illi Germanicis regionibus vlterius progressos, aliquis existimet? Ego quidem illos vtpote Danubio iam proximos illum traiecisse, et in Illyricum irruisse, et toto nisu contendam, et plane conuincentibus argumentis demonstrabo. Equidem certum est, Slauos, quamdiu Romani, Longobardi et Hunni amicitiae foedere iuncti fuerunt, nihil circa, nihil etiam cis Danubium mouere ausos fuisse. Idem etiam credendum est de eo tempore, quo Longobardos inter et Hunnos amicitia viguit, et quo his inuictis nihil cis Danubium tentari ac innouari potuit; et pro hoc argumento, quod nec anno 568 auspiciis suis Italicam expeditionem fecerint, sed Longobardos ad

hanc

hanc comitati sint; neque etiam anno 593 soli, sed *cum Auaribus Istrum traiecerint, sub Chagano Hunno militarint, Thraciamque percurrerint, et omnia passim diripientes vsque ad Heracleam peruenerint; et anno 602 Cacanus, Hunnorum rex, societate cum Agilulpho*, Longobardorum rege, *coniunctus* huic, vt contra Romanos *alienigenarum auxilia* haberet, *Slauos e Pannonia miserit*, et prius *anno 598, cum priscus ad Istrum fluuium cum omnibus potentatibus Romanis, vt Slauinorum nationes transire prohiberet, missus fuisset, Cacanus*, Hunnorum rex, ipsorum causam egerit, *et legatis directis calumniam Romanis* veluti *exordium belli darent, intulerit*, et aliud huiusmodi saepe, vt vlterius videndum, occurrens considerandum, et Slauos nequaquam tam cito in Illyricum, sicut in Germaniam venire, nec hac de causa ex Illyrico procedere, et Bohemiam desertam occupare potuisse; sed id ex proxima Sarmatia superato sine difficultate Vistula, et quia illae inter Albim, Viadrum et Vistulam regiones nunc per Sueuorum quoque in Saxonum sedes discessum magis adhuc desertae erant, nemine prohibente fecisse, statuendum est. Vix enim eos ante annum 625 vllas per Illyricum sedes habuisse, sed forsan tunc, cum Cosroes, Persarum rex, Hunnos et Slauos contra Romanos concitasset, et hi Constantinopolim obsedissent, omniaque per imperium turbata essent, Slauos non solum Dalmatiam, sed totum propemodum Illyricum insedisse credibile est.

Niceph. l. 18. c. 28.

Sigon. de regno Italiae l. 1. sub a. 602.

Baron. sub a. 598. n. 11. Autor hist. miscell. l. 17.

Idem.

40) Verum, quod etiam Slaui antequam firmas in Illyrico sedes habuerint, Danubio superato varias in Illyrici prouincias, et imperium Romanum excursiones moliti sint, tum veritati consonum est, tum etiam hoc loco monstrandum existimaui, vt ita tanto clarius liquere possit, Slauos ab Albi et ex adiacentibus illi regionibus et in

Illyricum ingressum tentasse, et tandem etiam in eodem consedisse. Atque equidem tempus, quo Slauos primam irruptionem in Illyricum molitos, apud autores legimus, referri debere ad annum 548, hoc loco statuendum teneo, quo anno secundum *Vorburgicum* ex *Procopio* habentur sequentia: *Per id tempus Slauinorum exercitus flumine Histor traiecto Illyrios omnes ad vsque Epidamnum malis ingentibus affecere, partimque hos trucidando, et sine vllo partim aetatis discrimine in seruitutem, quos licuit, abigendo, et eorum bonis direptis desaeuiebant; adhaec et praesidia illis in locis non pauca, et quidem praeualida occuparunt, circumuagatique omnia, pro arbitrio ad rapinam quaeque scrutantur. Principes vero Illyriorum quindecim millium hominum exercitu comparato, etsi hostes protinus insecuti, appropinquare tamen nil audebant.* Ecce quam clarum per hunc *Procopii* textum sit, Slauinos Istrum transisse, in Illyrium irruisse, et omnia per illud longe lateque vastasse. Clarum etiam est, Illyriorum principes exercitum collegisse, et Slauos protinus quidem insecutos, tamen appropinquare non fuisse ausos. Quam nunc difformia veritati sunt istorum, praesertim recentiorum scriptorum testimonia dicam, an potius commenta, qui Slauos ex Illyrico ad Albim venisse inaniter contendunt. Quid? annon *Procopio* res istae, de quibus impraesentiarum dissertatur, notiores fuere, quam aliquibus recentioribus? Aut annon magis credendum *Procopio*, istarum rerum tam exacto scriptori, et istorum temporum fere saltem coaetaneo; quam illis, qui aut nullis, aut saltem infirmis autoritatibus nixi historias suas posterioribus demum temporibus absque consule, absque die, vt ita dicam, conflarunt? Soluant illi, si poterunt, sequentem ab autoritate desumtam argumentationem: Ex *Procopio* manifestum est, Slauos Histro traiecto

Procop. de bello Gothico l. 3. n. 15.

traiecto in Illyricum irruisse, et in eo omnia deuastasse, et Illyricorum etiam principes, collecto suorum exercitu, vt Slauorum incursionem a finibus suis arcerent, hostiles turmas protinus saltem insecutos esse; igitur verissimum est, Slauos non ex Illyrico ad Albim, sed ab Albi in Illyricum venisse. Verum loco suo vlterior seruabitur refutatio.

41) Alteram Slauorum in Illyricum irruptionem memorari legimus anno 550, ad quem annum ex *Procopio* adferuntur sequentia: *Sub id tempestatis et Slauinorum exercitus non vltra tria millia hominum Histrum nemine obsistente traiecit, eoque non difficulter traiecto diuersi ab inuicem abiere: quorum pars altera mille et quingentos viros habebat, totidem vero et altera. His cum vtrisque barbarorum cohortibus seorsim tamen Romani exercitus duces in Illyria partim, partim in Thracia congressi vincuntur. Hisque cadentibus, et ingenti clade suorum accepta, qui praelio forte integri fuere adhuc reliqui, fuga in tutum se receperunt. Romani itaque, ducibus per barbaros interfectis, numero impares cum altera barbarorum cohorte, et Asbadus, imperatoris antehac armiger, equitum deinde turmae praefectus, congreditur. Itaque suis fugatis caesisque, viuus cum in hostium potestatem venisset, demtis primo a tergo loris per Slauinos in ignem coniectus crematur. His ita peractis omnia Illyriorum barbari Thracumque loca depopulati pleraque obsidione praesidia capiunt, non moenibus primo, vt assolet, oppugnatis, non vllos in campos attentato descensu, vt qui nec in Romanorum terras excurrere niterentur, nec alias vnquam Histrum pertransire ausi sint, nisi semel, et superiore quodam, quo diximus, tempore. Barbari igitur, Asbado deuicto caesoque, ad mare vsque cuncta depopulantes vrbem maritimam moenibus expugnatis ceperunt, tametsi ea praeualidum*

Procop. de bello Gothico l. 3. n. 21.

intra se haberet praesidium, et mari adiacentium urbium metropolis esset, quae a Byzantio abest duodecim dierum iter: arte tamen hac eam vrbem cepere. Barbarorum pars maxima circa muros, et locis difficillimis se forte abdiderant, pauci quidam cum ad portas venissent, in orientem versas, qui in propugnaculis erant, Romanos acrius infestabant. Milites itaque, qui in praesidio stabant, non maiori numero barbaros esserati, quam quo viderentur, se inuasisse, desumtis mox armis et eruptione facta ex vrbe in hos impetum faciunt. Tum vero barbari retro mox cedere, ac pedem referre, in se irruentibus fugae speciem ac formidinem praeferentes. Romani vero studio hos insectandi euecti, quam procul a muris recesserunt. Tunc barbari ex insidiis confestim existunt, et insectantibus post terga Romanis comparuere, hisque ad vrbem reditum intercludunt. Quia vero fugere videbantur, ex insperato cum se in hostem vertissent, dubiis Romanis mox redditis, interclusisque ad vnum denique omnibus interfectis muros aggrediuntur, sed vrbis incolae militum viribus destituti, vt prorsus consilii inopes, hostes se inuadentes hac arte oppugnant. Oleum pice multa immixtum et feruefactum in subeuntes superne infundunt, saxorumque in hos moles tam crebro prouoluunt, vt non procul abesset, quin periculum propulsarent. Sed barbari oppidanos assiduis telorum immissionibus, cum a propugnaculis discedere summa vi coegissent, admotis moenibus scalis vrbem primo impetu capiunt, et ad hominum quindecim millia interficiunt, rebusque vniuersis direptis pueros ac foeminas in seruitutem abducunt, tametsi cum agrum Romanum inuadere tum primum coepissent, nulli aetati pepercerint, vt qui eos, in quos incidissent, sine vllo delectu necarent, atque adeo, vt Illyriorum Thracumque terra insepultis cadaueribus repleretur, quos vero obuios habuissent, non ense, non telo, occidere, vel armorum genere aliquo consueto,

Procop. de bello Gothico l. 3. c. 21.

sueto,

ſueto, ſed acutiſſimos in terram palos figentes ſumma vi miſeros ſuperimponere, ſummumque pati, et id praeacutum, per inferiorem pudendamque partem trudendo, et per viſcera adigendo interiora excruciare. Conſtat his ſane aliud tormenti genus excogitatum; nam et ad ſudes quernas et craſſiores altius in terram defixas pedes manusque captiuorum deligant, fuſte deinde caput diuerberantes, veluti in canes ſerpentesque, et eiusmodi caetera deſaeuiendo morte conficiunt, alios vero cum bobus, pecudibusque et caeteris id genus, quos abigere domum non ſatis commode prae ſenio poſſunt, locis arctioribus coercendo igne inclementius cremant. Hunc igitur in modum Slauini, quoscunque offenderant, interfectis, coorti inter ſe demum, ac nimio profuſo iam ſanguine temulenti, captiuorum numero infinito praedaque ingenti abactis ad priſtinos lares ſe receperunt. Ampliſſimum hic rurſus et ſane non contemnendum teſtimonium ad ſententiam meam ſtabiliendam ex *Procopio* adducitur, quod, vtpote diffuſius fortiſſimam nobis ſuppeditat concluſionem, quod Slaui Iſtro traiecto tam ſaeuam, tamque nobis manifeſtam vim ac irruptionem fecerint. Atque in tanta huius poſitionis firmitate ac certitudine quis adhuc contrarium aſſeuerare audebit? Quis ſuadere poterit, Slauorum origines ex Illyrico petendas eſſe? Aut quo fundamento, queis rationibus, queis teſtationibus, queis demum momentis aliquis Slauos ex Dalmatia in Germaniam migraſſe, contendet? Nullius penitus eſſe ponderis aſſerta, ſeu potius commenta, quibus huic ſententiae contrariantes id ipſum euincere poſſint, ſatis hinc apparet. Atque idcirco in hac re deceptos eſſe eos ſcriptores, tenendum, qui primordia Slauorum ex Illyrico repetunt. Etenim *Procopius* aperte dicit, Slauos, poſtquam ſuperato Danubio in Illyricum incurrerint, et omnia

 ferro

ferro flammisque funestarint, exinde rursum ad pristinos lares prioresque sedes ingenti praeda onustos sese recepisse; non autem eos ex Illyrico in Germaniam ab initio sedes propagasse.

42) Vlteriorem quoque Slauorum Danubio superato in Illyricum molitionem et incursionem habemus ex *Procopio* ad annum 551, vt habent sequentia: *Dum haec agerentur exacta iam hieme, quintus ac decimus annus huius belli finiebatur, quod scriptis Procopius demandauit. Germanus interea dum Sardis et in Illyria exercitum coegit, disponitque, ac fortissime cuncta ad futuri belli apparatum constituit, Slauinorum vis ingens, et quanta non alias vnquam Histro flumine pertransito ad Naissum venit, quorum perpaucos quosdam ab eorum exercitu seiunctos, errantesque in ea circumuagatos iam loca, Romani nonnulli captos coercent, quaestioneque habita petunt, quanam de causa Slauinorum exercitus, quidue facturus Histrum transierit. Tum illi sedulo affirmare, Thessalonicam vrbem circumiectaque huic loca ad occupandum hos aduentasse. Quae vtique vbi imperator accepit, periculi magnitudine magnopere territus ad Germanum literas scripsit, in Italiam vt iter differret, Thessalonicamque veniret, vt illi, ita et aliis eius regionis vrbibus opitulatum, Slauinorum, quanta vi posset, insultus propelleret. Vnde Germanus, posthabitis caeteris, eodem, quo erat, loco permansit; Slauini deinde ex captiuis facti iam certiores, Sardis Germanum esse, ingenti formidine percelluntur.* Et post pauca eodem loco: *Slauini igitur, Germani, vt diximus, formidine perciti, cum ingentes hunc copias ducturum existimarent, vt qui per imperatorem* (Iustinianum) *aduersus Totilam Gothosque in Italiam mitteretur, ab eo itinere, quod recta Thessalonicam ducit, alio confestim diuertunt, nil ausi prorsus in campum descendere, sed Illyricis montibus superatis in Dalmatiam*

Procop. l. 3. c. 21. et 22.

matiam peruenere. Et deinde eodem loco: *Slauini vero, qui imperatoris antehac terras inuaſerant, et gentis eius alii ſubſecuti Hiſtro transmiſſo cum ſuis ſe ſtatim iungunt, qui eorum regionem paulo ante et licentius incurſarant;* et mox: *Siue igitur vt Totilae gratificaturi, ſiue de ſe, nec vocati quidem Slauini eo ſe contulerint, nil habeo, quod pro certo affirmare ſat queam. Cum in tres itaque partes Slauini partiti copias eſſent, diuerſim vagati Europam malis inſanabilibus affecere.* Exinde cum deſcribere pergit *Procopius*, quod imperator in Slavinos egregium exercitum miſerit, cui inter caeteros duces Conſtantianus Aratius et Nazares praefuerint, quodque in primo quidem conflictu Romani ſuperati, in ſecundo vero Slaui victi penitus fugatique fuerint, ſubdit tandem: *Qui vero ex barbaris ex ea caede ſuperfuere, cum reliquis ſuae gentis hominibus domum ſe protinus receperunt.* Sed quorſum? Procul dubio trans Danubium redierunt, veluti qui, dum venirent, Hiſtri flumen pertranſierant, nunc vero cis eum continere ſe amplius non poterant, quod ſedes necdum fixas ibidem tenerent; et hac de cauſa ſe domum ſemper recipere cogerentur, donec firmas tandem in Dalmatia ſedes cepiſſent.

43) Ad annum 552 rurſum ex *Procopio* legimus, quod, dum Narſes non tantum ab Hunnis, ſed etiam a Slauis impediebatur, Slaui *ingenti multitudine Illyrios invadentes, malis inexplicabilibus eos affecerint*, atque licet Narſes egregio inſtructus exercitu contra hos barbaros miſſus fuerit; tamen, quo Slaui integro agmine aduenie- bant, *ibi prohiberi non poterant, ne damna grauiora inferrent, ſed itinera paſſim cadaueribus complebant, et infinita hominum copia in ſeruitutem abacta* terrorem omnibus iniiciebant, adeoque integrum agmen tuebantur, vt *nemine hic*, vbi illud erat, occurſare auſo *omnibus prouinciae rebus dire-*

Procop. ibid. n. 24.

Idem n. 24.

Idem.

direptis cum omni praeda progredi, et *in ea populatione plurimum temporis conterere*, et quanquam Romani a tergo instarent, et nunc vel moratorum, vel palatorum, et
Idem. agmine digressorum *non paucos interficerent*, *et quos viuos cepissent*, *ad imperatorem Byzantium mitterent*, domum tamen *omnes se incolumes recipere* et trans Danubium redire potuerint, et Romani etiam ibi, vbi eos, agmen praeda graue trahentes repente adoriri, impeditos turbare, et dubios praeda spoliare cogitabant, frustra fuerint, nec *vel Histrum flumen traiicientibus barbaris moliri insi-*
Idem. *dias*, *vel vim alia quauis arte inferre potuerint*. *Slauini quippe* hoc praeuiderant, *et Gepides mercede conduxerant*, *et isti pretio ab his non paruo exacto*, lassos itinere et pugnis fatigatos spoliisque innumeris onustos *excipiebant*, et circa ripas, apud quas Romanis ad praedam ipsis excutiendam concurrentibus summum periculum erat, eos, vt flumen tuto traiicere possent, defendebant. Et quo ma-
Idem. gis hoc contra spem erat, eo magis *imperator permoleste rem ferebat*, *et cum nullo pacto barbaros Histri transitu prohibere posset*, *grauiter angebatur*, quod hunc *idcirco*, *vt Romanum depraedarentur imperium*, *traiiciebant*, *eaque de causa*, quod hactenus nunquam facere voluerat, et a
Idem. quo semper abhorruerat, nunc *foedera cum Gepidum gente iungere*, *animo destinarat*. Ecce Slaui, vtut aliquoties repulsi, tamen denuo Danubium traiicere, in Illyricum incurrere, et imperium Romanum depraedari nixi sunt. Atque tandem, cum imperator (Iustinianus) Slauos omni etiam adhibito molimine, omnique armorum vi propulsare non amplius poterat, pati vel inuitus is cogebatur, quod Slaui libere Danubium traiicerent, liberasque in Illyricum excursiones (procul dubio hoc animo, vt fixas sibi in eo sedes constituerent) tentarent.

44) Aper-

44) Apertius ad noſtram ſtabiliendam ſententiam accerſiri quidquam non potuit; adeo, vt ex tot iam monſtratis Slauorum in Illyricas regiones incurſibus manifeſtiſſima nobis relinquatur concluſio, Slauos reipſa, et conformiter fere ſaltem coaetaneis autoritatibus ab Albi atque conterminis Germaniae prouinciis ſuperato Danubio in Dalmatiam perueniſſe. Quod autem Slaui neque in hac monſtrationis meae ſerie adhibitis annis, neque etiam ante annum 600 firmas ſedes in Illyrico habuerint, exinde ſatis colligendum eſt, quod ante annum 600 non in *Procopio*, et multo minus in aliis hiſtoricis vllas Slauorum ſedes inter Danubium et mare Hadriaticum, aut vllam etiam Slauorum vel minimam mentionem, niſi quae iam ante ſub Iuſtiniano propter quasdam eorum cis Danubium excurſiones, non vero ob vllas ab iis captas ſedes facta eſt, intueri aut deprehendere liceat.

45) Iam vero deinceps creberrimam videbimus Slauorum in locis cis Danubianis mentionem, vt nunc (et quidem anno 600) eos cis Danubium et in Dalmatia, non ſolum vt contra Romanos bellum gererent, ſed etiam vt ſedes caperent, ſubſtitiſſe, certo certius concludi poſſit. Slaui erant Hunnorum ſocii, et ab his cis Danubium exciti fuerant. Hunni, ſi Romanos ex reliquis inferioris Pannoniae oppidis pellerent, per hanc ſufficientes ſedes habebant, neque ad has Illyrico vel vna aut altera eius prouincia egebant. Slauos tamen, ſocios ſuos, ibi ſedes capere, quam Romanos ſuas tueri malebant. Tantaque et apud vnos et apud alteros cupido fuit, vt nunc primum et totam inferiorem Pannoniam poſt Attilae et veterum illorum Hunnorum memoriam ab Hunnis iſtis, qui tamen hoc tempore Auares magis dicebantur, occupatam, Dalmatiam vero caeterasque Illyrici prouincias a Slauis inſeſſas

 et

et iam modo inhabitatas ex omnibus tum temporum, tum annorum, tum circumſtantiarum, tum etiam autorum in hac re fide digniſſimorum rationibus ac momentis colligam, et ita certo pronuntiare audeam. Sicut enim, poſtquam ſub Iuſtiniano trans Danubium redacti fuerunt, hactenus altum de iis cis Danubium ſilentium fuit: ita deinceps ad annum 600 eorum, qui cis Danubium ſedes poſuerant, apertior mentio audietur.

46) Atque hanc quidem mentionem nobis ſuppeditabit autor, qui poſt *Iornandem* et *Procopium* omnium *Paulus* l. 4. c. 39. certius de Slauis loquitur, et qui multa etiam *a proauo ſuo Lupice in tempeſtate illa*, qua Forum Iulium ab Auaribus obrutum eſt, *comprehenſo et in Auarum patriam exule deducto* poſteris, quae inter Auares et Slauos viderat, tradita ſcire potuit. Frequentia mentionis cernitur in fre- *Paulus* c. 25. quentibus textibus: *Inter haec Longobardi cum Auaribus et Slauis Hiſtrorum fines ingreſſi vniuerſa ignibus et rapinis vaſta-* Idem c. 29. *uerunt.* Item: *Agilolphus Mediolano menſe Iulio egreſſus cum Slauis, quos ei Caccanus, rex Auarum, in ſolatium mi-* Cap. 39. *ſerat, ciuitatem Germonenſem obſedit.* Item: *Erat Slauorum habitatio in illis locis*, ex quibus *Lupicis, Pauli proauus,* Cap. 40. *poſt aliquot dies Italiam ingreſſus eſt.* Item: *Mortuo Giſulpho, Foro-Iulienſi duce, Taſo et Cacco filii eius eundem ducatum regendum ſuſceperunt. Hi ſuo tempore Slauorum regionem, quae Zellia appellatur, vsque ad locum, qui Medaria dicitur, poſſederunt: vnde vsque ad tempora Ratchis ducis iidem Slaui penſionem Foro-Iulianis ducibus perſolue-* Cap. 41. *runt.* Item: *His temporibus mortuo Taſſilone, duce Boioariorum, filius eius Garibaldus in Carnunto a Slauis deuictus eſt, et Boioariorum terminos depraedati ſunt Slaui, reſumtis tamen Boioarii viribus praedas ab hoſtibus excutiunt, et* Cap. 42. *hoſtes de ſuis finibus pepulerunt.* Item: *Rex Agilulphus*

pacem

pacem cum imperatore in annum vnum, itemque in alterum faciens, cum Francis quoque iterato pacem renouat. Hoc nihilominus anno Slaui Histriam infestis armis depraedati sunt. Item: *Aio cum anno et mensibus quinque Beneuentanum ducatum regeret, venientes Slaui cum multitudine nauium non longe a ciuitate Siponto castra posuerunt.* Item: *Lupo interemto Warnefridus, eius filius, voluit in loco patris apud Forum-Iulii obtinere ducatum: sed metuens Grimualdi regis vires, fugit ad Slauorum gentem in Carnuntum, quod corrupte vocitant Carantanum. Qui postea cum Slauis adueniens, quasi ducatum eorum viribus resumturus, apud Nemas castrum, quod longe a Foro-Iulii distat, irruentibus super se Foro-Iulianis extinctus est. Deinde ordinatus est apud Forum-Iulii dux Wectari, fuit hic oriundus de Vincentina ciuitate, vir benignus, et populum suauiter regens. Hunc cum audisset Slauorum gens Ticinum profectum esse, congregata valida multitudine voluerunt super Iulianorum castrum irruere, et venientes castra metati sunt in loco, qui Broxas dicitur, non longe a Foro-Iulii. Secundum dispositionem diuinam contigit, vt dux Wectari superiori vespere a Ticino reuerteretur nescientibus Slauis. Cuius comites cum ad propria (vt assolet fieri) remeassent, ipse hoc nuncium de Slauis audiens cum paucis viris, hoc est, cum viginti quinque contra eos progressus est. Quem Slaui cum tam paucis venire conspicientes irriserunt dicentes, patriarcham contra se cum clericis aduentare. Qui cum ad pontem Natisonis fluminis, qui ibidem est, vbi Slaui residebant, propinquasset, cassidem sibi de capite auferens vultum suum Slauis ostendit, erat enim caluo capite. Quem dum Slaui, qui ipse esset Wectari, cognouissent, mox perturbati Wectari adesse clamitant, Deoque eos exterrente plus de fuga, quam de praelio cogitant. Tunc super eos Wectari cum paucis, quos habebat, irruens, tanta eos*

Cap. 46.

Paulus lib. 5. cap. 22 et 23.

 strage

ſtrage proſtrauit, vt ex quinque millibus vix pauci, qui euaderent, remanerent. Credo iam curioſo lectori tot textus ſufficere poſſe, vt ex iis rerum circa Slauos hoc primum anno 600 inter Romanorum, Auarum et Longobardorum bellum ſedes certas per Dalmatiam et caeteras Illyrici prouincias ponentes ſeriem inueſtiget, et ex iis tutiſſime argumentetur, Slauos ab Albi aliquot vicibus Danubium transgredi tentaſſe, imo et ipſum Illyricum infeſtaſſe, ſed tamen primis aliquibus tum irruptionibus (adhuc ante annum 600) per Iuſtiniani belli duces trans Danubium repulſos eſſe: tandem vero, ſuperato rurſum Danubio et Iuſtiniano nequicquam renitente, in Illyrici viſcera ipſamque Dalmatiam penetraſſe, atque hanc irruptionem ad firmas in Illyrico ſedes capiendas valuiſſe, quas ex iam ante, fuſeque probatis anno 600 ibidem certiſſime fixas fuiſſe negari iam non poterit. Quodſi autem quandoque apud alios autores mentio fortaſſe legatur, Slauos annis ſexcenteſimo poſterioribus, et quidem aut 622, aut 624, aut 642 in Dalmatia ſedes habuiſſe, intelligendum, quod de Slauorum captis iam per Dalmatiam ſedibus noua et vlterior ad iam dictos annos ab vno aut altero eiusmodi autore fiat memoratio, cum tamen initium fixarum in Dalmatia ſedium ex probatis ad annum 600 referri debeat.

CAPVT OCTAVVM.

Igitur abeſt a veritate, et omni caret fundamento ſententia, quae dicit, Slauos ex Dalmatia ad Albim veniſſe.

47) Quam nunc euidenter oſtenſum, quamque inuicte demonſtratum eſt, Slauos ab Albi in Dalmatiam progreſſos eſſe, tam e contrario debilia et a veritate penitus

nitus aliena sunt istorum scriptorum et omnium cum illis sentientium argumenta, quibus origines Slauicas ex Dalmatia repetendas contendunt. Enimuero falsam faciant euertantque, si possint, integram demonstrationem meam a solidissimis autoritatibus depromtam, dissoluant in ea, eneruentque occurrentia argumenta omnes ii, quotquot contrariam tuentur sententiam, et si autoritatem pro sua parte solidiorem, momenta adhuc magis conuincentia, testimonia, rationes, adiuncta, circumstantias, ac omnis generis argumenta et probationum pondera adhuc fortiora, firmiora verioraque eruere possent, atque ostendere, quam quae in dissertationis meae cursu eruta sunt et ostensa, victas vltro manus essem daturus. Verum cum neque in scriptoribus, praesertim fide dignissimis, et fere saltem coaeuis optimisque alia reperire fuit, quam quae attuli, neque etiam consequenter autoritas ad hanc rem stabiliendam inuictior ostendi poterit, quae momenta mea infringere valeat, tamdiu haec erit sententia mea: *Slauos ab Albi reipsa in Dalmatiam peruenisse;* quamdiu momenta, ex quibus eandem demonstraui, secura atque inconcussa manebunt.

48) Verum quid alios in hac causa mihi aduersarios ad certamen prouoco, qui vel pauca, vel si plura, ea tamen fabulosa, veritati aperte contraria, sine consule, sine die, sine anno, sine etiam autoritatibus saltem fidem facientibus de Slauis disserunt. Talis atque hoc modo delineata illorum est sententia, qui Slauos ex Dalmatia ad Albim venisse contendunt, atque contra solidissimam autoritatem origines Slauicas ex Illyrico repetunt. Etenim quid historico periculosius est dicere, Zechum et Lechum, Slauicae stirpis principes, cum parua suorum manu ex Illyrico in Bohemiam et Poloniam venisse?

quantum in talia afferentis caput probationis onus conĳcitur? quot difficultates circumcingunt eiusmodi affertum oftendere nitentem? talis vnde petet adiuncta, vnde neceffarias monftrationes, quibus id ipfum effectum dare queat?

49) Verum tamen proferenda et paucis examinanda illorum eft fententia, qui Zechum et Lechum cum Slauis ex Illyrico in Germaniam veniffe dicunt, vt ita, quidquid ei dubii ineft, aperte detegatur et confutetur. Atque equidem inter alios autores de hac re ita fcribit *Ioannes Boreccanus:* (qui fibi confentientes habet *Ioannem Dubrauium* et *Aeneam Syluium,* aliosque) *Zechus, Croata, vel Winida nobilis ftirpis, poftquam homicidium perpetraffet et fugere coactus fuiffet, ex Morauorum confilio cum fratre Lecho et aliquot amicis anno Chrifti 639 die Iulii 15 in Bohemiam venit, et cum ex monte Rhezipio, nunc Georgii monte dicto, fed a Syluio Ghezipio appellato, haud procul Rautnizio, regionem amoeniffimam, fed paucis Vandalis hinc inde fparfim in ea habitantibus exceptis contemplatus effet, in pulchra hac amoena et fertili valle collibus et nemoribus veluti muro quodam cincta confedit, conditisque aedibus agrum excoluit; fed frater eius Lechus, accepto cum aliquot aliis ab eo commeatu, orientem verfus progreffus ea loca, vbi Polonia nunc et Silefia eft, occupauit. Quemadmodum adhuc Bohemi a conditore fuo Zechi, Poloni vero, qui alias a planitie ita dicuntur, Lechi vocantur.* Idem autor paulo ante *Slauos illos, qui Bohemiam infederint, ex Illyrico, aut Marca Vinithana, quae hodie Slauonia et Croatia nominetur, originem habere teftatur.* Verum inane hoc affertum euellit confutatque textus fuperiori aliquo loco a *Iornande* prolatus, quo *Vinithas populofam nationem ab ortu Viftulae fluminis per immenfa fpatia* in regionibus circa hunc fluuium pofitis *confediffe,*

Ioannes Boreccanus in annalib. Bohemiae.

Idem.

Iornand. de rebus Geticis c. 5.

sedisse, et eorum *nomina per varias familias et loca mutata, principaliter tamen Slauinos et Antes nominatos fuisse* probatum est.

50) *Caluisius*, eiusdem assertor sententiae, Zechi et Lechi in Germaniam aduentum ad annum 645 constituit, quem annum et *Wenceslaus Hagecius* tenuit, *atque imperante Constantino tertio post Christum natum anno 645 fundamenta regni Bohemici a Zecho iacta esse, scriptum reliquit. Aeneas Syluius nullum tempus huic migrationi adscribit;* similis ferme opinionis est etiam *Dubrauius.* *Caluis.* sub ann. 649. *Neugeb.* in Histor. Polonica lib. 1.

51) Sunt tamen etiam nonnulli, qui in hac sententia variant, et Lechi in Polonia principatum altius constituunt sequentibus: *Diuturno cunctae Slauicae nationis consensu celebratur, Lechum et Zechum Polonis atque Bohemis (qui etiam Zechi lingua Slauica vocantur) principes praefuisse, ideoque alterum Polonis, alterum Bohemis nomen dedisse dubitandum non est. Bernhardus quidem Vapouius etiam certum tempus edidit, quo Polonis Lechus praefuit, nempe circa annum Christi 550. a quo quidem sumendum est initium rerum Polonicarum, propterea quod de vetustioribus gentis Polonicae temporibus nihil comperti habetur. . . .* Plura huius sententiae testimonia hic adducere necessum non est. Idem lib. 2. *Guagninus.*

52) Refutandus vero iam eorum est error, qui Slavos primum in Illyricum, et exinde demum in Bohemiam a paucis hinc et inde dispersis Vandalis habitatam venisse putant. Statim vero patet, falli eos, qui Lechi et Czechi regnum anno 550. adscribunt. Ex *Procopio* enim clarum est, Slauos eo tempore nullum regem nec principem habuisse, sed ad totum populum pertinuisse rempublicam. *Antarum*, is ait, *Slauinorumque nationes non ab homine aliquo vno reguntur, sed ab antiquo plebeia communique libertate vtuntur, et idcirco res omnes, quae vel vtiles sunt, vel* *Procop.* de bello Goth. l. 3. n. 7.

vel forte difficiles, in commune consilium deducuntur. Quodsi igitur tam celebris inter Slauos principatus iam tunc extitisset, *Procopius* certe mentionem eius facere debuisset, quam tamen non fecit.

53) Pariformiter coece hallucinari dicendi sunt, qui vel anno 639. aut 645. Zechum et Lechum inter Slauos regnasse asserunt. Etenim aperte constat, annis istis 639 et 645. non Zechum et Lechum Slauis, sed Samonem tanquam regem praefuisse, qui, cum secundum nonnullorum opinionem Gallus origine inter istos Slauos mercaturam exerceret, a iugo eos Hunnorum, quo premebantur, liberauit, regnumque in ipsos obtinuit. Feliciter per triginta quinque annos Slauis imperasse memoratur. Hic igitur manifesto primus Slauorum rex, democratica reipublicae administratione inter eos sublata, videtur fuisse. Inde concludi potest, quod, si etiam concessum fuerit, Lechum et Czechum inter Slauos fuisse principes, Samonis regis filii fuerint, et post eius mortem regnum et per Germaniam et per Sarmatiam inter ipsos diuisum tenuerint, potius, quam quod ex Illyrico vel Dalmatia in Germaniam migrarint et in Sarmatiam. Slaui enim ex Sarmatia in Germaniam, et ex Germania superato Danubio in Dalmatiam venerunt. Huic sententiae ipsi Slauorum scriptores adstipulari videntur. Sic *Neugebauerus* expositis, quae Polonorum origines et praecipue Lechi et fratris Czechi historiam premunt, dubiis et scriptorum dissensionibus *probabilius esse* ait, *circa Attilae tempora, videlicet anno Christi 430. eos populos, qui nunc Poloni et Bohemi dicuntur, progressos e Russia et Sarmatia, itidem ac alios Slauos vacuas aut certe infrequentes Vandalorum sedes occupasse, indeque porro in interiorem Germaniam et Bohemiam arma protulisse. Nam facilius*

Aimonius de gestis Francor. l. IV. c. 10.
Fredegarius in annal. c. 49.

Lib. I.

facilius citiusque hac secundum dextrum latus Carpathi montis ad interiorem Germaniam aliquo modo vacuam tum penetrare potuisse ex Russia profectos, quam in Slauoniam aut Dalmatiam longius a se distantes et Romanorum imperatorum armis defensas, in quas prouincias, vt et in Dalmatiam, Macedoniam, Thraciam et in Illyricum longe post Iustiniani tempora eos se infudisse, ex Cranzio et Blondo constare.

Demonstratum nunc esse puto, Slauos origine fuisse Sarmatas; primitusque in incognita Sarmatia, vbi nunc et Lithuania et Moscouia est, sedes habuisse; inde in apertam et cognitam Sarmatiam progressos ad Vistulam venisse. Tum vero cis Vistulam effusi interiorem Germaniam omnesque inter Viadrum et Albim regiones, ipsam etiam Bohemiam tenuerunt, vnde superato Danubio, post varias in Illyricum reliquasque vicinas imperii Romani regiones, tentatas excursiones, postremo in Dalmatia et Croatia Slauoniaque et reliquis Illyrici prouinciis pedem ac sedes posuerunt. Adeo quidem fieri nequit, vt Slauorum Bohemicorum et Polonicorum origo ex Dalmatia petatur, nec verum esse potest, Zechum et Lechum cum Slauis ex Dalmatia in Bohemiam et Poloniam peruenisse.

De Lecho et Czecho eorumque ex Croatia in Poloniam Bohemiamque aduentu historia tot tantisque fide dignissimorum scriptorum auctoritatibus obfirmata leuibus eiusmodi oppugnationibus mehercle non adeo celeriter corruet. *Guagnini* quidem, qui fratrum horum migrationem in annum 550. scribit, sententiam ideo adoriuntur, quod *Procopius* in sua istorum temporum historia nullam principatus Lechi et Czechi faciat mentionem. Imo in auxilium vocant eiusdem *Procopii* locum, vbi de republica Slauorum asserit, popularem eam, seu, vt vulgo dicunt, democraticam tunc temporis fuisse. Nobis vero

hoc argumento *Vapouius Guagninusque* certe nondum victi videntur. Non enim necessario sequitur, vt colonia profecta a gente, quae democratico vtitur regiminis genere, nequeat principibus regibusue obedire. Idque certe hic quam facillime fieri poterit, cum communis historia, colonias istas non publica gentis auctoritate missas, sed a fratribus Lecho Czechoque ex patria profugis abductas fuisse, dicat. Imo vero nulla migratio coloniae alicuius sine duce ducibusue fieri posse videtur. Sed demus iam, *Guagnini* opinionem a vero aberrare, num ideo statim tota Lechi Czechique historia admitti non potest? - *Nempe vero et ii hallucinantur, qui circa annum 639. vel 645. Lechum et Czechum ex Croatia aduenas inter Slavos regnasse asserunt. Etenim aperte constat, annis istis 639. et 645. non Lechum et Czechum Slauis, sed Samonem tanquam regem praefuisse.* -- Memoratur quidem a scriptoribus inprimis Gallicis, Winidos Slauos, Carantaniae incolas, cum dura ab Hunnis premerentur seruitute, vt in libertatem sese vindicarent, iniuriasque, quas ab Hunnis perpessi erant, vlciscerentur, arma cepisse, cumque in bello egregia vsi essent opera Samonis, quem nonnulli falso ex Gallia mercatorem fuisse autumant, regem illum primum elegisse, pertaesos imperii popularis, quod ipsos ab hostibus defendere non poterat, eumque per triginta quinque annos optime regnasse. Quodsi vero patet, Samonem aliquem Winidis Slauis in Carantania, imo in Narentania, teste *Kereselichio*, imperasse, num inde concludi statim potuerit, non potuisse ex Croatia, quae saltim non tota paruit Samoni, in Bohemiam Poloniamque abire principes, ibique noua regna instituere? — *Sed si Lechus Czechusque extiterunt, principatumque tenuerunt Poloniae alter, alter vero Bohemiae, Samonis ipsius filii*

Conferantur hic Iosephi Alexandri Principis Iablonouii et S. R. Imp. etc. Συμμικτα Slauica Tomus V. et vltimus Rerum Vindo Slauicarum.

filii esse debuerunt. — Ne vola quidem vestigiumue est in scriptore aliquo huiusce opinionis, et tamen ego quidem puto, sine vllo scriptoris cuiusdam testimonio non posse talem opinionem in publicum prodi asseriue. — Sed *Neugebauerus.* Slauicus ipse scriptor diruit historiam de Lecho et Czecho eorumque ex Croatia in Poloniam Bohemiamque migratione. --- Amplissimus eius in hunc finem adducitur locus. Quale, quaeso, istud testimonium? Ait *Neugebauerus: Originem et tempus aduentus Polonorum incertum esse: Alios scriptores credere, Slauos istos in Sarmatia, id est, in Polonia, Morauia, Bohemia et Russia esse inquilinos, cumque sedes ibi nimis angustas haberent, nouas regiones in Pannonia a Constantino Magno obtinuisse, vnde sub Mauritio in Dalmatiam Illyricumque progressi sint. Alios scriptores e Croatia credere aduenas Polonos et Bohemos sub Lecho et Czecho fratribus, qui apud Crapinam et Psaros sedes habuerint. Hanc esse sententiam Aeneae Syluii praesertim, Bohemicorumque et Polonicorum Chronographorum. De tempore dissentire hos scriptores. Polonicos historiographos statim post diluuium ponere hanc Lechi et Czechi migrationem, Hagecium vero anno post Christum natum 645. Verosimillimam opinionem esse, quod circa Attilae tempora, id est, anno post natiuitatem Christi 430. Poloni et Bohemi ex Russia vel vlteriori Sarmatia progressi Vandalorum vacuas vel infrequentes occupauerint sedes, inde in Germaniam et Bohemiam vlterius protulerint arma, tardius vero et post Iustiniani demum tempora in Romanas prouincias, Macedoniam, Thraciam et Illyricum penetrauerint.* Lib. I.

An vero hocce in loco plane negat *Neugebauerus*, Czechum et Lechum fuisse eosque in Poloniam et Bohemiam ex Croatia aduenisse? Mihi certe non videtur id facere. Annon eius sententia conciliari poterit cum iis,

quae reliqui optimi scriptores ea de re narrant? Id quidem puto.

Iam haec omnia sunt argumenta, quibus Lechi et Czechi ex Croatia origo et in noua regna aduentus ex Slauica historia tanquam mera fabula eiicitur. Cum velint de Samonis eos esse progenie, nullum opinionis suae auctorem sistere possunt. Ex eo vero id concludunt, quod inter scriptores constet, Carantaniam et vel Croatiae Dalmatiaeque partem sub Samonis imperio fuisse, anno 640. ab eiusque posteris post ipsum istas regiones fuisse possessas. Coniectura ea certe non admodum solidis fundamentis inaedificata est.

Cum porro nolint, ex Dalmatia progressos Lechum et Czechum in Poloniam Bohemiamque venisse, *Neugebauerum* citant, *Longino*, alias *Dlugosso* dicto, qui scriptor plus saeculo antiquior est, *Vapouioque* fide dignissimo historico, neglectis. Hic vero classicus inter Polonos scriptor expressis verbis dicit, ex Pannonia Lechum in eam Sarmatiae partem, quae nunc Polonia est, venisse, et quidem cum colonia sua per tres transiisse fluuios, qui Pannoniam secant, id est, Sauum, Drauum et Tibiscum, quem is Cischam appellat.

Si vero iam mappas Pannoniarum geographicas inspexerimus, fluuios istos reuera transeundos inueniemus iter facientibus ex Dalmatia et Croatia in hodiernam Poloniam.

DIS-

DISSERTATIONIS

PARS TERTIA.

In hac indaganda et iudicanda opinio eorum, qui Slauicas et Danicas gentes a Dodanim deducunt.

1) Post demonstratam in praecedente secunda parte Slauici nominis, ipsiusque Slauicae gentis primam existentiam et originem ex momentis solidis et optimorum scriptorum dignissimis autoritatibus, nunc ad ea se mens atque calamus conuertat necessum est, quae in dissertationis tertia parte sunt proposita, quaeque, cum sententiae meae tam firmiter stabilitae penitus contrarientur, non, vt hactenus feci, demonstranda, sed potius refutanda erunt. Quae in hac parte maxime controuertuntur, origines Slauicarum et Danicarum gentium spectant. De hac quid ego sentiam, ex antecedentibus probe iam colligitur, quanquam quid me sentire dicam, cum potius optimi autores ita sentiant, et ego nonnisi secundum illos ita senserim, sentiamque adhucdum.

2) Sed iam alia, et, vt dixi, priori meae opposita est sententia nonnullorum autorum, qui aut posthabitis aut certe non consideratis illis, quae secundum optimorum scriptorum autoritatem veriora certioraque sunt, momentis insolitum aliquod fabulandi genus assumunt, atque originem nominis populique Slauici non tam recentem, quam optimi scriptores faciunt, constituunt, sed multo altius, imo paene a diluuio mundi repetunt. Paucis: Illorum sententia asserit, Slauicas et Danicas gentes a

 Doda-

Dodanim, aut ſaltem alio Noae nepote deducendas eſſe. Adferant illi iam rationes, producant autoritates, momentaque ſolida, ſi poſſint, ad firmandam et credibilem faciendam hanc ſententiam ſuam. Adſint vna cum argumentationibus, et euincere conentur, quod aſſerunt. Quid autem eueniet? *Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.* Verum ne praepropere ad confutandum abreptus ea refellere videar, quae aperte nondum oppoſita ſunt, et quorum neceſſario requiritur plenus antea conſpectus; ideo, quidquid tam portentoſae ſententiae vel autores vel fautores de Slauicis Danicisque originibus, de Dodanim, Magogo, aliisque, a quibus Slauicas ac Danicas gentes deducunt, Noae nepotibus ſentiunt ſcribuntque, prius diſtinctim, accurate et fideliter mihimetipſi opponam, et in aperto collocabo, vt ita exinde conuenientiorem refutandi materiam et anſam nanciſcar. Sed prius tamen memorationem hiſtoricam S. Bibliis conformem de Dodanim aliisque Noae nepotibus ac poſteris (quia de iis impraeſentiarum agendum) ponamus.

Horatius.

3) Noae filios terrarum ſpatia partitos, proxima traditio eſt: Chamo Africam, cum Aegypto et vicina Palaeſtina obtigiſſe; Iapheto illa, quae in occidentem vergunt; Semo autem Aſiam altiorem. Id fabula Iouis, Neptuni, Plutonis imperia partientium ſignificari creditur.

4) Iapheto (nam Cham et Sem, a quibus nemo Germanicas, Slauicas, Saxonicas, aliasque Europae gentes deducere auſus eſt, ad nos iam non pertinent) in Geneſi Moſaica filii tribuuntur Gomer, Magog, Madai, Iauan, Tubal, Meſech et Thiras. Figurate hic agi, et gentium, non hominum nomina proferri *Bocharto,* et poſt eum eruditioribus plerisque viſum eſt. Gomeri filii Aſcenas, Riphat et Thogarma feruntur, quos nonnulli Germanicae,

nicae, Slauicae, Danicae, Saxonicae, Suecicae, aliarumque gentium Europaearum primos autores putant. Etenim Iudaei etiamnum Thuiſcones Askenazim vocitant, et Ezechielis Capite 27. pro Thogarma paraphraſtes Chaldaeus prouinciam Germaniae vertit. Magog, Meſech et Tubal Ezechieli coniunguntur inuicem, et additur Ros et Iog, incola in terra Magog, omnes equites, omnes ad aquilonem Iudaeae ſiti. Meſech et Tubal, a quibus Iudaei mancipia et vaſa aerea mercabantur, a Moſcis et Tibarenis ferrifodinis ab antiquo celebribus non differunt. Madai Medorum eſſe gentem, omnes fere interpretes agnoſcunt. Qui Slauicas, Danicas et Bulgarorum gentes ex Scandinauia oriundas arbitrantur, ad Magog originem harum gentium referunt. Eius nimirum filios Sueonem et Gog Sueciae et Gothiae imperaſſe, ſuisque nominibus regiones vocaſſe aiunt. Ezech. c. 38.

5) Iauanem cum filiis quatuor ad occidentaliores populos pertinere apparet, praeſertim ad Iones ſeu Graecos, vnde et Alexander Magnus apud Danielem rex Iavanis audit. Per Eliſam, primum Iauanis filium, pars Peloponeſi Elis indicatur. Per Tharſin, ſecundum, *Euſebius* Hiſpanos intelligit. Per Chittim, tertium, Graecos magis indigenas ſignificari, vix dubitari poteſt. Per Dodanim, quartum, *Bochartus* Rhodani accolas, Gallos, innui putat. Alii de Graecorum apud Maſſiliam colonia accipiendum exiſtimant. *Meibomius* addit, Dodanim habuiſſe filium *fauet* dictum, qui primo naues maris fieri praeceperit. *Georgius Eccardus* aſſerit, pro Dodanim in Paralipomenorum initio Rhodanim legi; id quod nequaquam in veteri aliquo exemplari Biblico lego; nam in illo ſub Paralipomenorum initium ſic clare legitur: *Filii autem Iauan, Eliſa, et Tharſis, Cethim, et Dodanim.* Ab his autem Iauanis

Meibomius rer. Germ. tom. 1. p. 77. *Eccardus* de origine German. §. 7.

Iauanis posteris vel coloniis impletas esse insulas gentium siue Graecas in mari mediterraneo vel ad illud sitas asseritur.

6) Quodsi omnibus bene attentis Genesin Mosaicam accuratius quis perlustret, is profecto Mosen de populis solum Iudaeorum stirpi cognatis locutum, reliquorum vero origines non attigisse coniiciet. Ipse Moses Gog et Ros nominat, nec tamen inter Noae posteros recenset, vt aliunde hos venisse quis existimet. Non desunt, qui dicant, non esse improbabile, plurimas gentes in Europa, Asiae septentrione et oriente, Africaque interiore (et quid de America?) a diluuio Noachico immunes degisse. Quare neque a Gomero, neque ab Ascenaze, aut alio Mosi nominato peculiariter Maiores gentis Slauicae, Danicaeque et Germanicae deriuare ausim; sed populi ex Armeniis montibus iam dudum digressi Iudaeisque ignotioris progeniem puto. Hoc interim notum nobis est, quod *Philastrius* illos omnes inter haereticos computet, qui negant, Noachum inter filios orbem terrarum diuisisse. Verum belle admodum obseruauit *Bellarminus*, illum multa pro haeresibus habuisse, quae non sunt. Neque tamen communi sententiae acrius contradicere animus est, cum in rebus adeo remotis prudentem ignorantiam confiteri, quam interpretes vulgares offendere tutius videri debeat. His itaque praeuie nominatis nunc audiamus, qua ratione autores aliqui Slauicas et Danicas gentes a Dodanim aut certe aliis Noae posteris deducant.

7) *Saxo Grammaticus* cum, quid in Cimbrica Chersoneso insulisque circa ante Danum, Humbli filium, fuerit, qui populi ibi consederint, et quomodo mutatio ista contigerit, omnino tacet; et de Dano, gentis ex sua sententia conditore, habet sequentia: *Dan et Angul, a qui-*

Saxo Gram. in histor.

bus

bus Danorum coepit origo, patre Humblo procreati, non solum conditores gentis nostrae, verum etiam rectores fuere: quanquam Dudo, rerum Aquitannicarum scriptor, Danos a Danais ortos nuncupatosque recenseat. Hi licet fauentibus patriae votis regni dominio potirentur, rerumque summam ob egregia fortitudinis merita assentientibus ciuium suffragiis obtinerent, regii tamen nominis expertes degebant: cuius vsum nulla tunc temporis apud nostros consuetudinum frequentabat autoritas. Ex quibus Angul, a quo gentis Anglicae principia manasse memoriae proditum est, nomen suum prouinciae, cui praeerat, aptandum curauit; leui monumenti genere perennem sui notitiam traditurus. Cuius successores postmodum Britannia potiti, priscum insulae nomen nouo patriae suae vocabulo permutarunt. Magni id factum a veteribus aestimatum. Testis est Beda, non minima pars diuini styli, qui in Anglia ortus sanctissimis suorum voluminum thesauris res patrias sociare curae habuit: aeque ad religionem pertinere putans, patriae facta litteris illustrare, et res diuinas conscribere. Verum a Dan (vt fert antiquitas) regum nostrorum stemmata, ceu quodam deriuata principio, splendido successoris ordine profluxerunt. Huic filii Humblus et Lotherus fuere, ex Grytha, summae inter Teutones dignitatis matrona, suscepti.

8) Idem *Saxo Grammaticus* cum regum Danicorum seriem instituit, nullum tempus designat, quod et in iam ante adducto illius textu fecit. Vnde ita reges suos commemorat, veluti extra saeculum vixissent. Alii tamen eius historiam omnem sine tempore exsanguem et mortuam cernentes regni Danici initium *ad aeram anni bis millesimi nongentesimi ac decimi a mundi conditu, qui ante Christum annus millesimus trigesimus nonus, et quod excurrit, est, referunt.* *Gassarus* in fingendo aut exten- *Saxo Grammat.* sub rege primo Daniae.

 dendo

dendo moderatior *haud vltra annum 490 ante Christum agnoscit.*

9) *Ioannes Gothus*, veluti *Saxo Grammaticus* non satis finxisset, Sueonici aut Suecici regni initia ad Magogum adeo extendit, vti habent sequentia: *Magogus igitur, Noae ex filio Iapheto nepos, (teste Iosepho primo antiquitatum suarum libro capite 11.) Scythiae gentis pater et conditor erat: primumque in ea Europaeae Scythiae parte, quae nunc Finnlandia vocatur, et Gothorum regi Orientem siue Tanaim versus hodie paret, imperabat; deinde vt publica patriae historiae fides habet, transmisso Venedici maris sinu in Gothiam, Scandianae peninsulae partem, nauibus vectus, magnaque populi multitudine sociatus peruenit, et eas gentes ex suo nomine (vt autor est idem Iosephus) Magogas nominauit, quibus postea Graeci Scytharum nomen imposuerunt, complures quoque Latinorum totam Scandiam, vti diximus, Scythico nomini attribuerunt: at patria lingua a gentis origine vsque in praesens semper (vt paulo ante dictum est) Getae fuerunt nuncupati. Demum Latini, postquam cum eis de imperio contendere coeperunt, ipsos frequentius Gothos vocare voluerunt: quanquam non raro promiscuo nomine nunc Gothi nunc Gethae in Latinorum historiis appellentur, vt in contextu historiae deducemus. Sed hoc loco considerandum puto, hunc Magogum alium fuisse ab eo Magogo, quem Berosus asseuerat a Nimbroto, Babyloniorum rege, siue Saturno missum fuisse cum colonis in Coelosyriam, ibique regnum et vrbem Magogibi, id est, patriam Magog constituisse, circa annum a Noetico diluuio 175. Hic autem Geticas terras circa annos ab eodem diluuio 88 administrandas ingressus est: nisi forsan, postquam ipse intra eas pluribus annis regnasset, regnaque et respublicas pro illorum temporum ratione constituisset, tandem ad Nimbrotum et Coelosyriam*

Ioannes Magnus lib. 1. cap. 4.

com-

commigrasset, iuxta exemplum Noae ac filiorum eius, qui teste Beroso nunc in Armenia, nunc ad ostia Tanais, postremo in Asia, Africa et Italia consederunt. Necessarium quippe erat, vt illi humani generis principes tantam populi multitudinem, quae sub septentrione in immensum (vt modo ex Beroso colligebamus) creuerat, in vniuersam terram saepius educere curarent. Praeterea idem *Ioannes Magnus* maiore, quam alii, vanitate, *quinque Magogi filios, Suenonem, Gotharem, Thor, German et Ubbonem,* producit, *Suenonem Sueonicae gentis propagatorem et rectorem; Gotharem vero, quem alii Gogum dixerint, nomen suum Getis, quibus praeerat, adaptandum curasse,* pariter *ab Vbbone Vbsaliam ante tempora Abrahae aedificatam, in amoeno loco positam, non hominibus tantum et principibus ac regibus, sed summis Gothorum pontificibus, et ipsis Diis a principio dedicatam, et hac ratione celeberrimam fuisse* contendit. Vlterius: *Vbbone apud Vbsaliam defuncto dum Sueonibus Siggo imperabat, Ericus in Gothorum regem circa annum a diluuio 375 eligitur. Hic Magogi ex filio Gogo siue Gothoro nepos, vel vt alii dicunt, abnepos, non modo instituendis bonis moribus, verum etiam patriae caritate illustris euasit. Siquidem iustas et salutares leges, quas ea aetas permisit, constituit, et quidquid ad conseruandum Gothicae reipublicae statum vtile videbatur, summo conatu praestare curauit. Enimuero acceptum a patre siue auo regnum tanta virtute gubernauit, atque in remotas terras extendit, vt plerique nostri historici hunc affirment non solum praecipuum, sed primum regem fuisse Gothorum. Qui cum ad eius vsque tempora, viuente adhuc Saruco, auo ipsius, Abrahae tantum multiplicati essent, vt amplissima insula Scandiana (quamuis alter orbis dici posset) ipsorum infinitum numerum sustinere nequiret, iussa est a rege Erico non parua eorum pars, qui auream aetatem*

Idem cap. 5.
Idem cap. 5.
Idem cap. 7.
Idem cap. 8.

tem hactenus currentem peruersis facinoribus vitiabant, vicinas ad occidentem solem insulas (quae longo post tempore Danicae siue Cimbricae dictae sunt) quaerere, atque in eis nouas sedes collocare. Itaque noui illarum insularum incolae effecti diu postquam ex terris Gothorum exierant (vt etiam ipsorum historiae testantur) sine rege ibi consederunt. Quippe ab hoc Erico vsque ad Danum, quem suum primum regem tempore Gedeonis iudicis in Israel fuisse affirmant, fluxerunt anni circiter 660: atque interea regibus Gothorum, siue iudicibus ab eis constitutis paruerunt, donec Humerus, Gothorum rex, supradictum filium suum Danum eis regem imposuit.

10) Colligimus iam illico, ex hoc *Ioannis Magni* textu, qua ratione in repetenda Danicarum Suecicarumque gentium origine ad ipsum Noe progrediatur, et huius ex filio Iapheto nepotem Magogum et mox pronepotes quinque, et inter eos Suenonem Sueciae, Gotharem vero Gothiae nomina dedisse inducat. Illas regiones, quae postea Daniae nomen obtinuerunt, primo vastas et desertas, deinde Gothorum coloniis refertas, postremo per annos circiter 660 Gothorum in illa peninsula regibus subiectas, et per iudices ab iis constitutos rectas, et Dani atque Gedeonis iudicis Israel tempora eadem fuisse affirmat, et sic ipse regni Danici initium ad annum mundi 2761 refert, Suecicum vero regnum Danico longe adhuc vetustius constituit. *Saxo Grammaticus* Gothici regni nuspiam fere, sed Sueciae et Noruagiae solummodo mentionem facit. *Ioannes Magnus* extemplo Gothicum regnum a Suecico distinguit, imo illud per illos populos, qui postea Dani dicti sunt, dominans decernit. Quid incertius, quid falsius, quid fabulosius effingi potuit, quam tales sententiae? Earum autores foedissime errasse, et *Strabonis*, et *Melae*, et *Solini*, et *Taciti*, et *Plinii*, et *Ptole-*

Ptolemaei et caeterorum antiquorum omnium ſilentium conuincit.

11) Non minus fabuloſum penitus reputo, quod etiam alii harum ſententiarum fautores proferunt, ſcilicet *anno mundi 3630, ante Chriſtum natum 341. Sueuos Germanos Dario, Perſarum rege, et mox eosdem Sueuos, Saxones et Thuringos Alexandro Magno militaſſe*, et ad hanc rem *Arianum et Curtium citari*, qui de ea ne cogitarunt quidem; et paulo poſt *Trittemium ingentis praelii meminiſſe, quod inter Saxones, Thuringos, Sueuos et Sicambros, qui inde Franci dicti ſint, cum magna vtrinque clade et Hermanni, Thuringorum regis, caede commiſſum legatur.* Non minus ſimiles autores ad vetuſtatem Gothicam contendentes *multa de Treubata, Semiramidis reginae priuigno, magni per Germaniam imperii, cuius ſedes apud Treuiros ab eodem Trebita ſic dicta fuerit, conditore*, loquuntur. His ſimilibusque fabulis, quod nimirum Sueui, Saxones, aliique Germanici populi inter Darii, Perſarum regis, et Alexandri Macedonis milites numerati fuerint, quis veritatis amans fidem adhibebit?

Riuander de Thuringis. — Idem. — Idem. — *Fridericus Schmidius* in Thuring.

12) Neque etiam alii autores, et prae aliis *Pantaleon*, felicius in hac ſententia certarunt, cum aeque fabuloſe in probandis Gothicis, Slauicis, Danicisque gentibus adeo ad diluuium aſcendunt. Diluuium fuit circa *annum orbis conditi 1657.* ab eo *Magogus, Noae ex filio Iapheto nepos, transmiſſo Venedici maris ſinu, in Gothiam, Scandianae peninſulae partem, nauibus vectus circa annum orbis conditi 1832 peruenit, et eas gentes ex ſuo nomine Magogas vocauit; hiſce poſtea Graeci Scytharum nomen impoſuerunt, Latini autem nunc Scythas, nunc Getas, aut Gothos promiſcuo nomine appellarunt;* tamen hi ſe ipſos confundunt, *et Getam, qui et Gothus dictus fuerit, indiuiduum Tuiſconis comi-*

Caluiſius. *Pantaleon* ſub Magogo et ann. 1832. — Idem ſub Geta et ann. 1900.

Idem. *comitem*, et ab eo *Getas atque Gothos in ea Europae regione, quae inter Daniam et Noruegiam se extendit*, circa annum Idem. mundi 1900 *prognatos: verum eam regionem a Magogi progenie postea habitatoribus frequentiorem redditam fuisse* addunt. Quodsi iam hos cum aliis praecedentibus textibus conferamus, exinde patet, nunc hos Gothos ab anno orbis conditi 1832, quo Magogus in Scandiam venerit, ad annum 2500 et sic intra annos 668 in tantam multitudinem excreuisse, vt ingenti cum populo in Vlmerugiam migrare, huius et alios vicinos populos vi et armis in potestatem redigere, binas gentes, nempe alios Gothos et Gepidas, ibi condere, et postremo in Scythiam transire, et mox Asiae imperium parare sibi potuerint, et cum Assyriis regibus aliam veluti Monarchiam constituerint. Vexorem, Aegypti regem, cum Scythis, siue, vt hi volunt, Gothis bellum gessisse, etiam Gothorum scriptores fatentur, imo hunc ab iis pulsum magnifice iactant. Secundum paganos scriptores Vexores regnauit ante Ninum annis 1500, quod secundum Christianos foret diu ante diluuium. Quodsi iam Christianorum rationibus Caluisius. inhaereatur, Vexores regnauit circa *annum orbis conditi 2747*, et sic post Gothorum in Scythiam expeditionem et collocatas in ea sedes annis 87.

13) Iam haec dicta rursum consideremus, conferamusque, et si Gothicae aliaeque affines ipsis gentes tam antiquis in orbe temporibus illustres extiterint, quomodo iam, quaeso, Gothorum aliarumque ipsis coniunctarum gentium nomina tam cito obsoleuerint, vt hae res a Scythis potius, quam Gothis gestae scribantur? quomodo eorum, qui victi, qui subacti, qui ferme deleti fuerant, nomen, horum, qui victores fuerant, qui triumphauerant, qui nouum regnum condiderant, nomen tam cito absor-

abſorpſit, vt nec in hac, nec in alia vlla per tot annos vsque ad Marci Aurelii caeſaris tempora, quibus illud innoteſcere coepiſſe, in parte prima monſtraui, expeditione auditum ſit: et id quidem adeo, vt ne a Getis quidem, quos Scytharum partem fuiſſe facile licet concedere, vllae per Aſiam res geſtae ſcribantur? Quis demum, rogo, obſoletum (dummodo tam antiquitus extiterit) hoc Gothorum nomen poſt tot annos, poſt annos, inquam, 1500, quot circiter a prima Gothorum in Scythiam expeditione, et collocatis in ea ſedibus ad Marci Aurelii vsque tempora numerari poſſunt, iterum reſtituit? quis illud vel ſcriptum, vel traditione ad poſteros delatum primus reperit? et Scythas non amplius Scythas, ſed a conditoribus ſuis Gothos nuncupandos vel autoritate vel argumentatione conſecutus eſt, vel conſequi potuit?

14) Ex his iam allatis videre ſatis licet, Slauicas et Danicas gentes ſecundum iam allegatorum autorum ſenſa vel a Dodanim, vel certe ſaltem ab aliquo (quiscunque demum ille ſit) Noae nepote deriuari. Sed tamen mirari ſatis nequeo, quod tam infrequens et rarum ſit apud autores nomen *Dodanim;* quod autem aliqui expreſſe a Dodanim Slauicarum et Danicarum gentium origines repetendas velint, id illos ex hoc praecipue fonte ſtatuere arbitror, quod, cum legiſſent, orbem vniuerſum inter Noae filios et poſteros diuiſum fuiſſe, eum Slauicarum et Danicarum gentium autorem et conditorem credant, cui nomen ſimile et talibus gentibus affine, et illarum nomini conforme fuiſſe, repererunt. Iam vero, vtique arguent, inter Noae nepotes, qui orbem inter ſe diuiſerunt, reperitur aliquis, cui nomen Dodanim, nomen Danicis gentibus maxime agnatum, fuit; igitur ille Danicarum et Slauicarum gentium autor et conditor, et nomen gentibus

bus iſtis impoſuiſſe cenſendus; quae enim voces ſibi ſunt affiniores, quam Dodanim et Dani? Tales profecto erunt illorum deriuationes et argumentationes; qui vero ſolidis rationibus a Dodanim Danos et Slauos deducere nequeunt, illi confuſe et indeterminate aliquem Noae poſterum autorem fuiſſe aſſerunt. Verum Slauicum et Danicum nomen tam ante Chriſtum antiquis temporibus reuera necdum extitiſſe, et viros tam doctos autoresque tam egregios latuiſſe, conuincitur, ex communi iſtorum omnium ſilentio.

15) *Pontanus* ex ſuis, quibuscum tenet, autoribus, de Danorum origine diſſerit in modum ſequentem: *Noacho, vt ſacra nos docet hiſtoria, a diluuio tres filii fuere, Sem, Cham et Iaphet: hi numeroſiore prole adaucti digreſſique a montibus Armeniae, vbi arca haeſerat, in diuerſos terrae cardines ſeceſſere, ac gentes per orbis vaſtitatem propagarunt. Sem et Chamus Orientem praecipue atque Auſtrum, eosque tractus petierunt; a Iapheto eiusque poſteris, vt habet diſerte Moſes, inſulae gentium in regionibus ſuis diuiſae fuerunt. Inſulae autem gentium interpretibus ac Theologis vocantur, quae ſunt remotiſſimae. Sane Iapheto eiusque proſapiae Europam ceſſiſſe, praeter Ioſephum etiam alii meminere.* Et poſt aliqua cum incidiſſet in haec *Taciti* verba, *ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus et hoſpitiis mixtos.* Aegre hanc ſententiam ferre poſſe videtur, dicitque: *Nonne pugnabit id cum ſuperioribus, quae attulimus, nec eſſe hoc pacto Iapheti aut Gomeri proſapiam Danorum gentem dicemus?* Ita profecto eſt: Slauicarum et Danicarum gentium originem in parte ſecunda ex certioribus, quam illae *Pontani* aut *Saxonis Grammatici* ſunt, autoritatibus et momentis demonſtraui, planumque feci, quando et quo tempore

Tacitus in deſcrip. German.

(ſane

(ſane non ante, ſed aliquibus ſaeculis poſt Chriſtum natum) Slauorum atque Danorum nomen primo auditum fuerit; neque neceſſum mihi fuit, in eorum indagandis originibus ad Iaphetum aut Gomerum aut Dodanim aſcendere; neque vera etiam veſtigia ad tantam antiquitatem patere poſſunt, maxime ex primae claſſis autoribus. Et quid iam dicam de quorundam recentiorum figmentis? Si horum commenta pugnant cum illis antiquiſſimorum et optimorum momentis, quid miri? Quomodo vera tunc eſſe poſſunt, quae recentiores aliqui absque vlla autoritate vera afferunt? quomodo fidem merentur? Quodſi de Scandinauiae poſitione (de qua in parte prima vberius diſputatum fuit,) hiſtorici adeo hallucinati ſunt, quanto maior praeſertim recentiorum de tam antiquis Slauorum et Danorum originibus error ſit oportet? et quodſi, Scandinauiam, quando adeo magis coepit pateſcere, etiam tunc continentem eſſe ignoratum, ſed *inſulam* maximam et iuxta Viſtulae fluuii oſtia maxime orientalem eſſe pronuntiatum fuit, quam obſcura, quam incerta, quam fabuloſa ab vnius aut alterius recentioris autoris ſententiis et ſcriptis exſpectanda ſunt?

16) Verum quis omnes horum fabulatorum naenias recenſeat? Quae de origine Slauorum atque Danorum adferunt, ob oculos iam habemus, et quod de illis vlterius iudicium ferendum ſit, audiemus. Quodſi ſecundum *Georgium Eccardum Beroſus* vel eius confictor *Annianus* animaduerterit, *et Germanos et alios populos Europaeos* (ſub quibus ſine dubio etiam Slauicae et Danicae gentes comprehenduntur) *non potuiſſe a liberis Noae in ſacris literis recenſitis deſcendere;* claram nunc formo conſequentiam, quod etiam neque *Saxo Grammaticus*, neque *Ioannes Magnus*, neque alius quisquam autor recentior nullum fun-

Eccardus t. 1. pag. 11.

damentum habuerint, Slauicas et Danicas gentes aut a Dodanim, aut alio Noae nepote deducendi. Etenim si vllum isti fundamentum habuerint, origines Slauicas atque Danicas ad tam antiquissima tempora referendi; id ipsum praeprimis niti deberet autoritatibus veterum optimorum et primae classis scriptorum, quibus profecto melior esse debuisset istarum rerum cognitio ac scientia; quique sine dubio referre debuissent, et etiam retulissent ea, quae de rebus istis compertiora habuissent: iam vero neque *Procopius*, neque *Plinius*, neque *Tacitus*, neque *Solinus*, neque *Mela*, neque alius antiquus, optimus ac primae classis autor ad tam longinqua tempora Slauorum et Danorum originem retulerunt, sed eam multo posteriorem, imo aliquibus post Christum natum saeculis demum extitisse vnanimi sententia tradunt comprobantque; igitur hoc loco autores aliquot neoterici, qui contrarium tuentur, nullum pro se fundamentum habere possunt, Slauorum et Danorum originem aut a Dodanim, aut ab alio Noae nepote repetendi.

17) Porro si Slaui atque Dani non fuerunt citius, aut non fuerunt vetustiores, quam Alemanni, quam etiam Saxones, quomodo eae res, quae aut *Saxonis Grammatici* carminibus, aut aliorum commentis continentur, de tempore ante Christum natum, et quidem tam longo, vel *mille triginta*, vel *quadringentorum nonaginta annorum* intelligi poterunt? quomodo a Dodanim aut alio Noae postero Slauorum et Danorum origines deriuari, et maxime quomodo explicari poterunt? aut quomodo verum esse potest, tot res confictas, a Saxonibus, a Danis, a Slavis, ab Allemannis, quorum nomina ante Christum natum nunquam, et post eum natum diu non extiterunt, factas esse? Res mira *Alemannorum* extemplo sub rege quarto, item

Pontanus l. 1. sub rege primo.

Id. sub rege quarto.

item *Saxonum* ſub regibus quinto, octauo, duodecimo, decimoquarto et aliis multis locis. Item *Slauicae et Slauorum* ſub regibus duodecimo et decimoquinto, et vbique ante Chriſtum natum huiusmodi mentio fit, cum Chriſtus ſub rege vigeſimo quarto natus aſſeratur. Verum quis vel Alemannorum, vel Danorum, vel Saxonum, vel Slauorum nomen apud vllum antiquum autorem claſſicum vnquam audiuit?

Idem ſub rege 5. et aliis.

Id. ſub rege 12. et 15.

18) Itaque conſtat, vt et alias copioſe probatum eſt, Slauorum et Danorum nomen non reperiri prius, quam apud *Iornandem* et *Procopium*, et in rebus ab anno Chriſti 500 geſtis. Si ergo rex Danorum quartus non citius fuit, quam Alemanni fuerunt, quomodo ante Chriſtum natum eſſe potuit? Pariter etiam Slauorum reges duodecimus et decimus quintus, cum eodem, quo Dani et Saxones tempore fuerunt, ante Chriſtum natum eſſe non potuerunt. Porro quis ſoluet hoc argumentum: *Alemanni nec Iulii Caeſaris, nec Strabonis, nec Taciti, nec Plinii, nec Ptolemaei quoque tempore fuerunt, ſed Alemanicum nomen poſt horum omnium tempora exortum modo eſt: ergo quartus Danorum rex, quem res cum Alemannis geſſiſſe carminum autorem ceciniſſe Saxo Grammaticus aſſerit, poſt horum omnium et Ptolemaei etiam tempora fuit.* Quis etiam conuincet, tam *Saxonis Grammatici*, quam etiam vnius aut alterius recentioris autoritatem nullo fundamento, nulla ratione, nullo denique priſci alicuius et claſſici ſcriptoris nomine fretam pluris, quam omnium temporum memoriam eſſe debere? Slauicum nomen et Saxonico et Alemannico recentius eſſe conſtat, et *Cromerus* etiam fatetur, *et tamen gentis Slauicae rex Scalcus ab Helgone rege duodecimo maritimis copiis laceſſitus, oppreſſus, ac Slauia* veluti multorum populorum atque nota regio *in formam* *pro-*

Idem *Pont.*

Idem.

prouinciae redacta scribitur. Quis igitur credat, tam antiquis non diu post diluuium temporibus Slauicum et Danicum nomen cum gente fuisse, cum nequidem serioribus aetatibus, vel statim ante, vel circa Christi natiuitatem reuera fuerit.

19) Verum hic nequaquam praetereundum censui, quod in *Cromero* de variis autorum circa origines Slauicas praecipue legimus, id quod ad hanc rem, de quibus praesens est disputatio, perquam opportunum futurum est. Ita enim disserit laudatus autor: *Quid autem scriptores de Slauorum stirpe senserint, iam exponendum est. Non inusitatum est, vt maximae et nobilissimae quaeque gentes, cum obscuros ortus habeant, et ex paruis initiis creuerint, vetustate tamen originis et generis nobilitate seu vera seu ficta sese venditent, autoresque et conditores vel coelo a fabulosorum deorum stirpe deuocent, vel ab ipso usque orbis terrarum diluuio et ex arca Noae memoriter repetant. Ita Romanos e pastorum et fugitiuorum colluuie ad summam potentiam et claritatem euectos Romuli sui poenituit, nisi genus eius atque suum ad Martem et Venerem, deos falsos, referrent. Ita Persae Iouis filium, Thraces Martem, et ipsi generis sui autorem iactarunt. Athenienses Autochtonas, hoc est, indigenas, se esse voluerunt. Itemque Aegyptii argumento animalium, quae secundum Nili inundationes in limo, imperfectis etiam membris reperiuntur. Iam et prisci Itali aborigines ex eo sese dixere, quasi iam inde ab initio et origine mundi ibi extitissent. Hebraei porro, apud quos, vt antiquissima, ita certissima est historia, ab Abraamo, clarissimo et constantissimo veri Dei cultore, ortos se esse memorant: eiusque stirpem non modo a diluuio, sed ab ipso vsque orbe terrarum condito repetunt. Ad eundem Abraamum Arabes quoque et Saraceni origines suas referunt. Galli ad Comerum, siue Gomerum: Iberi siue Hispani ad Iobelum seu Tubal,*

Cromerus de reb. Polon. lib. 1. c. 1. et reliquis ad 13.

Iapheti filios, Noae nepotes: autoribus Iosepho Hebraeo, et Beroso Chaldaeo, scriptoribus peruetustis. Germani siue Teutones a Tuiscone prisci Iani, quem eundem Noam esse volunt, et Araxe, filio Orsi, Manuum, Ingaeuonem, Hermionem, Marsum, Gambriuium, Sueuum, Vandalum, Teutonem, Alemannum, et alios deinceps reges et progenitores suos, Cornelio Tacito et eodem Beroso autoribus, longo ordine recensent. Sic Hunni et Hungari magnitudine rerum gestarum Attilae sui non contenti ab Hunore vsque et Magore, Nemrodi, siue Nini primi, Assyriorum regis filiis, perpetua successione (verane an falsa, non disputo) originem suam deducunt. Sic denique, vt ad rem veniamus, Slauorum genus ab ipso vsque Iapheto, Noae filio, repetunt ii, qui Polonorum et Bohemorum annales conscripserunt, nec id tamen vno modo. Nam alii ex Iapheto quidem Iauanum ortum esse, ex eo Philaram, ex hoc porro Alanum, inde Anchisen, inde Aeneam, inde Ascanium, ex eo Pamphylum, hinc Reasilinam, hinc Alanum secundum, qui primus ex Asia in Europam commigrarit. Eum vero quatuor habuisse filios. Ex his natu maximum Vardalum Vistulae flumini et Polonis nomen dedisse, vt Vandali dicerentur. Hunc denique multos liberos suscepisse, qui quartam partem Europae occupauerint, et Polonorum, Russorum, Cassubiorum, Silesiorum, Bohemorum, Morauorum, Slauorum, Dalmatarum, Pannonum, Bosnensium, Croatarum, Bulgarorumque regna condiderint; atque hic subsistunt, quasi aut Phaedriae, aut Thrasones e comoediis, aut Capeti Tiberinique ex historiis eis defuerint, aut comminisci plura ipsi arbitratu suo non potuerint. Atque haec vltima rectissime *Cromerus* adhibet de illis, qui Slauorum, vti etiam Danorum originem aut ad diluuium, aut adeo ad ipsum orbem conditum referunt. Enimuero haec illi duntaxat obiter narrant, aut potius inanissime fingunt, nec rationem, nec autoritatem fide

Idem Cromerus.

 dignam

dignam suspicientes curantesque. Quid enim vanius est, et quid historico indignius, quam ex Noe aut filiis aut proximis nepotibus aliquem scilicet Dodanim inuestigare, cuius nomen cum Danico v. g. conuenientiam aliquam habeat, et exinde absque vlteriori, quae tamen necessaria foret, huius deriuationis a tot antiquissimis temporibus monstratione et sine die, et sine anno, sine etiam vllo autore illico concludere, Danicas et Slauicas gentes a Dodanim originem hausisse?

20) Similiter vanissimum est, quod alii, teste *Cromero*, ex Iauano, Iapheti filio, Philaram, inde Alanum, inde Anchisen, inde Aeneam, ex hoc Ascanium, ex Ascanio Pamphylum, hinc Reasilinam, hinc Alanum secundum ortum duxisse, et hunc vltimum primum omnium ex Asia in Europam commigrasse, fingunt. Etenim cum testante Genesi Mosaica nouimus, Iauanis quatuor filios dictos fuisse Elisam, Tharsin, Chittim et Dodanim, nullum vero Philaram, nullum Alanum commemorari, quid inde falsius, quid fabulosius, quam a Philara, Alano caeterisque nominatis origines Slauicas et Danicas deducere? Vbi, quaeso, fundamentum, vbi rationes, vbi monstrationes, quae istas origines hoc modo deductas faciant manifestas et credibiles? Imo ex ipsis recentioribus autoribus non desunt, qui iam ante oppositas opiniones non nisi meras fabulas ducunt, quanquam ipsi de origine Slauorum et Danorum, aliam quidem, sed tamen etiam non admodum credibilem opinionem foueant. Quod ipsum ex *Cromero* pariter nobis liquet. *Alii*, inquit, hanc, de qua iam dixi, *ridiculam fabulositatem nulla neque autoritate, neque probabilitate nixam auersati longam quidem stirpis enumerationem praetermittunt, ab iisdem tamen Iapheto, et Iauano, sed per Helisam filium harum gentium genus deriuant; illam rationem secuti, quod Slauos, Dalmatas*

Idem *Cromerus.*

tas

tas et Illyrios esse opinantur, qui retineant etiamnum fere ea loca, in quibus hae gentes Dalmatae, in quam et Illyrii ab initio, cum a turri Babylonica in vniuersum orbem terrarum coloniae deducerentur, cum Ionibus, Aeolibus, Hellenibus siue Graecis, ac caetera Helisae et Iauani siue Ionis posteritate consedisse, a supra memoratis autoribus Iosepho Berosoque memorantur, adduntque, Iauani quoque siue Iani nomen ab Ione et Ionando ductum ei rei argumento esse, quo Slaui etiam nunc multum vtantur, in hominibus appellandis. In hac autem sententia fuere Ioannes Duglossus, et Matthias Michouiensis, et alii quidam nostrates. Verum etiam haec istorum autorum sententia sua et autoritate, et probabilitate, et credulitate caret. Nam vnde tantum dicta sunt scriptaque, quae illi de origine Slauorum vti et Danorum afferunt, absque vllis probatorum autorum testimoniis, neque res tam cito probata est, quam vnde asserta. *Berosum* quidem quod attinet, ille tam antiquus rerum Chaldaicarum scriptor, a pluribus habetur suppositiitius, et ab *Anniano* confictus: vnde igitur pro illorum sententia, qui Slauos et Danos tam antiquos faciunt, imo eorum origines a Iauane, Iapheti filio, Iauanisque posteris deducunt, conueniens autoritas et fides desumenda?

21) Sed iam si tollantur carmina *Saxonis* vernacula, quid constabit de tam antiqua Slauorum atque Danorum origine? Si etiam aliorum tollantur commenta, quomodo verum fieri potest, Slauicas et Danicas gentes aut mille, aut quingentis, aut pluribus, aut paucioribus ante Christum natum annis nominatas extitisse. Aut quomodo earum gentium res tunc gestas credibiliter aliquis commonstrare poterit? *Pontanus*, vir diligentissimus omnibusque rebus intentus, nil tamen de Danis ex classicis, optimis antiquissimisque scriptoribus vsque ad annum Christi 550, circa quem *Gotilaci regis* mentionem facit, *Pontan.* l. 4. adferre

adferre poteſt, nil etiam, ſiue *Pontanus*, ſiue alius diligens commentator de Slauis et eorum origine ante *Iornandis* et *Procopii* tempora poteſt producere. Similiter, quia priſci autores claſſici, et quibus fides omnis adhibenda eſt, neque Daniae, neque Slauiae, neque Danorum, neque Slauorum meminerunt, neque conſequenter ad ipſum diluuium iſtarum gentium originem referre potuerunt, neque etiam de Dodanim, neque de Magogo aut altero Noae aut filio aut nepote, a quibus alii fabulatores inaniter Slavorum et Danorum originem deducunt, mentionem vllam faciunt. Imo meam in hac parte ſententiam communi iſtarum rerum ſilentio confirmant, quid falſius eſt, quam Slauorum et Danorum originem tam antiquam ſtatuere? Denique quia eorum, qui tam fabuloſe diſſerunt de Slauicis et Danicis originibus, aſſerta neceſſario carere debent ſufficientibus et credibilibus autoritatibus, teſtimoniis, momentis, rationibusque, minime credendam, minime ſequendam eorum eſſe ſententiam, inde clariſſime deducitur.

Quibus ita examinatis legitime concluditur, longe poſteriorem et recentiorem eſſe Slauorum et Danorum originem, neque vllo modo eam ad tam antiquiſſima tempora, imo ad Iaphetum, Magogum, aut Dodanim referri et inde deduci poſſe.

Haec itaque ſunt, quae tam de Scandinauiae poſitione, quam etiam de Slauorum origine in hac diſſertatione ex optimarum autoritatum fonte hauſta conſcripſi atque ſtatui. Atque haec eadem Societati, quae Sereniſſimo IABLONOVIO et Principe et Inſtitutore glorioſa fulget, iudicanda relinquo. Eant igitur, per me licet, quanquam ſine me, Lipſiam, ſuum ibi iudicium expectatura, quod, vtcunque ceciderit, aequiſſimum ſemper a me putabitur.

ANO-

ANONYMI
DISSERTATIO
DE
COSACORVM
ET
BVLGARORVM
ORIGINE.

DE

COSACORVM ET BVLGARORVM ORIGINE.

Gentis et nominis Cosacorum origo tam antiqua est, vt eam perquirenti, non solum Sorabicae et Bulgaricae, sed etiam totius Sarmaticae vel Slauicae gentis incunabula percontanda sint. In lingua Slauica Cosacorum dialectus a Bulgarorum loquendi modo, nostro tempore, ita discrepat, vt vna sermonis species cum altera iterum confundi nequeat. Hic vero non loquor de Slauis seu Thracibus Bulgariae inferioris, neque de Rossis vel Rossiis intra hos fluuium *Czerna Woda* (flumen niger) post Nicephori imperatoris tempora, habitantibus, qui veri Cosaci et pars eorum sunt, qui hodierno tempore Russi rubri et Cosaci vocantur, et qui, secundum meam sententiam, a Graecis plerumque cum Alanis vicinis coniunctim Roxolani nominabantur, qui etiam post Gothorum, Seruorum et Iazygum abitum, soli Poloniae magnam partem et Russiam meridionalem possident, et ideo Σαμμιαται, id est, soli vel derelicti, nominati sunt, (*Samotni*). Nam Cosaci Bulgaros veros vel Serbos loquentes difficillime intelligunt. Vtraque vero gens, tam Cosacorum, quam Bulgarorum, etiam Sarmatica, Graecis *Sauromatica*, id est, *Syromedica*, vocatur; ab Assyriis, qui etiam Syri et Sari dicti fuerant, et a Media, seu Madia, in qua

ſub Aſſyriorum regibus vixerunt. Sic Syriaco caſtello Colchidis Sarpan (i. e. domini Syri) incolae Slaui nomen dedere; ſic Aſſyriorum colonia Tyrus (Zor) et huius colonia Sardinia vocatur; ſic vrbes Sardes in Lydia et Tharſus in Cilicia ab Aſſyriis exſtructae, Syros vel Aſſyrios olim quoque Saros nominatos eſſe probant, qui poſtea etiam Saraceni, i. e. Syri et Ceri, vocati ſunt. Sic Abrahami vxor Sarai, id eſt, Syra mea, dicta eſt, et ne tantopere vel magis quam Deus ametur, et vt huius mandati Abrahamus memor ſit, Saram, id eſt, Syram, eam tantum nominandam eſſe Deus voluit. Cf. 1 *Moſ.* 17. Mediam vero Aſſyriorum tempore Madiam vocatam eſſe, ex fertiliſſima eius prouincia Madene vel Matiana, eiusque metropoli Madia, et ex Colchidis vrbe Madia diſcimus. Nam Colchis Graecis idem ſignificat, quod Media, ſcilicet hoc nomen a Sarmatico nomine Medi, cupro, illud ἀπο του χαλκȣ deriuandum eſt. Adde, Sarmatas acinacem adhuc Mecz (lege Medſch) nominare; armorum genus, quod in Media olim omnium primum, vti opinor, emebant. Ad Mediam etiam Pontus et vicinae regiones priſcis temporibus relatae ſunt; et vltimus Mediae princeps Senacherimus Baſilio imperatori ditionem ſuam tradidit, quae Sebaſten, Lariſſam et Abaram, id eſt, Mediae minoris partem, comprehendebat. Vid. *Cedrenus* in vita Baſilii imperatoris. Nomen vero Ponti Graecis tantum originem ſuam debet, non incolis, qui Slaui ſeu Moſyni fuere, eiusdem dialecti, quam vicinorum Moſchicorum montium venatores. Meſech vero mihi idem quod Moſchus vel Moſynus ſignificat, et ſecundum aliam dialectum Medech vel Medeg appellatur. In Ponto vero minera ferri tam copioſa fuit, vt Aſſyriorum reges, ſtatim ſub initium imperii ſui, Chaldaicos fabros ferrarios eo transferrent, primos ſcilicet,

qui in Ponto modo Chaldaico tuguria exstruxerunt, cum incolae Mosyni a vicinis Moschis, id est, viris vel potentibus, non differentes, et tum temporis adhuc venando victum quaerentes, in turriculis et arboribus habitarent. Vid. *Ieremiae* c. 16. v. 16. Postea vero ab his Chaldaeis, secundum meam sententiam, corrupte Chalybibus et Graecis Zydretis (συδιϱος ferrum) dictis, incolae tuguria exstruere et ferramenta conficere didicerunt, (*Hesekiel* cap. 27. v. 13.) idemque nomen partim acceperunt. Ab his etiam tugurium chalupa prima vice dictum esse videtur, quod nomen ad hunc vsque diem Sarmaticis populis notum est. Phrygii vero seu Cosaci Asiae minoris, idem didicerunt, et Graecis tum adhuc indomitis, et in Ciliciae oris haerentibus, et sine tuguriis viuentibus, illud commodum et nomen forsan tradiderunt, ita, vt et hi postea tugurium καλυβην vocarent. Armeniae populi vero etiam Gordiaei vocantur. Gord autem vel Cord ensem significat, et Gordiaeorum vel Carduchorum nomen (εχω) gladios habentes significare videtur. Hi vero et Lydi (Lud populus *Esaiae* cap. 66. v. 19.) et Mysi (Muzi viri) Serbi mihi sunt, et vrbes nobilissimas Hierapolin vtramque, alteram Bambycen ob templa (pan Buch et Buh, domini Dei ciuitas), alteram ad lacum calidum sitam Bambukkulen vocarunt. (Cal et Cul, lacus domini Dei.) Phrygiae minoris autem pars a Persarum rege Graeco imperatori, teste *Cornelio*, donata, Dardania dicta est, (dar dan, donum datum.) Melius adhuc intelliges Medos a cupro et ferro nomen habere, si prophetae *Ieremiae* cap. 5. v. 12. euolues, vbi legitur: *An dubitas dari ferrum, quod ferrum et cuprum septentrionis frangere possit?* Madiae nomen etiam ex colonia Medica in Macedoniam traducta probatur. Ibi enim Emathia ea prouincia vocabatur,

tur, vbi secundum *Liuium* lib. 40. cap. 3. quondam Paeones pascebant, et vrbs nouorum colonorum Gordynia a patria terra nomen accepit, ita vt Gordynios Medos et Armenios fuisse credi possit; sicut Mosynopolis Thraciae a Mosynis Ponti exstructa esse videtur, nec refert *Iustinum* lib. 7. cap. 1. hanc rem aliter narrasse. Cum vero Niniuitarum tyranni celeberrimas colonias in Mediam ex Syria (*Amos* 9. v. 7.) et ex terra Canaan cet. ad domandos ibi Slauos traducerent, factum est, vt magna incolarum pars, qui potissimum pastores fuisse videntur, patriam suam derelinquerent, et superato Caucaso, greges suas in boreales plagas pellerent. Hi nihilo minus patriae amantissimae nomen obliti non sunt, et Sarmatas, id est, Syromedos, et Siracos, id est, Syros, imo et Matenos seu Medos partim se nominarunt. Assyriorum coloniae autem linguam Medorum ita immutarunt, vt Slauica postea ibi oblita sit, exceptis montanis regionibus, vbi aliquatenus conseruata esse videtur. Nam adhuc Georgia et Guriel cet. a Slauorum Gora, id est mons, titulum suum conseruauit; idem vrbium nomina Casae et Gori nos condocent, Slauicam gentem ex montibus, olim Moschicis vocatis, nondum perfecte exstirpatam esse. Hi Slauici Scythae et Cosaci in Africa et Ebraea lingua Gosan et Mesech, imo etiam Chuttaei, et pars eorum quoque Chitim, vocantur, et cum quidam eorum in Israelitarum vrbes, e. g. in oppidum Bedsan, traducti essent, Graeci illud, secundum *Iosephum*, Scythopolin nominarunt. Samariae autem praefectus Star Bosnai, (vid. *Esrae* cap. 5.) ab honore, grauitate et cura senectutis et officii Star, id est, Senex, appellatus esse videtur, non secus ac prouinciarum praefecti in Polonia regem interdum comitantes, in eadem lingua Starost salutantur. Cum

autem magnus numerus Sarmatarum se Cosacos nominet, origo huius nominis nunc indaganda est. Scythae Slaui, qui olim ad radices Caucasi et Volgae ostia pascebant, (vbi nostris temporibus Cosaci Grebinskii degunt) quorum pars aliqua Vulgari et *Graecis littera V carentibus Bulgari dicti* sunt, non solum generico nomine, a patria Sarmatae vocati sunt, sed etiam speciali titulo, a reliquis Sarmatis, alia dialecto Slauica vtentibus, se distinxerunt, et Sorabos, contracte Serbos, Sirbos, Sorbos vel Servos se esse confessi sunt, ab instrumento sorb vel sirp Bohemice srp, id est, falce, qua non solum in agricultura et messe, sed etiam in bello vsi sunt. Vid. *Iustinus* lib. II. cap. 6. Hos Serbos a Cossaeis in montibus Syromedicis habitantibus non distinguo, quia eorum nomen in eadem lingua idem significat (cossa, falx maior), et eorum montium tractus cum Caucaso, licet dissito, cohaeret, ita vt pro emigratis Cossaeis, ad hunc vsque diem bellicosissimis et liberis, Serbi et Bulgari haberi possint. Cossaei autem a Gordiaeis vicinis, secundum meam sententiam, non differunt, qui nostro tempore Curdi vocantur, et a quibus Paeones seu Pannones (pan dominus) et Scordisci in montibus Dalmatiae habitantes, olim emigrarunt; (cord gladius, κορδισκος gladiolus seu culter maior, olim instrumentum messoris et militis), quod simul testantur vrbium antiquorum nomina Sirmium seu Sirbium, Seruitium, et Sirpi ad Sauum fluuium, et Mysi tam Europae quam Asiae populi cet. Vid. *Dio Cassius* lib. 49. p. 413. Μυσιαν την ἐν τη Ευρωπη. Tusci Italiae populi ora maris inferi possidentes, a Lydis vel trans Hellespontum vel per multos anfractus in Ausoniam venisse videntur. (Vid. *Iustini* lib. 20. cap. 1.) Nam inter Caucasum et Ceraunios montes Sirbi etiam Tusci ab historicis Graecis, vti opinor, nomi-

nominantur, vbi tempore exitus sui Bulgari pascebant. Graeci autem in Italiam venientes, et Lydios quoad linguam et mores et nomen noscentes, Tuscos pro fratribus vel colonis Lydorum statim agnouerunt, et Tiberim fluuium ideo Lydium nominarunt. (Vid. *Virgil.* Aen. II. v. 781.) Nec obstat, Grammaticos in Tuscia Phoenices, cet. inuenire velle. Nam omnis lingua Slauica ab Ebraea ortum suum trahit, testibus Originibus *Frentzelii.* Pari ratione Chalybes ex Ponto in Hispaniam (pan, dominus) emigrarunt, et ante Romanorum aduentum ibi iam fuerunt, idem opificium quod in Ponto exercentes. Vid. *Iustini* lib. 44. c. 4. In Tuscia autem, Graecis Τυῤῥηνία, i. e. Syriaca regio dicta, cuius incolae de Tyrrheno rege, id est Assyriaco, traditiones vagas habebant, et a Taurinis Italiae, vti reor, non differebant, vrbs antiquissima modo Cosa modo Cossa dicta, nos admonet, confusionem huius pronunciationis a peregrinis Slauicam linguam ignorantibus, non a Cosacis ipsis ortam esse. Serborum autem nomen de arationibus Scythicis Europae nos admonet, quorum historici mentionem fecerunt. A Cossaeis nomen Cosacorum ortum esse, forsan credi posset. Nam Cossaeus in Slauica lingua Cossare omnino nominandus est, et hanc significationem Cosacorum nobilis quidam Polonus in *Frentzelii* Originibus linguae Sorabicae asseruit, licet pronunciatio nominis Cosacorum sine reduplicatione consonantis s, vbique in vsu sit, et a cosel, capro, vel cosa, capra, deriuandum esse videatur. Cum autem falx, cossa, formam incuruati cornu caprae habet, et hanc ob rem nomen suum forsan accepit, distinctionis causa tantum falx cossa, non cosa dicta est, ne significatio cum nomine confundatur, et Cosaci lenius pronunciationis genus prae Serbis et Cossaeis amantes, Cosacos

non Cossacos se appellarunt. Si vero aliquis sibi persuadet, Cosacorum nomen non a Cossa falce, sed immediate a Cosa capra deriuatum esse, non refragabor. Caprorum enim et ouium greges haec Scythica gens imprimis amauit, non solum ob carnem, sed etiam ob lanam et pellem, praesertim cum panni nondum in vsu essent. Praeterea hanc opinionem Propheta *Esaias* cap. 14. v. 9. extra dubium ponit, vbi sub omnibus hircis terrarum orbis, omnes Cosaci subintelligendi sunt, qui etiam simul cum reliquis Scythis, a Propheta *Ieremia* cap. 49. v. 20. pueri pastores nominantur. Cosacos vero Sarmaticos, qui in parte Poloniae et in Russia meridionali degunt, in Media quondam vixisse, non solum Sarmatarum nomen probare videtur, sed etiam in Media ipsa huius rei reliquias ad hunc vsque diem inuenimus. Nostris temporibus legimus de vrbe Cosac in montibus Medicis sita; deinde adest adhuc vrbs Casbin, vbi olim populi Caspii, portae Caspiae, mons Caspius, et mare Caspium nominabantur. Haec nomina omnia a Cas vel Cos et בֵּן filius, secundum Syriacum loquendi modum, mihi deriuanda sunt. Vrbs Nissaea sub portis Caspiis sita inferiorem seu decliuem significat. Adde castellum Sarpan, Moschos populos (Mesech vid. Psalmus 120. v. 5.) et Moschicos montes; et Genetos vel Henetos populos Ponti, id est, expulsos vel exules, a Mosynis non differentes; (vid. *Iustini* lib. 2. cap. 4. initium,) fluuium Gosan hodie Kur dictum, et terram Gosan. (*Esaiae* cap. 37. v. 12.) Haec omnia populum Cosacorum olim in Media habitasse, et quoad dialectum a Serbis et Moschis ibi iam distinctum fuisse, me abunde persuadent. Non solum autem in boreales terras, sed etiam versus occidentem in Thraciam, ab hircis seu Cosacis (τραγος) ita nominatam, Cosaci emigrarunt. Ab his mare Aegeum (αἴξ capra) et multae

 prae-

praeterea vrbes Graecorum, e. g. Caſpius Aegiſſus ad Iſtrum, (vid. *Ouid.* l. I. epiſt. 8. ex Ponto) Imo flumina Thraciae Aegos et Coſſinites; Samothrace inſula; Samos id eſt, terra ſola, ſeu inſula, (poſtea Graecis Zazynthus dicta) cet. nomina accepiſſe videntur. Ita Beſſi Thraciae populi, canes, (pes canis) nominati ſunt ii, qui prae reliquis ferociores fuiſſe dicuntur, et fluuius Meſtus vel Neſtus limitaneus (medzalimes) paria iura etymologica habet, Thraces vero in Scythia parua vel Bulgaria inferiori habitantes, qui adhuc ab aliquibus Tſchitaki, rectius Skitaki, ita nempe Scythae a iaculando ſagittis vocari a Graecis ſolebant, appellantur, a *Theophane* p. 236. (edit. Venet.) expreſſe Slaui nominantur; vti etiam a *Iuſtino* lib. 42. cap. 1. 2. Scythae Schytae vocantur. Thraces autem ſecundum Macedonum dialectum, et non Tragi, ita vocati ſunt, non ſecus ac nomen Emathiae ex voce Mediae vel Madiae et praepoſitione ex (εκ) conflatam eſſe videtur. Hi ipſi aborigines Graeciae cum Paeonibus fuerunt, et nomini Tragoediae (οδη cantus) Graecorum forſan anſam dederunt, in qua ſcilicet priſci Poetae Graecorum, Thracum more, epulabantur, cantabant, rixabantur, et ſe inuicem trucidare fingebant. Ita etiam a Paeonibus Graeci aduenae, hoſtibus victis paean cantare didicerunt. Phrygiorum nomen etiam Coſacos ſignificare reor. Nam ſecundum hodiernorum Graecorum pronunciationem Θ ſicut TF. profertur, quare etiam Ruſſi et Coſaci hodierni, loco Theodor, Fedor dicunt, ſic etiam loco Θρηκες vel Θρακες, Φρυγες appellati ſunt, qui omnes Coſaci Serbis mixti fuiſſe videntur. Non ſolum autem verſus ſeptentrionem et occidentem, ſed etiam verſus orientem Coſaci ex Media in Scythiam magnam emigrarunt, ſub Maſſagetarum, id eſt, non niſi carne veſcentium

scentium nomine, ibi per historicos celebres, quos vero Russorum et Cosacorum mercatores nostro saeculo eo venientes statim agnouerunt, et sub nomine Casatschia horda descripserunt. Ab his Parapamisus mons nomen suum accepit, a pomesi limes et para vapor, nebula, vel nubes, sicut et Bucariae nomen versio Germanorum ibi habitantium esse potest, (a Buk vel Bok hircus) iam colligere possumus, quasnam gentes Esaias propheta, loco citato, sub hircorum omnium nomine intelligat. Nihilo secius nonnullos homines, praesertim in ducatu Saxoniae superioris et vicinis regionibus habitantes, a falce (cossa) cognominatos esse mihi persuadeo, qui Cosaci esse videri possent. Ibi enim adhuc in pagis rustici, quibus magna agrorum copia non est, Cossaeten nominantur, qui forsan olim tempore messis, falcis ope, victum quaerebant, et seruitutis officium implebant. Ante aliquot saecula, scilicet, Slauica lingua ibi in vsu fuit, et hoc nomen, cuius etymologiam incolae ipsi, vti opinor, non intelligunt, ad reliquias eius pertinet. Cosaci vero Europae orientalis non serui, sed liberi et nunc agricolae nobiles sunt, imo serui vicinarum regionum saepe libertatis caussa ad eos fugiunt. Zaporoski Kosak a cataractis seu liminibus Borysthenis nomen hoc et a munere sortiti sunt, quia in limitibus (kray limes) contra Tartaros excubias agunt, eorum prouincia nominatur Vkraina vel limitanea (kray limes). In ripa quidem orientali fluminis Volgae regnum celebre Bulgarorum fuisse dicitur, sed vrbs eius non nisi magnus numerus tuguriorum esse potuit, et cui Slauica lingua paululum tantum innotuit, statim videt, quod Bulgar vix nomen vrbis sit, sed accolarum Volgae, et quod omnes ad Volgam pascentes vel habitantes, in lingua Slauica Volgari, Graece Bulgari, et in singulari

numero Volgar nominandi sint. Ita illius vrbis nomen, si quod habuit, forsan latet, et illa a peregrinis historicis nominibus propriis assuetis, tantum ita nominata est, quae tanquam refugium vel centrum omnium in illis regionibus incultis pascentium consideranda fuit. Eius incolas vero partim periisse, partim inter vicinos Russos dispersos esse verosimile est, vti in aliorum regnorum euersione fieri assolet. Serborum autem ad Caucasum et Volgae ostia habitantium et pascentium iam ante emigrationem historia antiquissima mentionem facit. Vid. *Cellarii* Orbis antiqu. Part. II. p. 883. vt ita de horum Slauorum diuisione tempore exitus, et de historicorum eam referentium fide dubitari vix possit. Praeterea notandum est, plurima nomina populorum eius regionis, tantum pro synonymis Serborum habenda esse. Nam post eorum emigrationem, Tatari has regiones vacuas, nemine resistente, occuparunt, a Cosacis et Russis sequenti tempore iterum fugati. Accedit, quod ea regio non tanta sit, vt plures populi ibi habitare potuissent. Nam Theophanes non solum Crobatum Serborum vltimum et communem, sed etiam aliquot vrbes nominat, in quibus eius subditi habitarunt, scilicet vrbes Scythiae subintelligendae sunt, nullius pretii et facillime sine tristi recordatione derelinquendae et obliuiscendae. Nomen Crobati quod attinet, a Graecis historicis consignatum, forsan a mercatoribus vel captiuis, quibus aliqua notitia esse potuit, vel talis vsus loquendi fuit, illis traditum esse, mihi persuadeo. Nam Crobatorum nomen pluribus Sarmatis commune est, vel Sarmatam in genere significat, et quinque eius filii, non nisi tot principes tribus suas regentes, vnius originis mihi sunt, tanquam pastores vel Scythae liberi considerati, sicut etiam Iudaei se filios Israelis patris nominarunt, et in bellis

prin-

principibus suis obedientiam vel maximam praestarunt. Licet autem pars eorundem Serborum, scilicet quarti et quinti filii Crobati, qui ante Bulgarorum in Moesiam adventum, in hodierna Croatia, Bosnia, Dalmatia, et in circuli Austriaci parte adiacente, consederunt, et a *Nicephoro* lib. 3. Chorobatae vocantur, alicui opinionem iniicere posset, ac si hoc nomen in Corbauia adhuc superstes, a principe eorum communi reliquum et conservatum sit, tamen obstat, quod Sarmatarum in Bohemia adhuc habitantium Historicus *Hagek* in Chronico suo referat, Bohemos ex patria Charuatia, scilicet Hungaria superiori olim emigrasse. Adde montes Poloniam ab Hungaria separantes, iam Romanorum tempore, Carpaticos nominatos esse, ita vt mihi Carpaticorum nomen ex Sarmatarum nomine corruptum esse videretur, nisi in Slauica lingua, Carni, vel Czerni, idem quod in orientali lingua cara (niger) significet, et multi Slauici populi, id est Russi septentrionales, etiam nigri vocarentur; apud Tataros quidem niger idem significare dicitur, ac subiugatus, et hos Seruos tempore emigrationis quodammodo subiugatos fuisse, ex bellis et diuisione eorum relata, suspicari potest, sed hi nomen suum etiam a vestitu nigro et pellibus nigris accipere potuerunt, qui color reliquiis Serborum in Lusatia superiori et Misnia adhuc in vsu est, quos scilicet ad Serbos primi et secundi filii Crobati pertinuisse mihi persuadeo, et qui post Bulgarorum abitum, in sedibus suis priscis remanserunt, postea vero in Misnia et Lusatia superiori pedem fixerunt. Nec etiam contradicam, si quis Crobatos a siluis nigris vel tenebrosis, in quibus habitarunt, nomen suum accepisse contenderet. Bulgaros vero ipsos quod attinet, et qui soli Serborum inter Caucasum et Volgam olim habitantium, nomen

Bulgarorum gerunt, et populum magnum, a vicinis suis separatum, quondam constituerunt, hi non solum omnem Moesiam, sed etiam Illyrici magnam partem, et Macedoniae ipsius aliquas regiones occuparunt, et satis diu possederunt. Eos vero Seruos fuisse eorum lingua, et nomen Seruiae regni, Moesiam superiorem complectentis nos condocet; quod regnum centrum potentiae Bulgaricae quondam fuit, et cuius incolae adhuc a Turcis Serpulati vocantur, id est Serui Bulgarici, vti reor; lingua vero huius regni deuastati, nostris temporibus, ex lingua incolarum Bosniae et Croatiae diiudicanda est, quae cum Soraborum Lusatiae et Misniae lingua et dialecto perfecte conuenit. Qui Croatos et Serbos Lusatiae superioris inuicem loqui audiuit, eosque hac de re examinauit, et ipse Sarmaticae linguae imperitus non est, praeterea nomina tantum propria vrbium Bulgariae superioris, et Seruiae cet. eorumque terminationes examinauit, dissentire vix poterit. E contrario, Cosacorum dialectus tam Poloniae quam Russiae magnae, a Sarmatarum Hungariae superioris, Morauiae et Bohemiae, dicendi genere parum differt, quod ipse testari possum, qui mihi cum his omnibus colloquendi occasio data erat. Horum dialectus vero a Seruorum vel Soraborum dialecto ita differt, vt hi illos, et vice versa loquentes vel difficillime intelligant. Ex his satis patet, quod iam ante emigrationem, Serborum lingua, a Cosacorum loquendi modo ita distulerit. Sorbi autem Lusatiae superioris loquentes, a Venedis Lusatiae inferioris non intelliguntur, vti ab ipsis audiui, licet vtraque dialectus ad Slauicam linguam pertineat; Scythae vero Budini, qui versus Borysthenis superioris partes olim pascebant, iidem Sirbi mihi sunt, quorum mentio iam facta est, et quibus Budi, id est, habita-

bita-

bitationes vel tuguria, ad Volgae oſtia et Caucaſi radices, tum temporis, iam fuiſſe, mihi perſuadeo, et qui aeſtiuo tempore, Scytharum more, cum myriadibus pecorum ſuorum in borealioribus regionibus paſcua quaeſiſſe, et verſus hiemem iterum domum rediiſſe, mihi videntur, quo pecoribus ſuis, per integrum annum, pabuli copia eſſet. Quare montes Budinos pro tractibus Caucaſi verſus ſeptentrionem tendentibus habeo. Vrbes vero horum Budinorum et domos magni pretii non fuiſſe, facile credo, et ideo forſan etiam Catragi, Bohemice Chatrni, id eſt, viles, ab interprete vel mercatore dictae ſunt, quod nomen hiſtoricus Graecus, de ſingulari populo per errorem, ſecundum meam ſententiam, intellexit. Ita vt vbi iam Sorborum, poſtea Budiſſinenſium dictorum, et in Luſatia nunc habitantium, quondam nomen celebre fuerit, et noſtratium vero hiſtoriam de Budiſſae aedificatione, tantum de munimentis et priuilegiis, id eſt ſeruitutis, fundamentis quibusdam intelligo. Hoc inde etiam patet, quod ad Volgam poſt Seruorum abitum nullibi neque Serbos, neque Budinos vel vrbem Budin celebrem inueniamus, et Ruſſi ad fontes Boryſthenis poſtea habitantes, vrbes ſuas poſteris temporibus demum exſtruxerint. Budini autem expreſſe ab Hamaxobiis et a Roſſis, id eſt, diſſeminatis vel diſperſis, oppidorum et tuguriorum cauſſa ibi diſtinguebantur, et Slauicae originis erant. Vidin vero vel Bidin Bulgarorum forſan quoque a Budinorum parte exſtructa eſt. Venedi vero Luſatiae inferioris nolunt Sorbi appellari. Dialectus vero eorum cum Ruſſiae magnae dialecto conuenit, et Venedi hi cum Ruſſis ſeptentrionalibus tam perfecte loqui poſſunt, quam Sorabi cum Crobatis. Talis colloquii exemplum ſingulare mihi notum eſt. Nam Petrus Magnus, Ruſſorum Imperator, piae memoriae, in itinere

nere suo per Saxoniam, cum Venedo Lusatico commode locutus est, qui sequenti tempore mihi illud ipse narrauit. Dialectus Polonorum vero inter Russiae magnae et Bohemiae dialectum intercedit, et ab vtraque paullo discrepat.

Quando igitur Sarmatarum vel Slauorum abitum ex Media potissimum, ex Colchide, ex Ponto atque ex Armenia consideramus, eosque ibi iam distinctos populos, nominibus principalioribus, nostris adhuc temporibus vsitatis, insignitos fuisse legimus, et quaestio oritur? Tunc a traditionibus et historicis profanis derelicto mihi respondendum est: Num Cosaci a Bulgaris, id est, Serbis, descendant, et vnde oriantur? Si Cosacorum et Bulgarorum origines quaerens in montem Ararat, id est, in Armeniae montes, eorumque summa iuga, mente tua, ascendere non vis, atque Mosis historiam non desideras, tamen mecum in planities Mediae descendere, et *Ieremiae* prophetae cap. V. v. 15. 16. 17. euoluere potes, vbi aborigines omnium primos inuenies, aborigines scilicet Ebraeam linguam non loquentes, Scythas indomitos et Cosacos pascentes, nonnisi gigantes, agricolarum messes atque panem, boues et oues, vineta et hortos deuorantes, anthropophagos; et tum temporis iam Serbos, id est Bulgarorum patres, messores vocatos, a Scythis pascentibus se distinxisse, dubitare non poteris, nec pastores ab agricolis nec viceuersa descendisse contendes, sed pro fratribus sibi inuicem opitulantibus, postea sociis factis vnius eiusdemque linguae, et post aliquod tempus separatis, et qua dialectum immutatis eos habebis.

COM.

COMMENTATIO
DE
PRISCIS
SLAVORVM POPVLIS
CONFECTA
A
SLO - - - GK
CVM AMPLISSIMIS NOTIS
P. V.

MDCCLXXIII.

Et longo nobiles vellere Sarmatae.
SENEC.

nere suo per Saxoniam, cum Venedo Lusatico commode locutus est; qui sequenti tempore mihi illud ipse narravit. Dialectus Polonorum, [illegible] inter Russicae [illegible] et Bohemicae dialectum [illegible] discrepat.

§. Quando igitur Sarmatarum vel Slauorum abitum ex Media potissimum, [illegible], ex Ponto atque ex Armenia consideramus, [illegible] iam distinctos populos, [illegible] [illegible] adhuc [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tionis derelicto mihi respondendum est: Num Cosaci a Bulgaris, id est, Serbis [illegible], et unde oriantur? Si Cosacorum et Bulgarorum origines quaerens in montem Ararat, id est, in Armeniae montes, eorumque summa iuga, [illegible], [illegible] [illegible] atque Mosis historiam non deseras, tamen mecum in planities Mediae descendere, et *Jeremiae* prophetae cap. V. v. 15. 16. 17. euoluere potes, vix aborigines omnium primos inuenies, aborigines scilicet Ebraeam linguam non loquentes, Scythas indomitos et Cosacos pascentes, nonnisi gigantes, agricolarum messes atque panem, boues et oues, [illegible] et hortos deuorantes, anthropophagos: et [illegible] temporis iam Serbos, id est Bulgarorum patres, meliores vocatos, a Scythis pascentibus se distinxisse, dubitare non poteris, nec pastores ab agricolis nec vicevers[illegible] descendere [illegible] [illegible] [illegible] sibi inuicem [illegible] [illegible], donec focis factis vnius eiusdemque linguae, et post aliquod tempus separatis, et qua dialectum immutatis eos habebis.

CELSISSIMO
IABLONOVIO MECAENATI
S. D. D. D.

§. I.

Nulla de omnibus linguis nec antiquior, nec dignior fuit Slauonica, vna ex principalibus quinque: Hebraica, Germanica, Graeca, Slauonica, Latina. Digni ſunt igitur Sclaui, vt ſtudioſe in eorum originem inquiratur. *Iornandes* lib. XXIII. de Bello Gothico de eis ſcripſit: (1) *Nam hi vt initio expoſitionis vel catalogo gentis*

(1) *Nec antiquior - - Iornandes*) Magni momenti ad illuſtrandam hiſtoriam Slauicam ſcriptor eſt *Iornandes.* Nam praeter alia obſeruatu digna, quae de Slauis tradit, ipſe etiam, nec non *Procopius* Caeſarienſis, primi nominis Slauorum mentionem faciunt. Vixit vterque ſaeculo aerae Chriſtianae VI. adeoque temporibus paulo recentioribus. Neque tamen hoc infringit fidem auctoris noſtri, venerandam linguae Slauonicae ipſorumque adeo Slauorum antiquitatem merito depraedicantis. Nam ſcriptores iſti de Slauis non tanquam de populo nuper demum exorto, verum vti de gente iam florentiſſima loquuntur, et ſunt quaeſtiones plane diuerſae, quo tempore orta ſit inclarueritque gens aliqua, quoque prima eius mentio apud ſcriptores exteros occurrat? Videntur gentes Scythicae Sarmaticaeque Graecos Romanosque non ſolum antiquitate, verum etiam rerum geſtarum gloria aequaſſe, et forte etiam ſuperaſſe. Sed maluerunt res magnas facere, quam factas ſcribere, conten-

tis dicere coepimus, ab vna stirpe exorti, tria nunc nomina reddidere: id est, Veneti, Antes, Sclaui. (2)

§. II.

tenti fortia maiorum suorum vel aequalium facinora carminum commendatione, vel traditionis, cuius apud omnes gentes Barbaras maxima auctoritas fuit, ope, ad posteros transmisisse, dum natu maiores singula minoribus narrando exponerent, atque ita hos ad imitandas virtutes patrias incitarent (cuiusmodi quid de Slauis diserte commemorat *Helmoldus* in Chron. Slav. lib. I. cap. 16. apud *Leibnitium* scriptorum rerum Brunsuic. Tom. II. *Narrant seniores Slauorum, qui omnes barbarorum Slauorum scilicet, gestas res memoria tenent cett.*) Verum hoc quanquam pro illorum temporum hominumque simplicitate praeclarum fuit, ingenti tamen posteritatis malo accidit. Namque ita factum est, vt rerum ab istis populis gestarum memoria breui tempore intercideret et paucissima nobis de virtutibus maiorum nostrorum innotescerent.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Vrgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

HORAT. *Carm.* lib. IV. 9.

Supersunt tamen vestigia antiquitatis et magnitudinis istarum gentium non obscura. Quamuis enim Graecis Romanisque serius et tanquam hostes innotuerint, hique saepe, quam victoriam armis cedere coacti fuerant, eam stilo eripers eis nitantur, est tamen tantus veritatis splendor, vt eam plane deprimere non liceat. Et profecto si scriptores de magnitudine istorum populorum tacerent, tot nationes bello ab ipsis subactae, tot potentissima regna condita, satis loquerentur. Nec praetermittendum, complura ex traditione antiquissima, qua, vti diximus, inter ipsos illos populos, antiquos rerum gestarum memoria propagabatur, accepta, et ad nostram vsque aetatem conseruata fuisse, quae adeo et ipsa fide dignissima sunt, quanquam haec eis nunc a sciolis quibusdam detrahi soleat, errore satis antiquo. Nam et *Helmoldus* Saec. XII. scriptor, iam conquestus est, multa per diuersas Slauorum ac Nordalbingorum prouincias olim facta memorari, quae scripturae penuria suo tempore pro fabulis habeantur. (apud *Leibnitium* l. c.)

(2) *Sclaui*) Scribitur apud auctorem nostrum nec non alios scriptores tam veteres quam recentiores modo *Slaui* modo *Sclaui*. Sed vtriusque scripturae ratio sibi constat. Namque illa Latium, haec Graeciam sapit. Vid. V. Rev. *Pubitschka Chronolog. Geschichte Böhmens* P. I. p. 49. et *Schloezers allgemeine Nord. Geschichte* p. 221. origini tamen vocis magis conuenit scriptura *Slaui*.

§. II.

Veneti et Sarmatae, (quos posteriores ad Caucasum et Tanaim habitantes scimus, vt *Herodotus* vult, quosue *Medorum sobolem* (3) nominat *Plinius*,) vna semper fuerunt, et accolae riparum, tali modo, vt *Ptolemaeus* de illis perhibeat: *Incolunt Sarmatiam maximae gentes Venedae apud omnem Venedicum Sinum.* *) Idem etiam *Tacitus* Germ. 46. vbi tamen vult Henetos cum Germanis confundere: *Peucinorum Venedorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito. Procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Venedi multum ex moribus traxerunt.* (4) *Nam quidquid* Aaa 3 *inter*

(3) *Medorum sobolem*) Hanc deriuationem confirmat etiam morum vtriusque gentis, quae patet ex ipso *Herodoto*, conuenientia, nec non *Pomponii Melae* auctoritas, Sarmatas esse testantis gentem habitu armisque Parthis proximam. Quo loco temperare mihi non possum, quin adscribam obseruationem viri eruditissimi *Is. Vossii*: *Non olim tantum*, inquit, *verum etiam hoc tempore verum est id, quod Mela affirmat, Sarmatas persissare. Si equitis Poloni aut Lithuani mitellam Persica permutaueris tiara, parum aberit, quin Persam existimabis. Eo tantum inter se differunt, quod Poloni vt caeli ita quoque ingenii asperioris, Persae vero molles, effeminati, ac tota vitae ratione magis sint elegantes.*

(4) *Venedi-traxerunt*) Ex hac Sarmatarum et Venedorum similitudine, qua nempe hi multum ex illorum moribus traxerint, concludit *Tacitus*, probabile videri alicui posse, Sarmatis accensendos esse Venedos. Verum id ipse refellit addens: *Hi tamen* (nempe *Venedi*) *inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt cett.* Errare autem *Tacitum*, dum Venedos Germanos facit, vel ex lingua vtriusque gentis plane diuersa et tot aliorum scriptorum testimoniis, quae Venedos Sarmaticae non Germanicae originis fuisse indubiis argumentis ostendunt, patet. Neque tamen huiusmodi error in tanto locorum interuallo in *Tacito* mirandus est. Vix enim Venedi Sarmatici tum, cum scriberet, innotuerant. Nam apud *Strabonem* nulla adhuc Venedorum mentio occurrit, ipseque Lib. VII. Geogr. p. 452. sibi de Sarmatis Europaeis omnia obscura et incognita fuisse et re, et verbis testatur *Plinius* Histor. nat. Lib. IV. c. 13. vbi dicit, quasdam terras habitari ad Vistulam

inter Peucinos Fennosque ſiluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. (5)

*) Quod Sinus Venedicus apud *Ptolemaeum* non ſit totum Balthicum mare, ſed ora inter Naruam et Viſtulam maritima, veroſimile reddit *Cluuerus* Germ. Antiquit. Lib. III. cap. 37.

§. III.

p. 72. *Albinus* in Chronico Misnenſi (1589. ed.) allegat *Plinium* teſtantem: Venedos a Graecis Henetos fuiſſe appellatos; Henetorum autem denominatio ſit, quaſi *Honati*: vagabundi, vti etiam in Luſatia vocabulum *Honiez* vel *Gonich* vel *Goniec* alia dialecto *venari, ſeu decurrere, vel conſectando inimicum vel feras* ſignificat. *Tacitus* a Sarmatis, quos equeſtris ſplendor illuſtrabat, (Germ. 46.) Vene-

ſtulam vsque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scyris, primus inter veteres ſcriptores Venedorum mentionem fecit. Atqui *Strabo* opus ſuum Geographicum Tiberio, *Plinius* hiſtoriam naturalem Veſpaſiano, *Tacitus* denique coaeuus *Plinii*, non multo poſt Nerua imperante, libellum de Germanis conſcripſit. Itaque Venedorum adhuc recens et tenuis ipſorumque Sarmatarum Europaeorum non valde accurata notitia erat tempore *Taciti*, qui ſi cognitum habuiſſet, qualis quantusque Sarmatarum populus eſſet, quot in nationes diviſus, profecto ex eo, quod vna ex hiſce nationibus, Germanis vicina, ex Germanorum moribus, vt fieri conſueuit, aliquid traxerat, hanc non ipſis ſtatim Germanis attribuiſſet. Nam etiam Veneti, maris Adriatici accolae, moribus quidem, teſte *Polybio* Lib. II. p. 147. edit. Gronov. cum Gallis vicinis conſenſere, at nec origine nec lingua Galli fuere. Caeterum quod in *Taciti* l. c. legitur Venedos domos *figere*, id commodum ſenſum non parere recte obſeruauit in ſua Taciti editione vir ſummus *Ioh. Auguſt. Erneſti*. Legendum eſt: domos *fingunt*, quam lectionem omnes editiones veteres et bonae ante *Lipſium* habent. Fingebant nempe domos Venedi e luto, vt ruſtici noſtri, cum Sarmatae reliqui ſuas in plauſtris figerent veherentque.

(5) *Latrociniis pererrant*) Sarmatas etiam *Ammianus Marcellinus* L. XVI. cap. X. vocat latrocinandi peritiſſimum genus, quin L. XVII. cap. XII. ſatis inuidioſe eosdem dicit, *ad latrocinia magis quam aperto habiles Marti*.

Venedos distinguit: et domos figunt, et scuta gestant, et *pedum vsu et pernicitate gaudent*, quae omnia diuersa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viuentibus: *Ammianus Marcellinus:* per spatia discurrunt amplissima, sequentes alios, vel ipsa terga vertentes, insidendo *velocibus equis.* (6)

§. IV.

Quod Venedi et Heneti vnum sit nomen, patet ex regula grammaticorum, quae nemini est dubia: *litterae vnius organi facile inter se alternant* et permutantur. Sunt vero D et T vtraeque *linguales*, ergo sunt literae vnius organi; cum e contrario immutabiles sint liquidae λ, μ, ν, ρ et n siue ν restet, si sit positum: Heneti (vid. §. III. graece) vel quia pro ε *Ionice* est α) secundum principia graeca, pro Henetis Anetae, contracte Antae.

Ita *Procopius* Consiliarius Iustiniani Imperatoris, de Bello Goth. Lib. III. c. 14. *Nomen etiam quondam Sclauenis Antisque (en Synonyma) vnum erat: vtrosque enim appellauit Sporos antiquitas,* (7) *ob id opinor, quia* σποράδην, *h. e. sparsim et rare positis tabernaculis regionem obtinent, quo fit, vt magnum occupent spatium. Et vero vlterioris ripae Istri partem maximam habent.*

Pro

(6) *Velocibus equis*) Quod de virorum inter Sarmatas venationis nec non rei bellicae studio *Ammianus* tradit, id ipsum etiam de feminis Sarmaticis *Mela* testatur L. III. c. 4. his verbis: *Arcus tendere, equitari, venari, puellaria pensa sunt: ferre hostem adultarum stipendium est: adeo vt non percussisse pro flagitio habeatur sitque eis poena virginitas.*

(7) *Antiquitas appellauit Sporos*) Spori nomen idem habuisse videntur cum Nomadibus: certe verborum Spori et Nomades eadem significatio. Nomadum non infrequens mentio apud *Herodotum*, *Melam*, et alios scriptores veteres occurrit, sed, de quo iam *Strabo* Lib. IX. pag. 508. conquestus est, apud *Herodotum* paulo obscurior.

Pro Henetis scripsit Venedos *Sabinus* in libro de Brandenburgo Marchiae metropoli: *Sed nihil perinde ornat vtramque ciuitatem, vt illud templum Beatae Virginis, quod Imperator Henricus Auceps exstruxerat. Eo in fano stabat triceps idolum Triglav* (8) *dictum, quod olim Venedi summa veneratione coluerunt.* Id Dianae fuit simulacrum, quod probat testimonio *Eustachii.*

§. V.

Nec eo inficias, esse quosdam, qui Venetos ab Henetis differre, alios, qui consanguineos inter se esse scribant, sed vtrique iusto destituti sunt fundamento. Allegatur ab iis *Strabo* p. 212. *De Venetis duplex fertur sententia; quidam enim eos quoque Gallos faciunt, Gallorum Venetorum, qui ad Oceanum habitant, gentiles.* Alii e bello Troiano cum Antenore eo locorum euasisse tradunt Venetorum Paphlagonum quosdam. Ita *Iustinus* lib. XX. cap. 1. *Venetos, quos incolas superi mari videmus, capta et expugnata Troia, Antenore duce, misit. Curtius* lib. III. — *Vbi numero copiarum inito, Paphlagoniam intrat. Huic iuncti erant Heneti, vnde quidam Venetos trahere originem credunt: omnisque haec regio paruit Regi...* Sed quamuis haec constans fama de duce eorum Antenore (perinde

(8) *Idolum Triglav*) De dea *Triglaua*, seu vti a plerisque vocatur, Trigla, primario Slauorum numine, multis agunt *Iohan. Petr. Ludouicus* in Dissertatione tertia de idolis Slauorum recusa in *Hoffmanni Scriptoribus Rer. Lusaticarum* Tom. I. p. 79. seqq. et *Abrahami Frencelii* comment. de diis Soraborum c. 24. apud eundem *Hoffman.* p. 203. seqq. Nomen deae deriuant a verbis Slauicis *trzi* vel *tri* i. e. tres, et *hlowa* seu *glowa* i. e. caput, ita vt e Triglowa contractum sit Trigla, h. e. triceps. Nam tricipitem deam imagines ostendunt, vnde recentiores scriptores eam Dianae Graecorum et Romanorum comparant.

(perinde ac de Czecho, Lecho, Russo, tribus fratribus) sit rumor incertus: conciliatur tamen vtraque sententia ab *Albino*, cuius hoc loco §. III. mentio fit, qui ex *Liuio* et *Strabone* nobis vult persuadere, quod alii ex vna stirpe Veneti migrarint in Italiam, alii et alio tempore in Galliam, ex quibus *ad Galliam* Lugdunensem tendentibus, venientibus ex Paphlagonia quidam remanserunt, *sessores insularum* et *vrbis Venetiarum*, a quibus differunt *Venetiae* (*Vennes*) in Gallia. Si itaque *Strabo* anno post Christum natum XX. vixit, et de Henetis cum Cimbris demigrantibus scripsit, hoc non valet de irruptione in Italiam Germaniamque, sed de iis, qui in Italia et Gallia pedem posuerunt. *Albinus* allegat, quod *Strabo* affirmauerit, Dionysium *optimos equos* adduxisse ab Henetis, ad mare Adriaticum *tanquam sede sua* se continentibus. (9) Idem *Albinus*

(9) Ad §. IV.) Discernendae sunt h. l. apud auctorem nostrum tres quaestiones: 1) An Veneti, qui inde ab antiquissimis temporibus in maris Adriatici vicinia atque in ipsis eiusdem maris insulis habitarunt, ab Henetis descendant? 2) An Slaui etiam ab Henetis originem ducant ipsique sint Heneti? 3) Quid sibi velint Veneti inter Gallos transalpinos siti? De quibus singulis quaestionibus pro instituti ratione breuiter, quantum per argumenti diuersitatem licebit, sententiam dicam. Ad primam quaestionem negando respondent viri eruditi complures, in his *Berneggerus ad Iustin.* L. 20. c. 1. nullo tamen alio argumento vsus, nisi quod multae gentes originem Troianam mentitae sint, quasi vero huiusmodi assertio faceret aliquid contra tot clarissima veterum testimonia. Nam primum, praeter ea, quae auctor iam notauit, *Scymnus*, Chius, antiquissimus scriptor, quippe qui circa annum nonagesimum ante Christum natum floruit, in sua orbis descriptione v. 368. seqq. haec habet: *Deinde est Adriaticum mare dictum . . . Sinum docent Adriaticum multitudinem quandam barbarorum circumhabitare ... regionem colentes optimam fructuosamque. Henetorum sunt quinquaginta vrbes sitae ad Sinum. Henetos transgressos esse aiunt ex Paphlagonum regione, et habitasse circa Adriam.* Deinde quid clarius loco *Liuii* Lib. 1. c. 1. *Constat casibus variis Antenorem, cum multitudine Henetum, qui seditione ex Paphlagonia* pul-

nus pag. 68. in Germanico Chronico Misnensi demonstrat:

pulsi, et sedem, et ducem, rege Pylaemene ad Troiam amisso, quaerebant, venisse in intimum maris Adriatici sinum, Euganeisque, qui inter mare et Alpes incolebant, pulsis, Henetos Troianosque eas tenuisse terras; et in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur, pagoque inde Troiano nomen est (notauit ad h. l. *Crevierius*, ex illa origine pagum quendam agri Veneti ad nostram vsque aetatem Troiani nomen retinere, id quod testimonium *Liuii* egregie confirmat) *gens vniuersa Veneti appellati.* Confirmat eandem sententiam vnus ex antiquissimis Romanorum scriptoribus *Cato* apud *Plinium* Lib. 3. cap. 2. et inter Poetas *Virgil.* Aen. lib. 1. v. 247. seqq. *Silius Italic.* Lib. 8. v. 604. seqq. aliique. Dignum etiam obseruatu est, testari *Seruium ad l. c. Virgilii*, Henetiam olim dictam fuisse, quae nunc Venetia appellatur. Qui tantus veterum consensus cum originem Venetorum Adriaticorum extra omnem dubitationis aleam ponat, mirum non est, prudentissimos inter recentiores scriptores in primordiis populi Veneti hodienum florentissimi tradendis antiquitatis Graecae Romanaeque incorruptam auctoritatem vnice secutos esse. Magis impedita est altera quaestio, an Veneti iidem cum Venedis siue Slauis sint? Id praeter scriptores quosdam Bohemicos, inter quos eminet BALBINVS in Miscellaneis historicis de Regno Bohemiae Lib. 2. c. 23. § 4. omnino negauit, sed nullis argumentis in medium prolatis, doctissimus caeteroqui vir MASCOVIVS in der Geschichte der Deutschen Tom. 2. Anmerkung 31. n. 2. Contra alii acriter pro hac sententia adfirmanda pugnauere, inque his *Mathias a Sudetis* de orig. Bohem. Palmarium posterioris huius scriptoris argumentum in eo positum est, quod Slauorum Henetorumque nomina eiusdem plane significationis sint. Nam Slauorum nomen a voce SLAWA deriuari, hoc est, gloria, Henetorum autem adeoque etiam Venedorum appellationem ἀπὸ τοῦ ἀινέτου deductam esse, id est, ab eo, quod est laudabile, vt adeo appareat, Graecos nomen gentis in suam tantum linguam transtulisse. Huic argumento alia addenda sunt, sine dubio certiora. Primum ex traditione perpetua et constante, quae accolas maris Adriatici Slauos facit, repetitur, alterum ex gentibus vicinis. Erant Veneti finitimi Carnorum, gentis haud dubie Slauicae: quod ostendit 1) nomen Slauicum Krain, quod extremitatem vel marginem significat. Est enim mera vox Slauica Krai ora, extremitas, margo, vnde Krainyi extremus. Carniae nomen, quo Romani hanc prouinciam afficiebant, sine dubio nihil aliud est, quam Slauicum Krain ad latinum morem detortum, quod verisimilitudinem parit, iam Romanorum veterum aetate Slauos in istis regioni-

strat: Riphaeos esse antiquissimam denominationem He-
Bbb 2 neto-

gionibus habitasse. 2) Nomen Marcae *Vinidorum*, quod certe iam inde a septimo saeculo, quo *Fredegarius* eo vsus est, ad nostra vsque tempora obtinuit, ad designandam partem quandam hodiernae Carniolae. 3) Perpetuus vsus linguae Slauonicae, qui hodienum in parte Carniolae obseruatur. E regione Venetorum, scilicet a parte orientali Sinus Adriatici, Illyrii et ipsi Slaui fuere. Hinc etiam Veneti, quos *Herodotus* diserte Illyricos vocat, tot aliis rationibus accedentibus; pro Slavis vtique habendi sunt, vt adeo totum terrarum tractum inde a Balthico vsque ad Adriaticum mare Slaui tenuerint. Conferatur locus *Constantini* de Administr. imperii cap. 30. de Slauis Dalmaticis eiusque explicationem apud *Gelasium Dobnerum* V. Rev. ad *Hagecium* Tom. 2. seqq. nec non *V. A. Schloezerum* in allgemeine Nordische Geschichte p. 231. in n. k. Accedunt vestigia clarissima et antiquissima linguae Slauicae seu Venedicae per regiones Adriatico mari adiacentes, vti per totum Illyricum; quae diligenter scrutatus est, praeter *Maurum Orbinum*, Abbatem Melitensem, cuius regnum Slauorum ipse auctor noster excitauit §. VIII. *Sebastianus Dolci* de Illyricae linguae vetustate et amplitudine, Venetiis 1754. Confirmat hoc argumentum auctoritas *Polybii*, qua probatur, Venetos lingua vsos esse ab ea, qua caeteri Italiae superioris incolae vtebantur, plane diuersa, quod linguae Venedae egregie conuenit. Addo, quod Venetorum et Venedorum nomina saepissime apud scriptores pro iisdem ponantur, vnde egregie *Crüger* in originib. Lusat. p. 159-165. vbi singula Slauorum nomina recenset, ponit n. 31. *Winithi*, *Heneti*, *Wiennuli*, *Vendi*: *Communissimum Slauorum nomen hodienum superstes.*

Denique ad tertiam quaestionem quod attinet, de Venetis in Gallia, et quidem in hodierna Britannia minore, (quo loco nunc est Vannes, olim Venetum seu Venetiae, caput gentis) degentibus, horum Venetorum aliquoties *Caesar* meminit. Classicus tamen de iis locus extat lib. 3. de B. G. c. 8. quem, quoniam omnem quaestionem egregie illustrat, totum exhibebo: *Ciuitatis Venetorum est longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum, quod et naues habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare consueuerunt, et scientia atque vsu nauticarum rerum ceteros antecedunt, et in magno impetu maris atque aperto, paucis portibus interiectis, quos tenent ipsi, omnes fere, qui eodem mari vti consueuerunt, habent vectigales.* Ad hos Venetos etiam pertinuisse insulas complures, quae et Veneticae appellantur, *Plinius* docet Hist. Nat. Lib. 4. c. 19. ad quem locum *Harduinus*, commentator Plinii, obseruat; insularum

Vene-

netorum et Sarmatarum, qui sunt tanquam ex communi fonte,

Veneticarum ferme ducentas esse, in his praestantissimam Calonesum, hodie Belle-Isle. Iam hos Venetos Gallicos eiusdem originis adeoque eandem gentem cum Adriaticis fuisse, certum est, nec ipse *Strabo* dubitauit. Id non satis liquet, ipsine ab Adriaticis Venetis profecti, tanquam coloni in Galliam appulerint, an Adriaticos in Italiam ex se colonos miserint, qua de re *Strabo* l. ab A. cit. dubitanter loquitur. Mihi quidem prior sententia, quam et auct. probauit, verior videtur, quanquam permultos ex recentioribus scriptoribus posteriorem probare non ignoro. Nam primum ex Asia profectis propior appulsus erat in Sinu Adriatico, quam in Gallia. Deinde omnis antiquitas consentit, Henetos ex Asia profugos fortunarum sedem in regionibus Adriam circumiacentibus collocasse. Quod, si ab initio statim in Galliam appulissent, de Gallia potius fama et rerum gestarum scriptores retulissent. Tertium, idque, nisi me omnia fallunt, magni ponderis argumentum, pono in testimonio *Polybii* Lib. 2. p. 147. edit. Gronou. quo asserit, Venetos Adriaticos lingua vti a lingua Gallorum in Italia habitantium plane diuersa. Exemplum suppeditat *Plinius* L. 26. cap. 8. in herba quadam (Franco-Galli vocant, grande consolide, oreille d'asne) quam Venetos Coneam, Gallos Halum vocare dicit. Nam Venetos in Gallia eadem plane cum reliquis Gallis lingua vsos fuisse et cum his in perpetuo omnium rerum commercio vixisse, pluribus locis Caesar prodit, eoque Venetos hosce reliquis Gallis semper accenset, nullo plane discrimine facto. Iam si Veneti Adriatici non statim e Paphlagonia, sed e Gallia demum ad Adriam se contulissent, quo tandem fato linguam auitam in Gallia derelictam in Italia recepissent? Praesertim cum in Italia non secus ac in ipsa Gallia vicinos haberent Gallos. Contra vero, si a Venetis Italicis Gallici deriuantur, omnia sibi optime conueniunt. Scilicet priscorum Henetorum seu Venetorum numerosa gens, quae in Adriatico sinu consedit, patriam linguam retinuit, qui vero posteris temporibus ex hac gente coloni multo minore numero in Galliam migrauere, hi, cum inter medios Gallos agerent, et commerciis cum his atque Britannis, quorum eadem fere lingua, Celtica scilicet, erat, ditari vellent, facili negotio permoti fuere, vt Gallorum mores atque linguam sequerentur, (retento forte aliquo linguae auitae in vita domestica vsu) quod ipsum aliis etiam coloniis accidisse sexcentis exemplis non ex antiquiore solum, sed ex recentiore etiam historia repetitis constat. Ita, vt hoc vtar, Gallorum, qui non multo ab hinc tempore religionis causa in Germaniam profugere, nepotes, mores quidem Gallicos in rebus leviori-

fonte, vt viri deducti, cuius probationem sequenti ordine exhibebo.

§. VI.

vioribus adhuc adfectant, caeterum vt Germani iam agunt, linguaque Germanica in communi vita ita vtuntur, vt eos ab ipsis Germanis nemo facile dignoscat, contra in patria lingua, cuius vsus apud nonnullos iam plane exolevit, ita germanissant, vt aduenientibus e Gallia Galli vix videantur. Denique Veneti Adriatici, vti moribus, ita animis a Gallis cisalpinis semper maximopere dissensere et flagrantibus inter Romanos et Gallos bellis cum illis semper stetere contra hos, vti multis exemplis, quae, ne acta agamus, repetere hoc loco non opus est, ostendit MAFFEVS Marchio in *Verona illustrata.* Quae cum ita sint, Veneti inter Gallos haud dubie iidem cum Henetis, Henetorumque Adriaticorum coloni fuerunt. Nec hi solum, qui Venetorum nomine omnibus noti sunt, Heneticae originis fuerunt, sed et, mea quidem sententia, alii in sinu Gallico, atque in Gallia Narbonensi. Quod vt probem, adferam coniecturam, quae, si probabilitate non destituitur, habebit forte quo se commendet historiae antiquioris studiosis. *Geographus Rauennas*, qui scripsit circa saeculum VII. (nam accuratius tempus, quo floruit, definire non licet) Lib. 5. cap. 25. ed. Porcheronianae Par. 1688. 8vo. *In patria*, (patriam vocat hic scriptor regionem quamcunque,) inquit, *Venetiae sunt aliquantae insulae, quae hominibus habitantur*, cett. *in Golfo autem Gallico diuersae ponuntur insulae, ex quibus aliquantas designare volumus, id est, Bolenia-- Crocia, Enauia cett.* Sinus seu Golfus Gallicus vocabatur antiquis, qui Galliam Narbonensem alluebat, inter Narbonem et Massyliam, hodie dictus Golfe de Lyon. Iam istas insulas in hoc sinu sitas puto satis clara nominis Venetorum in vniuersum, atque, vt dicam quod in mentem venit mihi, etiam Venedorum Polonorum vestigia continere. Mirabitur ne aliquis, me in his nominibus tam arcte secum coniunctis, et in tanta populi Veneti propinquitate, in Enauia quidem Enetos, in Bolenia autem Poloniam, quae, (vti iam ab aliis obseruatum v. a. a *Lengnichio* de Polonorum maioribus §. 4.) apud scriptores latinos antiquiores non raro vocatur Polenia, Bolenia, Polliana, denique in Crocia insula Croci Polonorum ducis, vnius ex Lechi successoribus, nomen deprehendere? De qua coniectura quo rectius statuatur, sequentes theses non explicandas quidem atque illustrandas, quod iam ab aliis factum est, sed tantum in memoriam lectorum reuocandas censeo. 1) quidem ductorum populi cuiusdam nomina olim saepissime non ipsi modo populo, sed et singulis eius vrbibus pagisque indita fuisse, idque, quanquam a multis scriptoribus ineptis ad abusum detor-

detortum fuerit, reuera ita se habere innumeris iisque plane indubiis, exemplis probari posse. 2) Polonos origine Venedos esse. 3) Polonorum nomen tum cum *Anonymus Rauennas* scriberet, hoc est, saeculo VII. vel VIII. iam innotuisse. Hoc enim nomen a Lecho deriuari, Lechum autem saeculo VI. non esse posteriorem, et his coniuncta alia bene multa, incredibili eruditionis copia, nec minore ingenii acumine demonstrauit maximum illud saeculi decus Sereniss. atque Celsiss. *Iosephus Alexander S. R. I. Princeps* IABLONOVIVS in Vindiciis Lechi et Czechi, excusis Lipsiae 1771. 4. mai. 4) Ciues eiusdem gentis sed diuersarum nationum integrosque huiusmodi ciuium pagos saepe expeditiones sedium mutandarum causa vna suscepisse, et modo generali gentis modo specialibus singularum nationum nominibus inditis se suasque sedes vel coniunxisse vel etiam distinxisse.

Iam haec, de quibus nemo historiarum rerumque inter eruditos transactarum non prorsus ignarus addubitet, ad coniecturam in medium prolatam adcommodare vnicuique facillimum erit. Vnum addam, quod ad illam coniecturam firmandam pertinere videtur, habitasse nempe in continente Galliae Narbonensis adeoque e regione istarum insularum Venetos seu Venedos. Id certe probabiliter concludi potest ex nominibus Venedicis vrbium in ea Galliae parte, cuiusmodi sunt *Vindomagus* in hodierna Languedocia, ad ipsum sinum Gallicum sita vrbs, de qua v. *Ptolemaeum* II. 10. *Vintium* in Prouincia situm, apud eundem *Ptolem.* l. c. *Vindalium* seu *Vindalum*, oppidum ad Sulgam fluuium cum Rhodano confluentem, vbi Domitius Aenobarbus ingentes Gallorum copias prostrauit, vnde saepius apud *Strabonem*, *Liuium* et alios occurrit. Ex hisce exemplis, quibus alia solicite quaerentibus non deerunt, apparere videtur, Venetos colonias non solum in hodiernam Britanniam minorem, sed ab hisce diuersas alias easque minus numerosas, certe minus celebres in hodiernam Languedociam et finitimam Prouinciam deduxisse, et, sicut priores illi Veneti eodem tempore in terra continente Galliae Lugdunensis, et in insulis maritimis, quae Veneticae vocantur, consederant, ita posteriores etiam non solum partem orae Galliae Narbonensis, sed etiam insulas propinquas, Crociam nempe, Boleniam et Enauiam occupasse. Patebat Venetis in Galliam duplex via, vna maritima, altera per terram continentem. Prior difficilis esse non potuit genti expeditionibus naualibus innutritae, et ab eo certe tempore, quo in Italia consedit, commerciis florentissimae. Fuit enim gens omnis Henetica rei maritimae studiosissima, eoque primarias sedes fere ad magnos fluuios vel ad ipsa maria collocauit. Nam in Paphlagonia ad Halyn fluuium, in Italia, Gallia, atque Borussia, vbi Venedicus sinus, ad diuersorum marium littora consedere. Alteram viam quod attinet, quae per terram continentem in Galliam ducit, hanc vel

Gallia

§. VI.

Ioſephus lib. I. deriuauit Riphaeos (10) a Riphat, filio tertio Gomeri; interpretans: gigantes. Cum vero ſit *veri-*

Gallia ciſalpina, vel ab altera parte Carni, Norici, Vindelici, Rhaetique, populi cognati Venetis, pandebant. Hos enim ſingulos Venedicae originis fuiſſe, vti de Carnis ſupra demonſtrauimus, ita de reliquis etiam, argumentis niſi plane certis, valde tamen probabilibus oſtendi poſſet, ſiquidem id nunc inſtituti ratio vel admitteret vel poſtularet. Poſt illos populos Veneti iter facturi, inter Heluetos, qui iam Galli erant, Venetos et ipſos reperiebant, quippe de quo nos, vt alia nunc mittam, dubitare non patiuntur, Venetus lacus apud *Melam* Lib. III. c. 2. qui hodie Brigantinus et Conſtantienſis vocatur, nec non celebrata toties *Ptolemaeo, Tacito*, *Eumenio* ſcriptoribusque aliis antiquis pagi Heluetiorum, cui *Cluuerius* Ambronici nomen fuiſſe parum probabiliter ſtatuit, vrbs, Vindoniſſa, ignobilis hodie Bernatium vicus, qui tamen retinet priſcum nomen, Windiſch, hoc eſt, Venedica, quod Romani immutauerant in Vindoniſſa. Ex his igitur apparet, Venedos plus vno loco Galliam inſediſſe.

(10) *Ioſephus deriuauit Riphaeos)* Hanc ſententiam qui probant, ita argumentantur. Verba *Ioſephi* in Antiquit. Iud. L. 1. c. 6. edit. Hauercamp. Tom. I. pag. 21. ex lat. interpretatione ſunt: *Ex tribus Gomari filiis vnus Aſchananus Aſchananos condidit, qui nunc Rhegines nominantur a Graecis. Rhiphates vero Rhiphataeos, qui vocantur Paphlagones, et Thygrammes Thygrammaeos, qui, vt viſum eſt, a Graecis Phryges vocantur.* Itaque *Ioſephus* de Rhiphataeis, qui aliis Riphaei, vel, vti malunt, qui ſcripturam Graecam per omnia ſequi amant, Rhipaei (nam Graece ſcribitur Ῥιπαιεις et de montibus Ῥιπαια ὄρη) audiunt, eorumque origine non dubitanter, ſed vti de re comperta loquitur. *Bochartus* in Phaleg et Canaan (Lugd. Bat. 1707. fol.) p. 175. in Paphlagonia et vicina Bithynia fluuium Rhebam in Pontum exeuntem, nec non populum Rhebaeorum terramque Rhebantiam reperit, et de ſingulis loca veterum collegit, tanquam veſtigia certa originis incolarum a Riphato deductae. In his igitur Rhebaeis, ſingularis cuiusdam nationis Paphlagonicae, quae conditoris nomen retinuit, veſtigia deprehendere licet. Nam ex loco apparet, omnes in vniuerſum Paphlagones a Riphato originem et Riphataeorum nomen deducere. Singulae autem nationes Paphlagonicae, praeter communem illam totius gentis appellationem, ſingularia ſibi nomina vel ſumebant vel accipiebant, in his praeter Rhebaeos ſeu Riphaeos, de quibus modo diximus Heneti, quos ex Paphla- gonia

veritas conuenientia rerum cum principio: sequitur in historia, vt pro vero habeatur, quod cum optimis scriptoribus,

gonia ortos supra ostendimus, quosque primariam Paphlagoniae gentem *Strabo* merito vocauit. Quae cum ita sint, apparet, Henetorum etiam originem a Riphato posse deriuari.

Iam ab his in Asia minore Riphaeis, vt generali gentis nomine vtamur, quo et Heneti comprehendantur, Sarmaticos Riphaeos, accolas montium Riphaeorum, habitationis loco non origine differre putat auctor, ita vt hi illorum fuerint coloni, quae opinio non mira videbitur iis, qui sibi persuaserunt, omnes in vniuersum gentes Sarmaticas Heneticae, vel si mauis, Riphateae originis esse. Sarmaticos Riphaeos *Pomp. Mela* Lib. 1. c. 2. Riphaces vocat, vel, vti rectius *Is. Vossius* legit, Riphaees. Quo loco satis mirari nequeo *Iac. Gronouium*, virum caeteroqui doctum et perspicacem, sed quem non raro nouarum rerum studium et caecum quoddam aduersarii sui, *Vossii*, odium secum abripuit, Riphaeos plane ex *Mela* deleuisse, eorumque loco posuisse Arimphaeos (vid. edit. *Pomp. Melae* Gronouianam *Abrah. Gronouii* cura Lugd. Bat. 1748. recusam p. 23.) Scilicet asserit, magna quidem fiducia, Riphaeos in Sarmatia, qui Riphaeorum montium accolae esse debuissent, nullos vnquam extitisse, nec extare potuisse, idque vt probet ad alium locum ipsius *Melae* L. 2. c. 1. prouocat, vbi dicit: *Riphaeis montibus proxima cadentes assidue niues adeo inuia efficiunt, vt vltra ne nisum quidem incedentium admittant. Deinde est regio ditis admodum soli, inhabitabilis tamen — Hominum primi sunt Scythae cett.* Ex quo loco colligit *Gronouius*: 1) Riphaeos montes habitabiles non fuisse, adeoque nec dari populos eorum cultores; 2) proximos accolas Scythas fuisse, non Riphaeos. Sed quod ad primum argumentum attinet, si vel maxime *Mela* ipsos montes inhabitabiles dicit, non idem de eorum vicinia asserit, in qua habitabant Riphaei. Nam et hodie, vti *Rytschkouius*, de quo postea dicam, testatur, in regione a sinistra istorum montium parte degunt Ostiaci, Tatari, Russi, aliique populi, vnde concludas, quod olim factum, in hoc quidem genere, etiam hodie fieri posse, cum natura loci adhuc eadem sit, quae fuerat ante mille annos. Quod autem *Mela* proximos accolas Scythas dicit, non Riphaeos, neminem mouebit, qui perspectum habet, quam late Scytharum nomen patuerit, quod in Sarmatas etiam transire diserte *Plinius maior* perhibet. Itaque iam *Oliuarius* ad illum Melae locum recte obseruauit, Scythas hos Sarmatas superiores esse. Horum autem Sarmatarum nomine Riphaei continebantur. Praeterea quinam vetus *Melae* codex h. l. Arimphaeos habet? cum, *Vossio* teste, omnia exemplaria vetusta constanter legant Ri-

bus, cum Geographia et Chronologia, tanquam principiis, conuenit, ſi alias cohaerentia inter ſe dixeris. Iam autem de Henetis, gente *maximi corporis*, tanquam *gigantibus*, ſcripſit *Procopius* Lib. III. c. 4. *Vna e vtrisque (Sclauenis et Antis) lingua admodum barbara, nec forma corporis inter ſe differunt. Sunt enim proceri omnes ac robuſtiſſimi.* Quid poteſt eſſe clarius dictum de Sclauis, Antis, Riphaeis? *Riphaei montes in Scythia fuerunt,* (11) quorum

Riphaces (qui haud dubie iidem ſunt cum Riphaeis) quod ipſe *Gronouius* negare non auſus eſt, quanquam in eo cardo rei vertebatur. Itaque multo rectius de Riphaeis ſtatuit ille antiquitatis graecae latinaeque promuscondus *Ioh. Matth. Gesnerus*, qui in Theſ. linguae latin. Tom. IV. p. 208. eos populos eſſe dicit ſeptentrionales Rhipaeorum montium accolas, laudato etiam verſu *Virgiliano* Georg. 3. v. 382. *Gens effraena virum Rhipaeo tunditur Euro.* Caeterum antequam hunc de Riphaeis populis locum dimittamus, obſeruatione non indignum puto, recentiores ſcriptores Polonos omnem populum Slauicum quadrifariam diuidere, nempe in Slauones proprie dictos, Getas, Sarmatas, et, qui quartam partem conſtituunt, Riphaeos et Roxolanos; de qua diuiſione vide quae adnotauit auctor elegans et eruditus Poloniae defenſae contra *Io. Barclaium* ed. Gedani 1648. 4o (fuit is *Lucas Opalinski*, poſtea Mareſchalcus Curiae Regni Poloniae).

(11) *Riphaei montes in Scythia fuerunt*) De Riphaeis montibus recte ad Poetas prouocat auctor. Eorum enim mentionem iam fecit *Ennius*, pater Poeſeos latinae, qui apud *Varronem* commemorat: *decem coclites, quos montibus ſcimus Rhipaeis fodere.* Frequentius adhuc eorum nomen occurrit apud alios Poetas, maxime apud *Virgilium*, veluti, praeter locum iam cit. in Georg. Lib. I. v. 240. Lib. IV. v. 518. et alibi. Scilicet Poetae Riphaeis iugis vtuntur ad deſignandum frigus intolerabile atque altitudinem ſummam. Hos enim atque Caucaſum omnium, qui per orbem terrarum eriguntur, montium altiſſimos putabant veteres, vti teſtatur *Agathemer*, ſcriptor tertii ſaeculi, in compendiar. Geogr. inter *Hudſoni Geogr. Gr. Minor.* Tom. 2. pag. 47. Verum quantumuis celebres hi montes tam apud veteres, quam apud recentiores ſcriptores ſint, ſi de eorum ſitu quaeras, ſententiae admodum diuerſae feruntur. Si cuncta curatius inter ſe contuleris, montium Riphaeorum nomine veteres latiſſimum illud montium iugum affecere, quod hodie Tatari vocant Vral, hoc eſt, cingulum, Ruſſi autem Syrt, nec non Weli-

rum mentionem faciunt Poetae, fuitque nomen Riphaeorum versus Septentrionem in regione Sarmatarum celebra-

koi Kamenoi Poias, hoc est, magnum lapideum cingulum. Primus nuper hos montes accurate descripsit vir illustr. *Petr. Rytschkow* (qui Imperatrici Russiae a consiliis est ipseque tanquam praeses rei salinariae per praefecturam Orenburgensem in illorum montium vicinia inde a multis annis commoratur) in praestantissimo libro inscripto: Topographia Orenbarskaia, qui hoc ipso anno (1772. Rigae 2. Part. 8vo.) germanice conuersus prodiit P. I. c. 5. Quod vero perill. *Rytschkovius* dicit, recentiores nonnullos Geographos montes Riphaeos Asiae et Europae terminos constituere, obseruandum est, eam diuisionem nec antiquioribus incognitam fuisse. Nam *Geographus Rauennas* ea iam vtitur Lib. II. cap. 20. cuius locum, quoniam hic scriptor in paucorum manibus est, ipseque eo ad confirmanda, quae supra de populo Riphaeorum disputaui, vsurus sum, integrum exhibebo: *Ad partem septentrionalem, habens ipsa Asia finem Oceanum Syricum, id est Bactriae, Caspium, et Congrae et Reitae iuxta litus Oceani, montes Rimpheos: a quibus montibus egreditur fluuius, qui dicitur Tanais* (quem ex Riphaeo monte deiici etiam *Mela* auctor est L. I. c. 19. p. 116.) *cuius pars plurima descendit in sinu paludis Moeotidis: et proinde omnimodo recte dicunt, quod ipsae paludes Moeotides Asiae fines existant, et quia ipse Tanais inter Asiam et Europam diuidat. Alii vero ex ipsis iuxta Oceanum, vt dictum est, montes Rimphaeos, de quibus praefatus Tanais egreditur, dicunt inter Asiam et Europam diuidere.* Idem lib. 4. c. 46. *Completur tota Europa habens finem ab oriente . . . montes Rimphaeos, ex quibus fluuius Tanais egreditur cett.* Obserues velim vtroque loco, vt et Lib. 4. c. 1. *Rauennatem* Riphaeos montes vocare Rimphaeos, qua occasione subnascitur mihi coniectura, qua retundi potest eorum audacia, qui Riphaeos populos, montium Riphaeorum accolas, plane ex Geographia tollunt; quod de *Iac. Gronouio* supra notauimus, qui Arimphaeos Riphaeis substituit. Videntur mihi Arimphaei iidem plane cum Riphaeis esse. Scilicet Riphaei montes per diuersitatem dialecti etiam Rimphaei dicebantur, vti patet ex *Rauennate.* Id etiam confirmant verba *Plinii*, quae Riphaeis plane conueniunt: lib. 6. cap. 7. *Vltra has* (solitudines saltuosis conuallibus asperas) *Arimphaei, qui ad Riphaeos pertinent montes.* Erant horum Arimphaeorum diuersae nationes, quarum binas *Plinius* commemorat. Namque hi, de quibus loco citato loquitur, haud longe a mari Caspio aberant, vt cap. 15. alios habet in vicinia promontorii Lytarmis (ad mare quod album vocant) et fluuii Carambucis (qui hodie Dzwi-

bratissimum. Sed quoque compertum habemus ex *Ptolemaeo:* Henetos fuisse Sarmatarum maximam gentem (vt §. II. h. loco allegaui) vt scimus ex *Homero*, *Paphlagones*, quos etiam *Iosephus* a Riphaeo deriuauit, fuisse *Henetorum accolas*, et habuisse ducem Slauonicum seu e gente Henetorum:

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεως λάσιον κῆρ,
Ἐξ ἐνετῶν ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.

Paphlagonasque ferox ducebat in arma Pylaemon,
Ex Henetis muli ducunt genus vnde feroces.

Haec est explicatio *Strabonis*, qui ex his versibus singularem peritiam rei equestris Henetis tribuit. Alias Diana quoque venatrix nominatur: Ἀγροτέρα Ἄρτεμις. Hanc ob causam rei equestris concludit *Albinus*, Paphlagonum et Henetorum communem fontem fuisse Riphatum. Scytharum nomen erat commune nomen Germanorum et Slauorum, vt *Plinius* vult: *Scytharum nomen* vsquequaque transit in *Sarmatas* atque *Germanos*. Vid. etiam *Iustinus* Lib. III. cap. 2. Scythia autem in Orientem porrecta, includitur ab vno latere Ponto, et ab altero *montibus Riphaeis*, a tergo Asia. *Prisc.* in Exc. Legat. p. 59. c. Hic prae se ferebat Scythiam, qui opibus circumfluebat. Erat enim et eleganter vestitus, *capite in rotundum raso.* (En Sarmatam!)

§. VII.

Quod si igitur, horum scriptorum auctoritate permotus, in his rebus praesidii multum reperio, necesse est,

 me

Dzwina dicitur) vbi lassata cum siderum vi Riphaeorum montium deficiunt iuga. Posteriores hosce Arimphaeos *Plinius* loco citato eleganter describit, in qua descriptione etiam obseruat, eos capillum alere inprobum existimare, qui mos, aliis forte populis Venedicis communis, durare videtur in hodiernis Polonis, gente haud dubie Venedicae originis, qui hodienum a capillis alendis abhorrent.

me ex Geographia, quae fines terrarum terminosque populorum constituit, obseruare, quod sedes antiquissima Henetorum in Asia *apud Iones* fuerit, vnde *in Illyricum venerunt*, teste *Herodoto* (p. 167. vid. *Albinus in Chronico Misnensi*) et in Illyrico cum Graecis necessitudo illis intercesserit, quia Paphlagonia cum Ponto Euxino, cum Phrygia et Lydia cohaeret, de qua prouincia sunt, qui dicant: Lydiam esse quasi Slauonice Ludziam (Ludschia) id est, terram hominibus repletam.

§. VIII.

Nota est ex historia duplex Sarmatia, Asiatica et Europaea. Prior ἡ ἐν Ἀσίᾳ continet Moscouiam, Circassiam cett. Atqui notum est, Sarmatas semper magnos equitatus ad bellum imperasse, *ex equis pugnasse*, et in hoc apparatu excelluisse super alios omnes. Hinc non possum, quin affirmem, *Sarmatas fuisse Henetos ad mare Adriaticum*, quorum equi Dionysio tantopere arriserunt, (vid. §. V. hoc loco) quia Heneti equorum vsu gaudebant. (§. III.) Sarmatas fuisse Henetos illos, quia perhibetur, *dialectum Illyricam* seu *Dalmaticam* optime cum *Polonica* conuenire. (12) Hinc Illyrica lingua communis est notio Sla-

(12) *Dialectum Illyricam conuenire*) De nexu, quo diuersae linguae Slauonicae dialectus, cuius generis sunt lingua Seruiorum, Illyriorum, Dalmatarum, aliorumque, secum continentur, egit iam scriptor saeculi XVI. fatorum ille et opinionum varietate celebris *Guilielmus Postellus* in rarissimo libro, cui inscriptio: Linguarum XII. characteribus differentium alphabetum ac legendi modus. Parisiis 1538. 4to. Ad interiorem linguae Illyricae notitiam facit: *Ardelio della Bella* della Compagnia di Giesu, Dizzionario Italiano-Latino-Illyrico, cui si permettono alcuni Auertimenti periscrivere, e con maggiore facilità leggere le voci Illiriche scritte con Caratteri Italiani ed anche una breve Grammatica per apprendere con proprietà la lingua Illyrica. Con in fine l'Indice Latino-Italico. In Venezia

Slauonicae, item, Garamantica, ex incolis in Lydia, cui adsederunt (§. VII.) *Mauro Orbini* de Bosnia laudat, quod purissima sit eius dialectus: *Regno delli Slaui p. 377. frà tutti i popoli della lingua Slaua, costoro hanno la più tersa et la più elegante lingua, e si gloriano, ch'essi soli hoggidi mantengono la purità della lingua Slaua.* Vbi postremum affirmat, quod incolae euincant, se solos linguae purissimae Slauonicae esse compotes. Princeps Elector Saxoniae Ioh. Georgius II. Principum linguam Sorabicam nominauit. (13)

Venezia 1728. 4to. Cui addenda *Sebastiani Dolci* Minoritae Ragusini, dissertatio historico-chronologico-critica de Illyricae linguae vetustate et amplitudine. Venetiis 1754. 4to.

(13) *Principum linguam Sorabicam nominauit*) Linguae Slauonicae satis magna inde a primis temporibus etiam inter exteros inprimis Germanicos Principes, fuit auctoritas. Hinc et Otto Imperator ei addiscendae operam dedit, vti testatur *Wittechindus* L. I. his verbis: *Romana lingua Slauonicaque loqui sciebat, sed rarum est, quod earum vti dignaretur.* Quin lingua Slauonica in compluribus coenobiis Germanicis publice docebatur, inprimis in celeberrimo coenobio Magdeburgico, cuius Monachi plerique omnes eius periti erant, vnde Bohemi plus vna vice ex eorum numero suos sibi Episcopos eligebant, quod constat testimonio *Cosmae Pragensis* ad annum 967. et 997. — Nam orationes sacras Venedica lingua haberi necesse erat, in missae vero officio et baptismate administrando, si discesseris a Slauis Morauiam et Marcam Vinidorum incolentibus, quibus singulari Pontificis summi priuilegio ipsis ao. 894. concesso in omni genere cultus diuini patrio sermone vti licebat, sola Romanorum lingua frustra renitentibus Slauis adhiberi solebat, de quo argumento lectu digna sunt, quae congessit eruditus auctor commentationis de Venedorum in Saxonia superiori conversione ad religionem Christianam, quae extat in *Kreysigii* Beytraegen zur Historie derer Chur- und Fürstlichen Sächsischen Lande T. 6. p. 91. seqq. Saeculo adhuc XIV. tanta fuit linguae Slauonicae auctoritas, vt Carolus IV. Imperator in illa lege Imperii fundamentali, quae ab aurea Bulla appendente nomen gerit, Art. XXX. §. 2. statuerit: *Vt illustrium principum, puta Regis Bohemiae, Comitis Palatini Rheni, Ducis Saxoniae et Marchionis Brandenburgici filii vel hae-*

Nostri Heneti non ante Christum natum, quo tempore *Herodotus* vixit, ex Illyrico ad nos venerunt, sed a Ponto Euxino, seu *mari nigro* saeculo VI. tempore Heraclii ad nos in Bohemiam, Lusatiam, venerunt *), cum e contrario alio tempore alia antea cum Cimbris pars Henetorum iam dudum in Europam migrauerint, (de quibus

haeredes et successores incipiendo a septimo aetatis suae anno in Grammatica, Italica et Slauonica lingua, instruantur, ita, quod infra quartum decimum aetatis annum existant in talibus eruditi; eo quod illae linguae vt plurimum ad vsum et necessitatem S. Imperii frequentari sint solitae, et in his plus ardua ipsius Imperii negotia ventilentur. De cuius legis, (quam tamen quoad linguam Slauicam nunquam in ipso rerum vsu valuisse recte docet *Ioh. Iacobus Moserus* in libro de Germania p. 221.) rationibus et causis consuli possunt Commentatores aureae Bullae, inprimis autem *Ioh. Petri Ludewigii* Erläuterung der güldnen Bulle T. 2. p. 1350. et p. 1415 seqq. Dolendum est, nostris temporibus inter viros doctos exteros notitiam linguae Slauonicae fere prorsus exoleuisse, cuius rei causa, cum in ipsa, qua laborat, difficultate, tum vero etiam in monumentorum antiquorum, quae in ea exarata sunt penuria, ponenda videtur. Nam difficultas eius quanta sit, testantur, cum eorum, qui ad eam addiscendam se contulerunt, in his ipsius *Ludewigii*, eo, quem notavimus loco, querelae, tum eorum, qui in ea explicanda versati fuerunt errores, quos maximo numero commisere. Monumenta autem ingenii Slauici ex medio aeuo pauca superesse, nemo inficiabitur, qui cogitauerit, libros in ea lingua scriptos nullos nisi Chronicos, eosque non adeo multos extare hodienum, monumentorum autem publicorum, in quibus omnium antiquissimum habetur epitaphium, quod Reginae cuidam Seruiae, Romam profugae, in ea vrbe positum fuit, vel maiorem esse paucitatem. At viget tamen ipsa diffunditurque lingua Slauica per maximam orbis terrarum partem, quae ea tanquam patria vtitur. Est enim vernacula Russis omnibus, Polonis, Bohemis, Morauis, Slauoniae, Seruiae, Bosniae, Croatiaeque et maximae partis Hungariae incolis, nec non Venedis in Germania habitantibus, quorum post maximas clades a Germanis miserae genti illatas non exigua pars in Lusatia et Cassubia, nec non in praefectura Luchouiensi, quae ad Ducatum Luneburgicum pertinet, et in circulo Silesiae Cotbusensi superest. Maximopere tamen in omnibus istis populis, propter dialectorum varietatem a se differt lingua Slauonica, quod olim, si *Adamo Bremensi* fides, qui diserte testatur p. 49. Slauos nec habitu nec lingua discrepare, secus se habebat.

bus *Strabo* ſcripſit) qua tempeſtate Germania noſtra adhuc expers erat Slauonicae gentis populorum; quorum pars Veneti in Gallia Lugdunenſi ad Lacum fuerunt (*Plinius* Lib. IV. 18.) alii in Italia anno Chriſti 456. vrbem Venetam exſtruentes, condidere ſibimetipſis immortale monumentum. (14)

*) Habent Sorabi in Luſatia vocabula cum Polonis, et inprimis in Luſatia inferiore cum Ruſſis maxime conuenientia, e. g. Scherſchen, Polon. Chrząszcz vespa. Ruſſica inſcriptio lapidis in monte Arbuchim, vid. *Aſcanii itinerarium*, edit. 1656.

Чсmo иmе нецеъо полофе

Tſto iſches netzebo *polosſchen*: Sorabice apud nos eſſet:
Sto pyttaſch, niz nejo poloſchone.

Taceo innumera alia, quae affinitatem Ruſſorum ſapiunt ad mare nigrum.

Obſeruari meretur, quod *Crantzius* in Wandalia lib. 1. c. 5. et l. 2. c. 1. et 5. ex *Blondo* et *S. Gregorio* annitatur, quod Slaui *tempore Mauritii* venerint in Croatiam, *Dalmatiam*,

(14) *Ao. 456. vrbem Venetam exſtruentes*) Annus vrbis Venetae conditae ita accurate conſtitui non poteſt. Id argumentis non plane quidem indubiis, veroſimillimis tamen conſtat, poſt Italiam ab Attila Hunnorum Rege anno 452. occupatam et paene euerſam ad inſulas maris Adriatici terrae continenti vicinas multos mortales, eos maxime, quos auita nobilitas, opesque domeſticae furentibus hoſtibus certiores victimas obtuliſſent, ſeſe recepiſſe, in iisque vitae fortunarumque refugium quaeſiviſſe, poſtea depulſa belli tempeſtate, multos, non omnes in priſtinas ſedes rediiſſe, ab eoque tempore Venetiam duplicem extitiſſe, alteram a terra continente dictam, maritimam alteram; poſterioris caput vrbem Venetam, non vno alteroue anno, ſed multorum ſaeculorum decurſu a paruis initiis ad eam magnitudinem proceſſiſſe, qua toti orbi terrarum admirationi eſſet. De quibus argumentis conſulendi ſunt doctiores hiſtoriae Venetae ſcriptores; e quibus nominaſſe ſufficiat nouiſſimum V. *Cl. Bretum* in der Staats-Geſchichte der Republ. Venedig p. 28. ſeqq.

matiam, Illyricum, Histriam; ([15]) sed in *Blondo* tantum ita verba se habent, venisse eos e *sedibus priscis*, *Gregorius* autem illos Histriae imminere scribit; Histria autem fuit ad Adriaticum mare, vt scimus ex Geographicis chartis. *Nicolaus Machiauellus* tempus Heraclii imperatoris, qui anno DCXI. post Christum natum ad reipublicae gubernacula accessit, allegat in libro de migratione populorum septentrionalium et ruina imp. Rom. quod eo tempore *Slaui Illyriam*, facta eruptione, occuparint, et ab eorum nomine Slauoniam cognominauerint.

§. IX.

Herodotus ante Christum natum 450. omnium consensu antiquissimus scriptor, fide dignus, si veritatem in illo a fabulis seiungimus, ([16]) (*) refert, quod adfuerint Heneti

(15) *Dalmatiam, Illyricum, Histriam*) Ad ea, quae de tempore, quo migrationibus inclaruere Slavi, de sedibus, quas diuersis temporibus occuparunt, similibusque argumentis, hoc et sequentibus capitibus disputata sunt, addi possent permulta, nisi obseruationes adspergere, non commentationes scribere nobis propositum esset. Ea, quae a viris doctis hactenus de plerisque argumentis, de quibus sequentes paragraphi agunt, in medium prolata sunt, nuper digessit, additisque multis nouis, iisque pereximiis obseruationibus proposuit vir doctissimus *Gattererus* in der Einleitung in die Synchronistische Vniversal-Historie p. 882. et 954. sqq. cui addi meretur *Philipp Wilhelm Gerkens* Versuch in der ältesten Geschichte der Slauen besonders in Deutschland, Lips. 1771. 8vo. Quibus accedit, qui et ipse multa, quae ad historiam populorum, quorum mentio fit apud scriptorem nostrum, faciunt, primus obseruauit V. Clar. *Thunmannus* in den Untersuchungen über die Geschichte der östlichen Europäischen Völker, Lips. 1774. 8vo. Pleraque de quibus apud scriptorem nostrum agitur argumenta, etiam in his ipsis Actis iam latius pertractata sunt, vnde ad diuersa horum volumina lectores remittimus.

(16) *Herodotus fide dignus etc. si veritatem in illo a fabulis seiungimus.*) *Herodotus* cum primus omnium inter Graecos historiam prosa

Heneti ad Adriaticum mare, id quod factum est, *prius quam Romani has terras* in ditionem suam redigerunt. Postea *Polybius*, a. C. N. 160. refert, quod huic ripae maris Adriatici adsidentes alia prorsus lingua vtantur, quam fuerat alibi in Italia audita.

*) *Cicero* vocat *Herodotum* patrem historiae, sed innumerabiles apud eum fabulas esse dicit.

Sleidanus de IV. summis imperiis l. 2. Quacunque transiret Caesar, hostes populi Romani fudit -- *in Illyrico Sarmatas* aliasque gentes concidit. *Paulus* ad Romanos cap. 15. v. 19. de Illyrico Euangelio Iesu repleto: *Also dass ich von Ierusalem an und umher bis an Illyricum alles mit dem Euangelio Christi erfüllet habe.*

§. X.

prosa oratione conderet, in multis vulgarem famam sequi necesse habuit, quae vbi suspecta videbatur, ipse addere disertis verbis solet, ita rem vulgo narrari, vel hanc esse rerum seriem, qualem ipse ab aliis traditam acceperit. Quare si refert, quae fabulis propiora videntur, id temporibus, quibus scripsit, non scriptori vitio vertendum. Nec mirandum, historicum ea aetate, qua poetae soli aures animosque legentium audientiumque tenebant, cum primus ad scribendum nouo genere, quod sermonis ligati illecebris destituebatur, se accinxisset, reliqua, quae argumenti ratio admittebat, aurium oblectamenta, quibus placere poetae solent, quaesiuisse, adeoque facta singularia et mirabilia libro suo maxime inseruisse, vbi haec vera vel certa sciebat, vel tanquam vera ab aliis acceperat. Praeterea permulta apud *Herodotum* relata extant, per se vix credibilia, quae tamen interiori disquisitione recentioribus saeculis facta probata et confirmata fuerunt, quin hodienum multa accidunt, quae si ante ter vel quater mille annorum terminum acta legeremus, fabulosa viderentur, de quibus nunc, quoniam oculis auribusque vel nostris vel coaeuorum ea vsurpamus, nemo dubitat. Alia pro *Herodoto*, quae dici possent allaturis, otium fecerunt *Camerarius* in praefatione *Herodoti* ab ipso cum scholiis Graecis editi; *Henricus Stephanus* in libro, cuius noua editio hac inscriptione prodiit: Apologie pour Herodote ou traité de la conformité des merveilles anciennes avec les modernes avec des remarques par *Mr. Duchat*, à la Haye 1735. 2. Vol. 8. et *Geinosii Abbatis* Vindiciae Herodoti contra accusationem Plutarchi, quae e Gallico sermone conuersa extat in viri Cl. *Gattereri* allgemeiner Historischen Bibliothec P. 10. p. 29-136.

§. X.

Tempore *Tiberii Sarmatae Iazyges* in magna versabantur celebritate. *Iazyges Metanastae sunt, qui per Gethas transientes excursiones fecerunt in Romanorum prouincias. Fecerunt eo tempore cum Vannio, Sueuorum rege. Tacitus*, qui post Christum natum circiter 30. anno vixit, scribit H. L. III. c. 5. *Principes Sarmatarum Iazygum, penes quos ciuitatis regimen, in commilitium asciti, plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, afferebant.* Quod Scythae (germanice Schüzen) a Sarmatis Istrum adcolentibus differentes tempore *Herodoti* terras incoluerint, quas postea Sarmatae habuerunt, apparet ex verbis Lib. IV. 17. *Trans flumen autem Tanaim non est regio Scythica, sed prima laxiorum Sauromatarum, qui a recessu Moeotidos paludis incipientes, incolunt tractum, qui spectat Aquilonem, itinere dierum quindecim.* Sed ex antecedentibus et §. IV. apparet, quod sparsim habitarint, et magnum occuparint spatium; ideo tempore finium imperii Sarmatici facta est propagatio. *Strabo* Lib. IX. pag. 508. refert: *Veteres Graecorum scriptores vniuersas gentes septentrionales Scytharum et Celto-Scytharum nomine affecerunt.* (Hi sine dubio fuerunt Germani.) *Iis autem antiquiores ita diuiserunt eas, vt qui supra Euxinum, Istrum et Adriam incolerent, eos omnes Hyperboreos, Sauromatas et Arimaspes appellarent.*

Quod Sarmatae post Attilae mortem (A. C. 453.) in Illyrico ad castrum *Martenam* pedem fixam posuerint, commemorat de illis *Iornandes* cap. 50. *Sauromatae vero, quos Sarmatas diximus, et Cemandiri, et quidam ex Hunnis in parte Illyrici ad castrum Martenam sedes sibi datas coluere. Opinionem*, quod castrum Martena sit *Marchburgum in Stiria*, quo habitatum concesserint, aliqui in medium protulerunt.

§. XI.

Nomen Sclauenorum et Antarum non legitur, nisi apud *Iornandem* et *Procopium*, vbi *Iornandes* Cap. 5. de Venedis scripsit: *Introrsus illi Dacia est, ad coronae speciem arduis alpibus emunita, iuxta quarum sinistrum latus, quod in Aquilonem vergit, et ab ortu Vistulae fluminis, per immensa spatia venit, Winidarum natio populosa consedit. Quorum* nomina *licet nunc* per varias familias et loca mutentur, *principaliter tamen Sclauini et Antae nominantur.*

§. XII.

Nomen Sclauinorum Heneti sibi tribuerunt, quod significat gloriam: sic habet Oratio Dominica apud Bohemos: *Twa iest Slawa: Tua est gloria.* Serbi tempore Caroli M. sunt dicti a falce, acinace, quem Marti ab iis culto tribuerunt. *Brotufius* lib. VI. Chronicorum lib. II. de Mersburg. de Marte perhibet, communem omnium Soraborum Deum fuisse. *Clemens Alexandrinus* Coh. ad Gent. C. V. p. 56. Sauromatas autem, Scythiae gentem acinacem colere, refert *Icesius Mela*: Mars omnium Deus. *Arnobius* lib VI. aduersus gentes: — informem Arabas lapidem, acinacem Scythias nationes, Sarmatas Diis patriis equos immolasse. Quod de *Suttiboro*, vel *Sventyboro*, quod est sanctus Lucus, idolo Martisburgorum, vna cum Marte perhibetur, videtur cum traditione nostra de Deo Sambor, hoc est, Solus in Luco, conuenire, cui hoc loco *querceta sacrata* fuerunt, summa cum ceremonia culta, et non procul a loco, vbi ego vitam iam ago, est locus in silua Bozy-Stol, hoc est, Diuina tabula, appellatus, seu Dei sedes in silua Gederswaldensi, et vbi vox Samprowac, id est, Conductor, occurrit, quando inopes pueri nummos corrogant et alia tempore Quadragesimarum.

Antarum vox, quae vel sola vel tanquam Synonymum Henetorum legitur, *non occurrit in Albino et aliis;* hinc collatis vtrinque scriptoribus apparet, Antas et Henetos esse vnum idemque. Sic *Procopius* Lib. IV. de Bell. Goth. c. 4. p. 573. *Vlteriora ad Septentrionem habent Antarum populi infiniti.* Ex quo potest aperte iudicari, primam et antiquissimam sedem Antarum in Sarmatia fuisse.

Tempore Iustiniani victi sunt *Antae Illyricum depopulantes*, ex quo Iustinus cognomine *Anticus* ornabatur. *Procopius* de iis lib. III. c. 4. *Et vero hi populi Sclaueni et Antae non vni parent viro, sed ab antiquo in populari imperio vitam agunt, ac propterea vtilitates et damna apud ipsos in commune vocari solent . . . vnum enim Deum fulguris effectorem, dominum huius vniuersitatis, solum agnoscunt, eique boues et cuiusque generis hostias immolant . . . in tuguriis habitant vilibus et rare sparsis, atque habitationis locum subinde mutant.* *Procopius* p. 517. de Antis: *Peritia pugnandi in salebris angustiisque cunctos antecellunt hi barbari.* Idem de Henetis vid. §. II. ante memoratum.

§. XIII.

Fundamentum sententiae meae, quod Antae cum Henetis sint vna denominatio, ex antea dictis apparebit, (*quia grammatica interpretatio est fundamentum logicae*) sequenti modo:

Ad Ioniam prima sedes in Asia Henetorum fuit, vid. §. VII. hoc loco.
Ergo Ionica denominatio non potest esse ab iis aliena. *)

Atqui Ionica denominatio est α pro ε, vid. §. IV. quemadmodum Ister dicitur Hister Thracum lingua, simile Phry-

Phrygicae. Ergo pro Henetis et Aenetis veniunt Antae.

*) Ita etiam *Procopius* Lib. III. c. 4. de Sclauenis et Antis: *vna est vtrisque lingua*, admodum barbara.

Quod multa Soraborum vocabula Graeciam sapiant, non pertinet ad institutum meum, vlterius allegare, interim tamen instar exempli sint:

Κλιμανος, inde *Klieb*, panis - - λέων, Leo *Law*, ξηρὸς, siccus, ssyrre, cett.

Albinus in libro allegato de moribus et ingeniis Slauorum graecis similibus p. 167. huc refert *pietatem erga parentes*, pudicitiam, *fidem*, belli peritiam, *iustitiae amorem.*

§. XIV.

Antiquissimam Antarum sedem inter Sarmatas *ad Istrum fuisse*, docet quoque *Procopius* Lib. IV. de Bello Goth. 777. *Diebus vero post viginti, quam portum vrbemque cognomine obtinuerunt, aduenere Martinus et Valerianus cum MDC. equitibus, quorum plerique Hunni erant, Sclaueni et Antae, qui trans fluuium Istrum non procul a ripa sedes patrias habebant.* Nullus dubito, quin tales migrationes ansam praebuerint bellis cum Romanorum gente gestis, sed necesse est obseruare, quod *Cellarius* de Istro scripsit: Superiora fluminis huius Danubii nomina praefinire perdifficile. Interim vtrumque praefiniuit *Agathemerus* (Geographus Graecus p. C. N. 250.) ὁ Ἴστρος ὃν μέχρις Ὀυινδοβόνης πόλεως Δανούβιον καλοῦσιν, Lib. II. c. 3. id est, *Ister*, quem vsque ad *Vindobonam Danubium appellant.*

§. XV.

Quod Sclaui *Muros* sic dictos *longos* tempore Mauritii Imperatoris Romani penetrauerint, testis est *Theo-*

 phil.

phil. Simocatta lib. I. c. 7. et L. IX. ep. 36. *Gregorius* ad Maximum Episcopum Salonae: *Et quidem de Sclauorum gente, quae vobis valde imminet, et affligor vehementer et conturbor. Affligor in his, quae iam in vobis patior; conturbor, quia per Histriae aditum iam ad Italiam intrare coeperint.* *Procopius* in Iustiniano et postea *Suida* in medium protulit nomen Slauorum: τὸ σκλαβικὸν γένος τὸ πέραθεν τȣ̃ Ἴςρȣ. Ex quo apparet, sub Mauritio Henetos sibi hoc nomen vindicasse.

§. XVI.

Factum autem hoc in tempore est, vt Heraclius illis possessione partis Dalmatiae cesserit, vt fierent Christiani, honorifici in maiestatem imperatoris Romani. Sed cum id contigerit Seruiis praesertim Croatiisque, sequitur, vt reliqui Antae cum Russis in Polonia diffusi sint, vsque *ad sinum Venedicum* habitantes, secundum §. II. XI. ab ortu Vistulae. Nonne est Vistula fluuius principalis Poloniae? nonne *Venedicum mare* est pars Oceani septentrionalis, le Golfe de *Dantzig?*

Polonorum nomen autem sine dubio a *Pole* (Polo apud Sorabos nostros,) a *planitie* deriuatur. Consonat huic Etymologiae *Strabonis* oratio lib. IX. p. 497. Distinguit versus meridiem Albaniam et Iberiam a *Sarmatarum planitie*, versus *Septentrionem dissita.* Altera deriuatio a Bulanis ad Vistulam (secundum *Ptolemaeum*) potest etiam annotari, sed an vera sit, nec ne, valde addubito. *Sarmatas* Arias Montanus deriuat a Iactanis filio *Chazarmaveth*, alii a Sauromatis. Prima sedes Polonorum erat, secundum *Herodotum*, ad Caucasum et flumen Tanaim *), hinc Sauromatarum graeco nomine veniunt, quasi *duces altitudinis*; (vid. p. 74. *Albinus* in Chronico Misnensi) de

de eorum lingua ſcribit *Herodotus* lib. IV. 117. Sauromatae putantur lingua *Scythica ſoloecizare*, quod eam ab initio non probe didicerint Amazones. *Ouidius* non tantum Sarmatas noſſe didicerat ad Pontum in vrbe, cui nomen erat Tomis, ſed etiam Getas; vt dicit:

Nam didici Getice Sarmaticeque loqui.

*) Flumen Tanais cadit in paludem Moeotidem. Hinc *Ptolemaeus*: Et per totum Moeotidos lacum *Iazyges*.

§. XVII.

Eadem tempeſtate Heraclii, poſt tempus Antoninorum, anno a Chriſto N. DC. et poſtea (vti eruditi ex hiſtoriis inter ſe collatis colligunt) migratio Soraborum ad nos facta eſt obſeruanda, vbi ſimul traditio vetus de Czecho, Lecho et Ruſſo occurrit. Fama praeſertim de duobus fratribus fert, quibus ducibus vſi ſunt Sclaui, Czechum ſedem omnium rerum ac fortunarum in Bohemia collocaſſe, alterum Lechum anno DL. Poloniam fundaſſe ſimulque Sileſiam, quae ab initio Polonorum vsque ad annum MCXLVI. *poſtea Bohemorum ditioni fuit ſubiecta.* (17) De Lecho fama nunciat, veniſſe eum in Poloniam

De Czecho.

(17) *Bohemorum ditioni fuit ſubiecta)* Quae de nexu Sileſiae cum Polonia perhibet auctor, quem ao. 1146. iam ceſſaſſe autumat, ea, quoniam nec ab ipſo, nec a plerisque aliis ſcriptoribus ſatis accurate propoſita ſunt, paulo accuratius explicare placet. Sileſia olim Poloniae pars fuit, eoque frequenter a ſcriptoribus etiam tum cum Sileſiae nomen iam inualuiſſet, communi Poloniae nomine comprehenditur. v. R. P. *Matthias Dogiel* in Praefat. T. I. Codicis Diplom. Polon. not. p. Vladislaus autem II. Boleslai III. filius natu maior, cum in infelici Poloniae partitione inter tres Boleslai filios anno 1138. vrbem tractumque Cracouienſem, praeterea Siradiam, Lenciciam, Sileſiam ac praecipuas regiminis partes, (quae cum poſſeſſione Cracouienſis ditionis coniunctae erant) accepiſſet, et hac ſorte parum contentus, fratres paterna ditione exuere conaretur, bello

niam eo animo, vt in loco peridoneo vrbem conderet, vbi inuenit amoenam regionem nemore circumsitam, et siluam arboribus vmbrosam, in qua fuit copia nidorum constructorum ab aquilis. Quod, sicut illi faustum omen visum est, obtulit illi occasionem vrbem constituendi, cui nomen esset Gnesna, a Gniazdo, id quod aquilarum nidum significare dicitur. Videatur de hoc laeto augurio *Ianicki in Comite Sapieha*, et notentur versus de aquila hac occasione tanquam in insigne gentilitium totius reipubli-

bello infeliciter gesto Polonia pulsus in Germaniam ad Conradum III. Romanorum regem confugit, huiusque, et eo fatis defuncto, successoris Friderici I. auxilium implorauit. Post irritos Conradi III. conatus de restituendo Vladislao Fridericus Imperator irruptione in Poloniam facta, Vladislaum ipsum pactis, quae in castris ad Posnaniam positis cum Boleslao IV. anno 1157. inierat, restituit, cum vero promissis non staret, post Caesaris discessum Boleslaus, et ipse Vladislaus exul diem supremum anno 1159. obiisset, id tamen consecutus est Caesar, vt Principes Poloni tribus demortui fratris filiis Boleslao, Micislao et Conrado anno 1163. et 1173. totam Silesiam cederent, quam hi, diuisione facta ita inter se sunt partiti, vt prior mediam, Micislaus superiorem, Conradus autem inferiorem regionis partem obtineret.

Itaque tunc Silesia nondum Polonis erepta fuit, sed ipsi Piasti Silesiae, vt alii eiusdem gentis principes aliis regni Polonici prouinciis imperitarunt.

Attamen cum aegre ferrent Silesiae ex linea Piasti primogenita Principes, se minoris a suis ciuibus fieri, quam Principes iunioris stirpis, nec ad ducatum regnumue patrium admitti, haec prima iniquioris in patriam animi causa fuit, ipsosque adegit, vt pedetentim Germanici potius quam patrii imperii maiestatem reuererentur. -- Neque tamen alterutrius reipublicae totos se addicebant fidei, propriamque potentiam perpetuis terrarum, quae per se non ita amplae erant, in minores principatus partitionibus maximopere infringebant. Quales cum viderent Bohemi vicini, quorum tum haud exiguae erant opes, ipsi Silesiae supremo imperio imminere coeperunt.

Primus inter Bohemiae reges Wenceslaus III. Vladislao, Micislai I. Ducis nepoti, Troppauiensem principatum eripuit, quem successor Wenceslai Ottocarus, ille, qui cum Rudolpho I. Caesare bellum, quod ipsi ao. 1278. exitiale fuit, gessit, filio naturali Nicolao con-

publicae *) sibi electa, vbi Lechus eximie a Poeta collaudatus est:

Qua modo Sarmatia est, quondam deserta fuerunt,
Inuia post magnas Deucalionis aquas.
Primus in hac Lechus populum deduxit agrestem,
De patria pulsus seditione domo.
Dalmata vir, Phariis claro patre natus in agris,
Quos rapidos curuis Crupa pererrat aquis;
Colle super pulchro properatae moenia Gnesnae,
Struxit et a nidis nomen habere dedit.
Omine permotus: multos ibi namque videbat,
Per vicinum Aquilas nidificasse nemus.

*) Premislaus II. rex se subscripsit: Ordinis Aquilae albae inuentor.

§. XVIII.

concessit, qui et eundem ad posteros transmisit.

Wenceslaus IV. Ottocari filius, Bohemiae rex, ipse adeo a Polonis relicto principe legitimo Vladislao Loctico, Poloniae rex dictus, et Gnesnae ao. 1300. coronatus fuit. Quae coronatio quanquam postea legitima non reputaretur, caussa tamen tituli regni Poloniae ab eo tempore vsurpati regibus Bohemiae fuit, et Silesiae ducibus probabiliorem occasionem Bohemis se coniungendi praebuit.

Hinc Casimirus, Oppoliensis dux, Vladislai, cuius modo mentionem fecimus, filius, Venceslao IV. se subiecit. Id ipsum fecit Henricus IV. Vratislauiae dux improles, qui et pactum hereditarium cum rege iniit, confirmatum a Rudolpho Caesare, quod tamen illo tempore exitum non habuit.

Nam Ioannes demum Luxemburgicus, qui extincta cum Venceslao antiqua regum Bohemiae familia, patris Henrici VII. auctoritate et procerum Bohemicorum voluntate, sorore vltimi regis in matrimonium ducta, in Bohemiae regno successerat, anno 1335. ducatum Vratislauiensem Bohemiae iunxit, extincta familia Lignicensi, quae successerat Henrico.

Nec minore fortuna et arte idem Ioannes anno 1327. superioris Silesiae principes atque duces Casimirum Tessinensem, Ioannem Oswieczimensem, Bulconem Falkenbergensem, et Vladislaum Koslensem eo adegit, vt ditiones suas regi Bohemiae permissas, ab hoc feudali lege reciperent, quorum exemplum anno 1329. Boleslaus,

§. XVIII.

Quod *accipiter vel falco fuerint* antiquissima insignia Slauorum, legimus relatum; ideo mirum non est, aquilam tanquam bestiam volucrem rapacem eodem numero fuisse. Iudicanda itaque haec vetus traditio coniectura nobis est. Veritati est consentaneum, ante consummatum saeculum sextum migrationem Slauorum in Bohemiam factam fuisse, quia tempore Dagoberti I. Sorabi iamiam Francorum vicini fuerunt. Ergo quae dixi §. XVII. de traditione anno DL. saltem his omnibus non contradicunt. Pertinet huc testimonium *Constantini Porphyrogeniti* Themat. Part. II. C. 32. ex quo apparet, Bohemos inprimis gentem Slauonicam fuisse: Sciendum est, Seruios, rectius Serhios, oriundos esse a Seruiis non baptizatis,

laus, qui ducatus Lignicensem et Briegensem obtinebat, nec non Conradus Olsnensis, Ioannes Steinauiensis et Henricus Saganensis fratres secuti sunt. Et ita quidem maxima Silesiae pars Bohemiae accreuerat.

Verum Poloniae reges hanc translationem non magis agnoscebant, quam Bohemiae rex Casimiri Poloniae regis dignitatem regiam. Tandem quo dissidiorum finis esset, vterque rex, iure, quod tueri non poterat, anno 1335. lubens cessit, pacto inito, quo Casimirus iuri, quod Poloniae hactenus in Silesiam fuerat, renuntiabat, Ioannes autem titulo regis Poloniae se abdicabat. Itaque tum demum modo legitimo Silesia a Polonia seiuncta fuit, nec ea quidem omnis. Nam Bolconem II. ducem Munsterbergensem, minoresque quasdam ditiones Ioannes demum annis 1336. et 44. vi et arte, satisque pinguibus conditionibus oblatis ad imperata facienda compulit. Suednicensem autem et Iauoriensem ducatum Carolus IV. demum imperator et Bohemiae rex, Anna Bulconis I. ducis nepte et haerede anno 1353. vxore ducta acquisiuit. Atque sic tandem, denuo cedente iure suo, etiam in hos, quos modo diximus, ducatus, Casimiro, vniuersa Silesia Bohemiae accessit, et huic regno a Carolo IV. inserta, vel vti vulgo loquuntur, incorporata fuit.

Probationes eorum, quae diximus, habentur in *Fibigeri* Silesiographia renouata *Nic. Henelii* p. 809-70. et in Diplomatariis et Scriptoribus apud *Sommersbergium* T. 1. et 2. nec non in libro, cui titulus: *Diplomatische Beyträge zur Untersuchung der Schlesischen Rechte und Geschichte.* Berlin 1771. sq. 4to.

ptizatis, qui etiam Albi cognominantur, et vlteriora Turciae incolunt, in loco ab illis *Boici* nuncupato, cui *finitima Francia* est, vti et magna Chrobatia baptismi expers, quae etiam Alba cognominatur. Illic igitur initio Seruii hi habitabant. *Fredegarius* in Chron. c. 68. *Multis post haec vicibus Winidi in Thuringiam et reliquos vastando pagos in Francorum pagos irruunt. Deruanus, dux gentis Vrbiorum, puto Surbiorum, qui ex genere Sclauinorum erant, et ad regnum Francorum iam olim adspexerant, se ad regnum Samonis cum suis tradidit. Vrbii* vero alias quoque *Sorbi, Sorbii, Sorabi* nominantur. (18) Vid. *Albinus* p. 75.

(18) *Sorbi, Sorbii, Sorabi nominantur.)* Sorabi a *Ptolemaeo* et *Plinio* Serbi, ab *Annalibus Bertinianis* et *Loiselianis* Suburbi, a *Reginone* Vrbi, a *Monacho Egolismensi* et aliis Suurbi vocantur, vel Syrbi. Suspecta tamen appellatio Vrborum et Suburborum, et sine dubio vtroque in loco ponendi sunt Suurbi. Hoc enim et illud Soraborum frequentissima eorum nomina sunt, ipsaque eorum sedes dicitur Swirbia, vti apud *Chronographum Saxonem*, quem *Leibnitius* in accessionibus Hist. edidit, qui ad annum 935. notat: *Henricus rex Vngros in Swirbia multa caede prostrauit.*

Primum Serborum vestigium occurrit apud *Ptolemaeum*, qui Augusti tempore scripsit, Geogr. L. 5. 9. 13. quo loco eos collocat inter Ceraunos montes et fluuium Rha, qui in Caspium mare deuoluitur. *Plinius Maior*, qui quinquaginta circiter annis posterior *Ptolemaeo* fuit, eos iam propiores Europae sistit, Hist. Natur. VI. c. 7. his verbis: *Inde Moeotis lacus in Europa dictus: A Cimmerio accolunt Serbi.* His autem sedibus egressi, regionem, cui Seruiae nomen indidere, occupauerunt. Seruiae tamen appellatio etiam Slauoniae et Bosniae, aliquando etiam concedente, hanc prouinciam Seruis Heraclio Imperatore, Dalmatiae communis fuit, vnde intelligi potest, *Constantinum Porphyrogenetam* non incommode l. c. dicere, Seruios albos vicinos esse Franciae, id est, Germaniae. Ex hac autem Serbia seu Seruia egressa incolarum pars, itinere, vti videtur, per Morauiam et Bohemiam instituto, in Lusatiam, in Misniam et in superioris Saxoniae partem, quae Hercyniae siluae adiacet, migrauit occupauitque loca a Germanis vel derelicta, vel non satis feliciter defensa. Nam Sorabos eosdem cum Seruiis esse, ex

Consentaneum veritati est, quod §. XVII. de Silesia allegaui, quae Bohemiae et Poloniae confinis est, et quae vox

ex eo apparet, quod idem vtrisque nomen, eadem lingua, quodque vrbium et pagorum villarumque mirus consensus quoad appellationem et olim fuit, et hodienum conspicitur. De eodem nomine dubitari non potest, praesertim si quis reputet, Venedos etiam in Lusatia hodie se vocare *Serbie*. Eadem autem nomina vrbium et pagorum esse, quo clarius appareat, e *Schoettgenio*, qui et ipse hanc sententiam tuitus est, in der Nachlese der Historie von Obersachsen P. I. p. 178. sequentem catalogum locorum in Dalmatia Misnicis locis respondentium excerpam digeramque, praemissa obseruatione, ipsum Dalmatiae nomen in pago Dalmünze, s. Dalmantiae, qui Misniae partem complectebatur, haesisse.

In Dalmatia occurrunt vrbes:	*His in Misnia respondent:*
Belitzin - - -	Boelitz prope Wurzeniam.
Budisin - - -	Bautzen.
Chlebena - - -	Kleben prope Rabenau, item Klieben prope vrbem Misniam.
Chelmiec - - -	Chemnitz.
Stolpen - - -	Stolpen vrbs.
Cori - - - -	Kohren oppidum, nec non Kühren inter Wurzeniam et Oschaziam vrbes.
Mocrum - - -	Moeckern in vicinia Lipsiae.
Dalen - - -	Dalen oppidum.
Mocriscie - - -	Mockritz prope Dresdam.
Dobriscie - - -	Doberschütz.
Sebenico - - -	Sebnitz oppidum.
Zara - - - -	Sorau in Lusatia, vbi Venedi pronunciant Zarow.
Silnizza - - -	Selnitz.
Gliubusca - - -	Glaubitz.
Gorlice - - -	Görlitz.
Vrocin - - -	Wurtzen.
Zazabich - - -	Zschizschewich.
Zerniza - - -	Sernitz, Sernewitz, Sornzig.
Trebinschiza - -	Trebnitz.
Ottoziz - - - -	Oschiz, seu Osciez, ita enim olim scribebatur vrbs Oschaz.

Ostro- Ho-

vox secundum Bohemicam linguam *Slesak* (19) debet esse *perdita caterua*, id quod in Lechum quadrare mihi videtur, qui in has se contulit prouincias. Tot pagi in Lusatia

Ostroviza . . .	Hosterwitz.
Liuba	Lauben, Leuben.
Chlum hodie Hlumo seu Chulm, nomen montis,	Kolmen prope Wurzeniam, nec non der Kolmberg.

et alia innumera. Sed nolo Lectori taedium facere.

Ex locis Dalmaticis complura nunc diruta et antiquata nomine tantum apud scriptores antiquiores, alia re ipsa hodienum supersunt. Eadem plane similitudo nominum in Seruia, quae hodie dicitur, porro in Slauonia, Bosnia et Croatia, quae regiones, vti diximus, olim a Seruis habitabantur, eadem, inquam, similitudo reperitur, si cum locis in Misnia et Lusatia sitis ea conferas. Scilicet Sorabi nomina vrbium, quibus in antiquis sedibus assueti fuerant, (vti hodie Hispani, Lusitani, Angli, aliique in coloniis ab ipsis in Indiam orientalem occidentalemque deductis facere solent) locis in noua patria aedificatis addebant, praesertim cum multa ex ipsa eorum lingua et vita communi repetita essent: v. c. Chlieb, Kleba, vox est Slauica, quae panem significat; Stowp, Stolp, gradum, locum editum notat, vnde nomen vrbi editae et munitae; Seleny indicat viriditatem, Mokry humiditatem. Caeterum Sorabi prima vice in historia occurrunt anno 627. quo tempore se a duro Hunnorum imperio, cui forte ab Attilae inde temporibus subiecti fuerant, Samonis fortissimi viri consilio et virtute in libertatem vindicarunt, et Samonem regem sibi constituerunt; quae quomodo gesta sint, exponunt *Fredegarius* c. 48. *Aimonius* IV. 9. et Monachus trium fontium *Albericus* ad annum 629.

(19) *Slesak*) Silesiae nomen prima vice apud *Ditmarum* ad annum 1017. occurrit, quippe qui *pagum Silensem* distinguit a Polonia. *Daniel Rappoldus* in *Sommersbergii* scriptoribus T. I. III. putat Silesiae nomen a Sleso fluuio deriuandum esse, satisque constat, multas regiones atque vrbes a fluuiis nomina habere. Aliquando tamen fluuii etiam a regionibus populisque nomina acceperunt, idque in Silesia accidisse videtur. Scilicet antiquitus Quadicam incoluere. Nomen autem Quad est antiqua vox Germanica, quae significat *malus*. Itaque cum Slaui prouinciam occuparent, quoniam ipsorum lingua verbum Zlezi idem significabat, quod Germanicum Quad, nomen regioni dederunt Zlezia, Czlezien, vnde Poloni hodienum Silesios vocant Zlesakas.

satia eorumque nomina testantur, primos horum locorum incolas Slauos fuisse, (20) vbi inprimis Gorlitium et Zittauia partem Bohemiae constituerunt.

Consentaneum veritati est de ducibus Soraborum, quia *Constantinus Porphyr.* de Croatis et Seruiis memoriae prodidit Them. P. II. cap. 29. principes vero, vt aiunt, hae gentes non habent, praeter *Zupanos senes* (21), quemadmodum etiam reliqui Sclauorum populi. Ducum Sclauonicorum postea mentionem facit *Procop.* Lib. III. c. 29. p. 532. B. *Sub idem tempus Sclauenorum copiae, traiecto Istro flumine, totum Illyricum Epidamnumque vsque Dyr-*

(20) *Horum locorum incolas Slavos fuisse)* Lusatiam, quae hodie dicitur, duo Soraborum populi olim occupauerant, Lusati et Milcieni. Illi Lusatiam inferiorem, quae sola tum Lusatia audiebat, tenebant, et Marchia ab Ottone I. qui eius vices Geroni, fortissimo Comiti, demandauit, instituta, ne Germanos incursionibus vexarent, coercebantur. Haec igitur fuit Marchia Lusatiae. Milcieni, superioris Lusatiae, quae hodie dicitur, maximam partem inhabitabant et Marcam Milcienam, quae a capite gentis, Budissina vrbe, etiam Budissinensis vocabatur, inde ab Henrici I. temporibus oppositam sibi habebant. Tota regio sequentibus saeculis Marcae Milcienae et Budissinensis nomine venit, aliquando etiam Hexapolis vocabatur, donec saeculo XV. Lusatiae nomen et ipsum ei communicaretur, et quidem superioris, quo a Lusatia propria, quae nunc inferior dicebatur, discerneretur. V. *Wiedeburgii* Origines et Antiquitates Marggrauiatus Misniae p. 8. sqq. *Crügeri* Origines Lusatiae complectentes historiam Geronis, Lusatiae inferioris Marchionis. Lips. 1726. 4.

(21) *Zupanos senes.)* Huius nominis ratio haec est. Zupania et quod est verbum primitiuum Zupa voces sunt Slauicae, quae populum vel regionem habitatam indicant; Zupanus ergo seu Iupanus apud gentes Slauicas praefectus prouinciae est vel territorii vel vrbis. V. *Bandurius* ad *Constantinum* de administratione Imperii cap. 30.

Caeterum Zupaniae saepe exigui ambitus erant, quod apparet ex eo, quod sola praefectura Misnensis in 16. Zupanias seu Supanias apud Sorabos diuisa fuit, quae diuisio etiam Germanis dudum Misniam obtinentibus mansit. Nam anno demum 1553. abolita fuit. Indicem harum Suppaniarum Misnicarum dedit *Schoettgenius* in der Nachlese zur Historie von Obersachsen P. I. p. 222. sqq.

Dyrrachium (Durazzo) A. 549. foede vastarunt: obuios quoque sine vllo aetatis discrimine, partim mactantes morte, partim abducentes in seruitutem ac pecuniis spoliantes. Castella quoque illius regionis plurima, quae firma prius videbantur, ceperunt nemine resistente; ita vt circumcursando impune quaeuis penetrarunt, cum illorum duces collecto ad XV. M. exercitu sic sequerentur, vt propius ad illos accedere non auderent.

§. XIX.

Cum *Polybius* ante Christum natum 160. *Strabo* post Christ. natum 20. *Liuius* 10. vixerint, *Iazyges autem tempore Tiberii floruerint*, (vid. §. X. hoc loco) sequitur, Iazyges et Henetos illos ad Adriaticum mare incolas fuisse, de quibus *Polybio*, *Liuio*, *Straboni* sermo est, praesertim quia Heneti et Sarmatae vna fuerunt (§. II.). De cetero nomen Iazygum Metanastarum *in historia Polonica* occurrit, vbi a ceteris Polonis victi sunt, sicut nunc e. g. Phoenicum nomen et memoriam in illa prouincia nemo adhibet.

§. XX.

De *Welcis*, *Wilcis*, vti vox Slauonica etiam apud nos Lupum (Wehlk) significat, ita legitur in *Albini* Chronico Misnensi, qui imaginem consuetudinis atque vitae eorum exprimit; tamen melius est dicere Wilki, Wiliki, sunt homines procerui, quod fuerint eorum manus luporum more rapaces, fuerintque *accolae Pomeraniae*, ad amnes Tolensum, Panim, *Viadrum*, in Vckermarchia, ad Hauelam, inter mare Balthicum et Albim, quos Carolus M. beneficio *Obotritorum* debellauit, Henricus I. Imperator in potestatem redegit. Quod quidem aliqui eorum *De Wilcis.*

in

Albinus p. 81. in Mansfeldia vitam egerint, refert *Spangenbergius* in Chronico. Ex *Reginone* sub titulo anni DCCCIX. apparet, quod *Obodrudi capitales* eorum hostes fuerint, simulque vicini cum Vrbis. De bello Wilzorum ciuili scribit *Helmoldus* Lib. 12. *Regino* sub anno 789. facit mentionem Wilzorum, item 808. 809. et Slauorum, Soraborum 805. 806.

§. XXI.

De imperatore Heraclio compertum habemus, quod Seruiis partem veteris Dalmatiae per Abaros vastatae ea conditione addixerit, vt Christo nomen darent et summa obseruantia Imperatoris graeci nomen colerent, a quo tamen tempore sequenti defecerunt. An iidem sint Serbi, de quibus *Plinius* et *Ptolemaeus* scribunt, quod in Sarmatia Asiatica fuerint, non constat inter omnes. Partem autem horum *Seruiorum* fuisse *Sorabos* in *Bohemia* et *Germania* creditur. Heraclius enim post annum DCX. a Christo nato summas imperii tenuit; sed si anno circiter DC. vel DL. migratio in Bohemiam facta est (§. XVIII.) consequens est, eisdem temporibus nomen *Seruiorum* et *Soraborum* communem denominationem fuisse, et sub Carolo Magno, qui anno DCCLXIII. et DCCC. regnauit, nomina haec fuisse peruulgata, vt iam §. XII. obseruaui et facile ad credendum inducor. (22)

§. XXII.

(22) *Facile ad credendum inducor.*) Caroli M. aetate Soraborum nomen iam peruulgatum fuisse dubio caret. Prima vice in eius historia occurrunt ao. 782. Audiamus *Annales Laurishemenses* ad hunc annum: *Regi allatum est, quod Sorabi Slaui, qui campos inter Albim et Salam interiacentes incolunt, in fines Thuringorum et Saxonum, qui eis erant contermini, praedandi causa fuissent ingressi.* *Poeta Saxo* ad eundem annum:

Gens

§. XXII.

Constantin. Porphyrogen. describit Part. II. c. 32. hanc migrationem Seruiorum: *Cumque ea, quae nunc Serbia dicitur, et Pagania, quaeque Zachlumiorum terra vocatur* (23), *item*

„*Gens quoque Slauorum Sorabi cognomine dicta*
Audacter sumtis subito proruperat armis,
Vicinas sibi Saxonum terras populando
Atque Thuringorum foecundos frugibus agros,
Qui medias Sorabi terras camposque iacentes
Inhabitant inter fluuios, hinc voluitur amnis,
Qui Sala nomen habet, fluit Albia latior inde.„

Destinauerat quidem Carolus copias satis numerosas contra Sorabos, Adalgioso, Geilone et Worado ducibus. Verum hi, cum nuntiata Saxonum noua defectione contra Saxones mouere cogerentur, et ab his vincerentur: Sorabi, quantum constat, poenas turbatae pacis damnique illati non luere. Videntur potius foedus cum Carolo M. iniisse. Is enim cum anno 789. Wilzos bello aggrederetur, Sorabos in exercitu habuit ipsi militantes, vti disertis verbis testantur ad illum annum *Annales Fuldenses, Bertiniani, Loiseliani* et *Regino*. At anno 806. Sorabi denuo hostiles animos contra Francos sumsere. *Annales Laurisheimenses* ad illum annum: *Carolus Aquasgrani veniens Carolum filium suum in terram Slauorum, qui dicuntur Sorabi, et sedent super Albim fluuium, cum exercitu misit, in qua expeditione Miliduoch Slauorum dux interfectus est, duoque castella ab exercitu aedificata, vnum super ripam fluminis Salae, alterum iuxta Albim fluuium, Slauisque pacatis Carolus cum exercitu egressus est etc.* Eadem sed breuius habent *Annales Fuldenses* s. *Pithoeani*, qui et ipsi ducem Soraborum vocant Miliduoch, quem regem Nusitonem dicit *Chronicon Moissiacense* ad eundem annum, his verbis: *Carolus misit scaras suas vltra Albiam. Ipse vero mouit exercitum vltra Sala supra Querchafeldo. Et tunc fuit interfectus Nusito, rex superbus, qui regnabat in Sirbis, et postea remeauit Albiam. Et vastauit regiones illas et ciuitates eorum destruxit. Et caeteri reges ipsorum venerant ad eum et promiserunt, se seruituros domno et pio Imperatori, tradideruntque obsides sicut ille volebat.*

(23) *Zachlumorum terra vocatur*) Causa appellationis haec est. Lom seu Chlom vox est Slauica, quae significat montem, vbi caeduntur lapides. Fluuius vero etiam est eadem in regione eiusdem nominis. Za indicat post, vltra. Est igitur terra vltra montem sita. Atque hanc explicationem ipse suppeditat *Constantinus* de administrando imperio cap. 33. *Zachlumi*

item Terbania vel Canalitarum regio, quae imperatoris Romanorum ditionis erant, propter Abarum excursiones desertae essent, expulsis inde Romanis, qui nunc Dalmatiam atque Dyrrachium incolunt, regiones illas Seruiis habitandas imperator dedit, cui etiam subiecti erant, a quo etiam baptizati fuere, per presbyteros Roma accersitos, et pietatis opera edocti, antiqua fide recepta.

P. Bandurii in notis ad Constantin. Porphyrogen. Them. P. II. c. 31. addit. p. 89. Roma autem accersitos sacerdotes, qui Croatos baptizarunt, Latinus ritus ipsorum demonstrat. Idem pag. 88. Postmodum cum fere tota Dalmatia occupata esset a Sclauis, in Sclauoniam siue Croatiam, Seruiam et ipsam Dalmatiam distincta fuit: posterioribus autem temporibus Seruia in Romam, Rasciam, Bosniam, ipsamque (*Seruiam et ipsam Dalmatiam distincta fuit*:) quae singulae, diuersis tamen temporibus, regio nomine decoratae fuerunt.

§. XXIII.

Quod praesens Russorum lingua sit dialectus Slauonicae, non ignoramus; sed si ad institutum meum pertineret, posset ostendi, quippe cum dialectus linguae Sorabicae in Lusatia inferiore magis cum Russorum dialecto conueniat, quam dialectus Lusatiae superioris: (vid. §. IX.) interim tamen nulla alia potest esse causa, *quam quod domicilium inter Slauos constituerint*, et se inuicem debellarint, vti *Bulgari a Volga nominantur*. Russi autem alias a scriptoribus Byzantinis gens Scythica nominati sunt, *et saeculo IX.*

chlumi dicti sunt a monte Chlumo nuncupato, et alias Slauorum dialecto Zachlumi dicuntur illi, qui post collem habitant.

IX. innotuit nomen Russorum (24). *Cedrenus* T. II. p. 551. describit habitationem eorum ad *Taurum: Interim quidquid est intra Euxinum pontum maritimarum regionum, Rossica incursionibus vexabat atque vastabat classis. Rossi gens est Scythica ad septentrionalem incolens Taurum, fera atque immanis. Hi cum ipsam Constantinopolim in graue coniecissent periculum, paulo post Dei iram experti, domum reuersi sunt, legatisque in vrbem missis, diuinum baptismum efflagitarunt.* Loquitur hic auctor de conuersione Russorum, tempore Basilii (25).

§. XXIV.

Quod Russi Slauonicam linguam nunc calleant (26), illustrari potest ex *Prisci* Hist. Goth. qui legationem ad Atti-

(24) *Saeculo IX. innotuit nomen Russorum)* V. *Mulleri* Origines gentis et nominis Russorum in *V. A. Gattereri* Bibliotheca historica P. 5. De nominibus antiquis Russiae totius et singularum eius prouinciarum, nec non ipsorum Russorum erudite etiam egit *Bayerus* in Geographia Russiae vicinarumque regionum circa A. C. 948. ex scriptoribus septentrionalibus, et in Geographia Russiae -- circa annum Christi 948. ex *Constantino Porphyrogeneta*; quae viri in hoc litterarum genere summi opuscula extant in *Commentar. Acad. Petropol.* Tom IX. et X. Germanice ea reddidit cum emendationibus et additionibus *V. A. Schloetzerus* in der allgemeinen Nordischen Geschichte p. 491. sqq. Cf. *Thunmanns* Untersuchungen p. 369. sqq.

(25) *De conuersione Russorum tempore Basilii)* Cf. ad totum hunc locum *Bayerum* de Russorum prima expeditione Constantinopolitana in *Commentariis Acad. Petropolit.* T. VI. *Schloetzeri* Oskold und Dir, Göttingae et Gothae 1773. 8. et *Thunmannus* l. c. De Russorum ad religionem Christianam conuersione etiam egit *V. S. R. Semlerus* in Dissertatione de primis initiis Christianae inter Russos religionis, Halae 1763.

(26) *Quod Russi Slauonicam linguam nunc calleant)* Russicam linguam Slauonicam esse ipsa comparatio docet. Hodierna tamen Russorum lingua a genuina dialecto Slauonica aliquantum differt, multis nouis verbis dicendique modis additis, ipsis etiam verborum flexionibus haud raro immutatis, quae

Attilam Theodosii imperatoris iussu suscepit. Ille pag. 59. *Intra sua barbaricam linguam colunt, et affectant, neque tam Hunnorum, quam Gothorum, aut etiam Ausoniorum, hi scilicet, quibuscunque Romanis frequentius est commercium.* Quod lingua *Ausoniorum sit sermo Romanorum*, prout in prouinciis *Illyrici* erat in vsu, ex hoc apparet, simulque quod *a lingua vicinorum multa assumantur*, quae ad destruendam vel emendandam linguam facere possunt.

§. XXV.

quae posterior diuersitas vel ex ipsa *Lomonossouii* Grammatica linguae Russicae et e simili libro *Iacobi Roddii*, qui ao. 1773. Rigae Germanica lingua prodiit, apparet. Vterque enim scriptor varietates linguae Slauonicae notauit, rarius tamen, quam optaret lector harum deliciarum studiosus. Nec est, quod miremur hanc differentiam. Nam primum ipse tot saeculorum decursus linguam Slauonicam mutauit, vti linguas alias omnes. Quotusquisque enim Germanus Gallusue libros ante octingentos et quod excurrit annos lingua ipsi vernacula conscriptos intelligit. Deinde variae vicissitudines linguam Slauonicam multis peregrinis verbis auxerunt, aliquando etiam natiuam eius pulchritudinem corruperunt. Nam cum Russi, Graecorum opera, religionis christianae notitia imbuerentur, Patriarcham Constantinopolitanum per multa saecula tanquam caput ecclesiae totius reuererentur, et ab eo Graecos sacerdotes magno numero acciperent, ingens copia verborum et phrasium Graecarum in linguam Russicam inuecta est, inprimis in rebus ad cultum diuinum pertinentibus, quod apparet ex *Petri Kingii* Rites and Ceremonies of the Greek Church in Russia, Lond. 1772. 4to. qui liber etiam Rigae 1773. 4to. Germanice conuersus prodiit. Deinde cum Russi per maximam medii aeui partem Tartaris subiecti horum consortium sustinere cogerentur, gentis victricis lingua Russicae sese immiscuit, mansitque libertate saeculo XV. a Russis recuperata. Denique Petrus I. Russorum imperator, ex quo Russos ad exemplum moratiorum in Europa populorum refinxit, et bonas litteras artesque antea incognitas inuexit, multosque exteros arcessiuit, et summis officiis praefecit, eiusque instituta successores imitati sunt, incredibilis verborum Germanicorum, Gallicorum, Anglicorum, Batauorum denique inprimis in rebus ad artes et ad vitam elegantem pertinentibus, numerus Russicae linguae adiectus fuit. Neque tamen vsus linguae Slauonicae genuinae inter Russos exoleuit. Nam cultus diuinus omnis Slauonica lingua celebratur,

§. XXV.

Sebaldus in breuiario historico (27) pag. 15. sequenti modo refert, quod post vastatam ab Hunnis Germaniam *Sorabi sedes Attilae vacuefactas* occuparint et demigrarint *a Vistulae ripa ex Pomerania*, Mecklenburgia (ducatu Megapolitano) vbi erant Wilci (§. XX.) in Marchiam Brandeburgicam, Misniam, Bohemiamque anno circiter DLI. (id quod consentit hoc loco cum §. XVIII.) vbi in Thuringiam DCXL. postea irruperunt, et *Dagoberto, regi Franconiae et Thuringiae,* damno fuerunt, vsque ad tempora Caroli Magni, qui est illos cum successoribus suis bello persecutus. Idem pag. 17. refert de Wilcis ad Hauelam, quod anno DCCXC. de iis Carolus Magnus (28), quem florere

bratur, vnde in scholis eam addiscunt pueri, et libri sacri, quos Biblia vocamus, non nisi Slauonice leguntur, quin ante Petri I. tempora libri fere omnes hac lingua scribebantur. Petrus demum patriam linguam, qualis nunc est, maximopere suis commendauit, et ab eius tempore Russica lingua diligenter excoli coepit, multaque in ea praestantissima opera edita sunt, quod apparet ex *Nouicouii* Lexico virorum doctorum interRussos et ex *V. A. Bacmeisteri* Bibliotheca Russica. Petrus I. etiam Biblia in Russicam linguam transferri et vnumquemque patremfamilias eius exemplum vnum secum habere voluit, teste *Webero* im neuveränderten Rusland, P. 2. p. 11. Verum hoc consilium, quantum constat, perfectum nunquam fuit. Caeterum in immenso illo terrarum, quae parent Russis, tractu, ipsam etiam linguam a se discrepare et varias eius esse dialectos (in quibus celebriores sunt Moscouiensis, Nouogorodensis, Archangelica, Vcraniensis etc.) vnusquisque vel me tacente intelligit.

(27) *Sebaldus in breuiario historico)* De hoc Sebaldo et breuiarii eius vsu v. *Georg. Gothofr. Küsteri* Bibliotheca historica Brandeburgica p. 89. seqq.

(28) *De iis Carolus Magnus)* Carolum M. cum Wilzis et quidem ao. 789. bellum gessisse, scriptorum coaeuorum auctoritate constat. *Eginhardus in vita Caroli* c. XII. et XV. generalioribus tantum verbis tradit, eum vna tantum, cui praefuerit ipse, expeditione Wilzos ita contudisse, vt imperata facere et soluere tributa non detrectauerint. *Poeta Saxo* ad annum 789. etiam regem

florere in re militari videbant, victoriam sit adeptus, quia Saxonibus magnam molestiam attulerunt, Saxones autem armis Caroli Magni fuerunt protecti. Refert quoque, Carolum post id factum Harlungos in Brandeburgiam adduxisse, vnde mons quidam ad Brandeburgi oppidum mons Harlungorum nominabatur.

§. XXVI.

regem Wilzorum, quocum res habuit Carolus, nominat:

> *Rex Dragawiti, quem nomine clarum*
> *Prae reliquis fecit genus.*

Consentit *Chronicon Masciacense* ad eundem annum, nomine tantum regis more scriptorum medii aeui aliquantum immutato: *Fuit domnus Carolus in Venetis et peruenit in Wilzia et acquisiuit ibi Drauscionem regem et alios quamplurimos et accepit obsides plures, atque omni terra illa obsessa siue subiugata rediit in Franciam.*

De eodem bello *Annales Nazariani* eodem anno haec tradunt: *Carolus rex vna cum Francis seu caeteris gentibus in patriam Wilciorum hostiliter perrexit, ipsamque patriam conquisiuit, et regem ipsorum nomine Dragoidus adprehendit et iterum ipsi iam praefato regi illam patriam commendauit. Annales* autem *Laurisheimenses* regem vocant gentis nomine Wilzan: *Wilzan (nam is caeteris Wilzorum regulis et nobilitate generis et auctoritate senectutis praeeminebat,) extemplo cum omnibus suis ad regem de ciuitate processit, obsides, qui imperabantur, dedit, fidem se regi ac Francis seruaturum promisit iureiurando, quem caeteri Slauorum primores ac reguli secuti, omnes se regis ditioni subdiderunt.* Caeterum Wilzi, cum diuturna pace confirmati vires recepissent, Francos eorumque socios denuo lacessere coeperunt. Ita anno 808. Gothofredo, Danorum in Iutia regi, perpetuo Caroli M. hosti, testantibus ad hunc annum *Annalibus Laurisheimensibus*, contra Obotritos socios Francorum adfuere, nec sine magna praeda domum rediere. Quod tamen eis non impune fuit. Nam vt iidem Annales habent ad annum 809. *Thrasico dux Abotritorum collecta popularium manu et auxilio a Saxonibus accepto vicinos suos Wilzos aggressus, agros eorum ferro et igne vastauit.* Anno 810. Wilzi, vti idem *scriptor Laurisheimensis* perhibet, Hamburgum (vt tunc vocabatur castellum Hohbuchi) *Albi flumini contiguum, in quo Odo, legatus imperatoris, et orientalium Saxonum erat praesidium, ceperunt et destruxerunt.* Sequente vero anno Carolus Hamburgum restaurauit et a. 812. Wilzos ad obsides dandos compulit. Haec de Wilzorum cum Carolo M. bellis apud scriptores fide dignos memoriae mandata repperi. Nam recentiorum quorundam fabulas referre, operae pretium non est.

§. XXVI.

Ad illustrationem eorum, quae de Venetis Antisque dicta sunt, pertinet, quod *Iornandes* c. 23. de rebus Geticis scribit: *Post Erulorum caedem idem Ermanaricus in Venetos arma commouit, qui quamuis armis disperiti, sed numerositate pollentes primo resistere conabantur. Sed nihil valet multitudo in bello, praesertim vbi et multitudo armata aduenerit - Veneti, Antae, Sclaui, qui quamuis nunc, ita facientibus peccatis nostris, vbique saeuiunt, tamen tunc omnes Ermanarici imperiis seruiebant.*

Sic saeculo VI. Episcopus Ratennesis *Iornandes* scribit: *vbique saeuiunt.* Ergo cum eo, quod saeculo VI obtinuerint regiones Germanorum, conuenit, et cum Czecho et Lecho possessionem Silesiae Poloniaeque tenentibus.

§. XXVII.

Lipsiae anno cIↄ Iↄ ccLxvi. sermo sacer in Collegio Soraborum iobelaeus inter praecones diuini verbi est habitus, qui postea typis expressus praefatione *Moechnii*, Pastoris Neschwizensis in Lusat. sup. est ornatus, vbi de origine Soraborum *ad mare graecum nigrum* ita verba se habent: *So Boch jim sizom w tych starych schedziwych czassach, jako woni wranschich kraiach wokoto teho czorneho a Grichischkeho Morja bydlachu, to posnaczie teho Sboza pshes swoych leposchtotow, ako teho Pawola Silassa a Timotheussa je pschipowedacz . . dat.*

§. XXVIII.

Prouinciae a *Tanai vsque a Vistulam* nominatae sunt *Sarmatia Europaea*, vt *Mela*, et postea *Ptolemaeus* obseruat. Sed flumen Tanais (Don) connexionem habet *cum mari*

mari nigro, quod Palus Moeotis appellatur, de qua *Ptolemaeus: Et per totum Moeotidos latus Iazyges. Hic erat sedes Sarmatarum Iazygum.* Cum vero *Ptolemaeus* lib. III. c. 5. *Iazyges ac Roxolanos ad Moeotidis lacum, minores gentes autem penes Vistulam fluuium* collocet, *sub Venedis Gythones ... post Bulanes (de quibus quasi deriuatio Polonorum obseruabatur* §. *XVI.)* sequitur, *Venedos vsque ad Borussiam excursiones fecisse.* Cum vlterius legatur: *Iis omnibus orientaliores sunt sub Venedis quidem iterum Galindae et Ludeni, et Stauani vsque ad Alaunos.* Sed Alani ab *Ammiano Marcellino* perinde ac Sarmatae describuntur: *Et Alani Europaei a Caucaso oriundi Caucasigenae dicti,* (vid. §. II. ad *Caucasum*) *vt vult Marcianus, ad montem Alanum, vbi Borysthenes oritur, habitasse dicuntur.* Ex his iterum apparet, Venedos Sarmatasque vicinos semper fuisse, quia Borysthenes in Moscouia oritur et influit ab Europae parte in Pontum.

§. XXIX.

Quod ad saeculum VI. attinet, legitur de Chilbudio, quem imperator magistrum militum per Thraciam constituerat, quod fortiter Antas et Sclauenos represserit. *Procopius* lib. III. cap. 14. p. 496. B. Quidam erat *Chilbudius* inter Iustiniani Augusti domesticos, bellator acerrimus, adeoque egregius contemtor opum, vt magnae loco possessionis duceret, nihil possidere.

Hunc anno imperii IV. militari Thraciae magisterio ornatum, *Istri fluminis custodiae praefecit*, atque operam dare iussit, vt amnis transitu barbari in posterum prohiberentur. Iam enim saepe *Hunni, Antae* et *Sclaueni* traiecto fluuio Romanos pessime foedissimeque vexauerant. Chilbudium barbari adeo reformidarunt, vt toto triennio, quo ibi

ibi cum potestate fuit, fluuio aduersus Romanos euadere nemo quiuerit, imo vero Romani in aduersam continentem cum Chilbudio saepe transgressi, illius orae barbaros affecerint strage, et captiuos inde eduxerint. Post annos tres, cum Istrum Chilbudius copias de more traduxisset, numero paucas, Sclaueni conflato ex tota gente exercitu venere obuiam. Duro certamine inito, Romani multi cecidere, atque in his militum magister Chilbudius; *ex quo barbaris libera semper fuit amnis transmissio*, et Romana res incursibus eorum patuit. Qua in parte vniuersum Romanum imperium virtutem adaequare non potuit vnius viri.

§. XXX.

Prima sedes Antarum.

Cum nomen Antarum non nisi primo in *Procopio* et *Iornande* occurrat, ex iisdem demonstraui, primam eorum sedem, quatenus hoc nomine insigniti fuere, paludem Moeotidem (Mare delle Zabache) inter Europam et Asiam fuisse. Vid. *Procopius* de bello Goth. cap. 4. p. 573. *Palus (scilicet Moeotis) autem in Ponti Euxini littus euoluitur. Qui illic habitant, Cimmerii dicti olim, iam vocantur Vturguri. Vlteriora ad Septentrionem habent Antarum populi infiniti.* *Albinus* in Chronico Misnensi ex Strabone, Plutarcho, *Herodoto* l. IV. *Cimmerios* in Asia cum *Cimbris* (29) ad

(29) *Cimmerios in Asia cum Cimbris)* Cimmeriorum *Homerus* iam mentionem fecit in Odyss. k. 14. Accuratius de iis primus egit *Herodotus* l. c. Sedes Cimmeriorum fuit cis fluuium Araxem, vsque ad viciniam Tanais et Borysthenis. Nomen eorum seruat hodienum Bosporus Cimmerius, et alia in illa regione loca. De variis Cimmeriorum migrationibus conferendi sunt, qui loca veterum diligenter et accurate secum contulere, *Freretus* in dissertatione Franco-Gallica lingua scripta de Cimmeriis, quae extat in *Memoires de Litterature* T. XIX. p. 577. *Theoph. Siegef. Bayerus* in dissertatione de Cimmeriis, quam e Tomo II. *Commentariorum Acad. Petrop. Klotzius* inseruit *Opusculis Bayerianis* Halae 1770. 8. recusis. Inprimis autem lectu

ad aquam Araxis vnam eandemque *gentem* fuisse probat, pag. 20. *Germanicam*, et pag. 55. ex Strabone, quod pars Henetorum *cum Cimbris in Europam venerint*, et ex Helmoldo cap. 88. quod Henricus Leo incolas ad mare Balthicum depulerit, exterminauerit, omniaque incolis Germanis impleuerit (30).

Ergo Slaui sunt Germanos insecuti, eosque, vt scimus, Nimezos (Nimsky) appellarunt, quasi mutos, a voce niemy, quia lingua Germanorum a *Slauonica, maximopere nunc in Polonia exculta*, plane abhorret, nisi necessitatis causa verbis technicis Germanicis vocabulis vtantur, vt *Turcae faciunt*, qui in re metallica terminos Germanorum technicos adhibent. *Tacitus* terminos Antarum inter Fennos et Peucinos in interiore Sarmatia constituit, vt iam §. II. allegaui.

§. XXXI.

De Antis tempore Iustiniani.

Notatu dignum est, quod *Procopius* lib. III. c. 14. p. 498. narrauit: Dum haec ibi aguntur, interea Iustinianus Augustus missa ad hos barbaros (scilicet Antas) legatione

lectu dignissima sunt, quae de Cimmeriis obseruauit *V. A. Heyne* in *Guthrii et Graii Auszug der Welthistorie* T. 3. p. 968.

Cimbros eosdem cum Cimmeriis esse, vetus fama est, cuius iam meminere *Plutarchus* in Mario, et *Strabo* L. XI. Verum ea Cimbrorum deriuatio vix alio argumento, quam nominis similitudine nititur, nec exiguis laborat difficultatibus, de quibus scriptores, qui dedita opera de Cimbris egere, *Eccardus de origine Germanorum* §. 66. sqq. *Spenerus in notitia Germaniae antiquae* c. 5. *V. Cl. Heyne* l. c. p. 965. sqq. et viri docti *Iohannis Mulleri* Graecarum litterarum Scaphusii Professoris *Bellum Cimbricum* Turici 1772. 8.

(30) *Omniaque incolis Germanis impleuerit)* Quae de continuis Henrici Leonis cum Slauis, inprimis cum Nicloto et huius filiis Pribislao et Wertislao, Venedorum principibus, bellis et de felici conatu Henrici, gentes deuictas ad religionem Christianam conuertendi, passim tradunt scriptores, inprimis *Helmoldus*, ea congesta, examinata et diplomaticis probationibus confirmata sistunt *Origines Guelphicae* T. 3. L. 7. c. 1. et in *Probationibus ad hunc librum* T. eod. p. 470.

tione petit, vt commigrent omnes in antiquam vrbem, Turrim appellant, quae trans Istrum fluuium sita conditaque olim a Traiano Romanorum imperatore, multis abhinc annis vacabat, a vicinis direpta barbaris. Hanc ipsam vrbem agrosque circumiacentes, pro iure vetere, quo ad Romanos pertinerent, daturum se Iustinianus Augustus spopondit, eorumque amicitiam aliturum vi, studio et pecuniam liberalissime largiturum, *modo vt icto secum foedere, Hunnis Romanorum imperium incursare volentibus, sese vsque opponerent.* Quod postea in omnes Illyrici prouincias irruptiones fecerint, Toperum (Tepimir) occupantes, vid. *Procop.* lib. III. c. 38.

§. XXXII.

Tam antiqua est Sarmatarum, Henetorum, Slauorum, Soraborum, *prout per loca et familias nomina mutantur* (§. XI. hoc loco) stirps et familia. Viderunt Heneti euersa fundamenta Troianae reipublicae, quae erat lux orbis terrarum, et arx gentium, quam viderunt flamma concidentem. *Vltra bis mille annos sedem ad Pontum* et ad Adriaticum mare, ad Istrum et Danubium habuere. Originem eorum antiquissimus scriptor *Homerus* demonstrat, si primarias res ab episodio veritatis discernamus. Sint igitur in excelso collocandus Czechus, Lechus et Russus, si traditio ex omni parte cum veritate constat, quorum res gestas memoriae mandant posteri!

Sit autem in aeterna laude nomen *Iesu Christi*, quod iam inter has gentes vbique terrarum praedicatur! Laetentur de communi omnium salute custodes angeli! Apostoli sancti et Patriarchae! Floreat *Slauorum lingua*, quae formaliter (qua constructiones et emphases) et materialiter (qua verba) *sapit Hebraismum*, antiquissimam linguam.

Tres

Tres tomi in folio, amplissimi *Abrahami Frencelii* testantur.

Tibi vero, Celsissime S. R. I. Princeps, cuius Serenissimo Nomini totum hoc, quicquid est, opusculi dicatum est, vitam diutissimam eamque curis vacuam et quovis omnigenae felicitatis bono abundantem adprecor. Contigisti Tu Vindex atque Assertor maximus cuicunque litterarum generi, inprimis tamen linguae rebusque nobilissimae illius Slauonicae gentis. Namque hae, ex quo Tu, Celsissime Princeps, animum ad eas illustrandas atque explicandas adiecisti, Tuis auspiciis Tuaque opera tanta incrementa cepere, quanta eis ex omnibus tot doctissimorum hominum, qui saeculis Tuam aetatem praecedentibus viguere, lucubrationibus sperare non licuerat. Nam quod aliis Principibus honorificentissimum fuit, litteras tueri hominesque litteratos in pretio habere et praemiis constitutis labores eorum susceptos remunerare, suscipiendos alios proponere, id omne Tu non solum ita aemulatus es, vt istorum laudem vel assequereris vel superares, verum etiam, exemplo in tanto fortunae fastigio rarissimo, editis eruditissimis scriptis, quanquam Ipse de eis modestissime statueres, reuera tamen viam, quam viri docti ingrederentur, praeiuisti, exemplumque, quod omnes sequerentur, ostendisti; cuius tantae Tuae laudis, vt nunc est apud omnes, qui bonis litteris bene cupiunt, maxima admiratio, ita nulla aetas virtutum Tuarum memoriam deletura est, florebitque Serenissimum Nomen IABLONOVIANVM, dum Slauonicae gentis recordatio, dum ipsis litteris honos erit.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0025716

n. 86140.b/